






IUSTINUS
VENETIIS
ALDUS
1522
BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE - FIRENZE
RACCOLTA NENCINI
ALDINI
I
2
28














Ex Libris Ioannis Nencini
1874




Avv.to Pietro Ginori



TROGI POMPEI EXTERNAE HISTORIAE IN COMPENDIVM AB IVSTINO REDACTAE.

Externorum imperatorum uitæ authore Aemylio Probo.



FRANCISCVS ASVLANVS IOANNI CORNELIO, GEORGII FILIO, S. D.

q Vām grata, iucunda, utilis sit, & necessaria generi hominũ uniuerso rerũ præteritarũ cognitio, ex eo facile colligi pōt: q̄d nullus est ita durior ad humanitatem: q̧ non eā amet, expetat: & ueneratione quadā prosequatur. Itaq; præstantiilli mihi sensu fuisse uideri solent, atq; omni laude prosequēdi: q̧ primi genus hoc scriptionis posteris tradidisse feruntur. etenim ut ne hinc dicamus opes primum tanq̄ præclarũ q̧d, cognitum fuisse, uitam excultam, leges, religiones, iura publica, atq; instituta, q̧bus humana uita cōtinetur: emanasse: illud certe sine ulla dubitatiõe affirmare possumus, imortalitatem gloriæ cognitā, atq; adamari cœptam. Nā posteaq̄ primis illis rudi ingenio hominibus inculcatum tandē, atq; exploratum fuit, non secum sua oīa moritura: sed ut se q̧sq; recte, turpeq; gessisset: ita scriptorũ monimentis cōmendatũ iri: statim sapiētissimus q̧sq; posteritatis spe, fructuq; ductus ē: atq; aliud nihil magnopere, nisi sempiternũ spectare cœpit. hinc illa in manifesto discrimine mors sæpissime suscepta: salus pro patria libentissime oblata: suiq; deuotio nō pro aris, focisq; solũ, sed etiā ad paternam æmulationem facta. Sed ut hæc omittamus: q̧d ciuitatibus regendis, ac gubernandis utilius historia excogitari pōt? nulla. n. alia re languētis populi mentes magis incitantur: & effrenati moderantur: q̄ cum aut ad alicuius præclari facti æmulationē adhortantur: aut à re minus honesta, turpi aliquo facinore ostenso deterrentur.

Age

Age uero in otio q̄d esse pōt aut iucundius, aut magis propriū hoīs, q̄ scripto aliquo puro, ac leni detineri? ubi cum summa animi oblectatione pnoscas maiorum mores, exēpla, præstantissimi cuiusq; naturam, uarietates temporū, regionum descriptionem, & deniq; antiq̄tatem oēm? Eq̄dem, ut uere q̄d sentio loquar: si quē forte inuenias: q̄ nō elegantiæ doctrina, uel ob hāc unam cām, ne in maiorū gestis hospes plane, et rudis appareat: magnopere ducatur: huic nō homines solū, deosq; iratos esse, sed eum etiā ex omni humanitate exterminandū arbitror. Nā nescire q̄d ante te actū sit: q̄d aliud p̄ immortalē deū interpretari pōt, q̄ ut ait Cic. puerum esse? Quā ob rem ut semper optimo q̄sq; ingenio fuit, et prudētia singulari: ita maxime in historiarū lectiōe uersatus ē. Et in primis nostra memoria Ioānes, uir omni laude cumulatissimus pater tuus Georgius. Qui cum ante ad agendum accessisset: quàm de literis posset aliquid suspicari: tamen & eas semper amauit: & historiæ tractatione potissimum oblectatus est: & hoc tempore, id quod q̄busdā fortasse incredibile, aut admirabile q̄ddam uidebitur: id ætatis homo, & in ea opum, honorū, liberorū, atq; amicorū cura, qua nemo in tota Italia: dies præterijt nullus: q̄n aliquantulū in legendo ponat & studij, et temporis. eāq; p̄sæpe uocem emittere solet, se iccirco si ullo pacto fieri posset: iuueniles ānos optare: ut optimis in artibus diutius essè posset. scit. n. uir ille domi, forisq; clarus q̄to emolumento sit cū oīs disciplina, tū rerū ante actarū sciā homini in publicis muneribus uersanti. Quæ cum ita sint: conueniēs institutis nostris uisum est, si hoc t pe Iustinū, atq; Aemyliū Probū diligentissime castigatos emitteremus. etenim

ſcriptor eſt uterq; & ſapiens, et bonus. illuſtrat Probus
externos imꝑatores eorũ uitæ, natura, geſtis diligentiſſi
me, & ꝑitiſſime deſcriptis. complectitur Iuſtinus hiſto-
riæ illius ſummá: qua Trogus Pópeius res omniũ ſæcu
lorũ, regum, nationum, et populorũ. IIII. & XL. uolu
minibus deſcripſerat. & q̃dem feliciter. ſed tamen uellẽ
alio' eũ potius ſcribendi cupiditas rapuiſſet. non. n. in
mediocri eſt apud quoſdã obtrectationis, et inuidiæ ſu=
ſpicione, icirco ex Pompeio cognitione quæq; digna, &
quæ tantum ad rem intelligendã uiderentur ꝑtinere,
collegiſſe: ut dignitatis illius amplitudinem, & authori
tatis præoccuparet. quaſi diuinaſſet, ſi id feciſſet: ut ſua
omnibus propter breuitatem placerent: Pompeius ob
operis magnitudinem à paucis primo, poſt à nullis le=
geretur: atq; ita nõ multo poſt obliuione obrueretur. ego
tamen arbitror illum potius Trogi ſuauitate, & digni
tate delectatum, in æmulatione uoluiſſe, & contentione
otium ſuum conſumere: ut quæ ille grande, magnifice,
diffuſeq; dixiſſet: ipſe ſubtiliter, preſſe, ſtrictimq; ꝑcur-
reret. id quod omnino mihi uidetur cõſecutus. eſt enim,
quod in oratiõe ꝑdifficile habetur: & ornatus, & bre
uis. quod tu facillime Ioannes, quæ tua eſt prudẽtia: iu
dicabis. & ego hac de cauſa primum mea ſponte, poſt
illius rogatu, quem iampridem ob egregiam animi tui
uirtutem in tuo ſe aere & poſuit, & locauit: duos ho-
ſce ſcriptores ſub tuo nomine exire uolui: ut quamplu
rimũ illis et gratiæ et authoritatis apud omnes homi
nes conciliares. Nã, ut omittam totius Corneliorũ gentis
laudẽ, clariſſimum, et ſapientiſſimũ parentem, fratres
uiros optimos, et præſtantiſſimos ciues: nullus ex omni
nobilitate eſt: quẽ tecum conferre uelim: aut quẽ plus

o ẽs facere debeant: aut iure possint. Qui tum naturali quodã bono, tum uberrimis studijs ornatus in quãcunq; partem te tradis: summus, et facile princeps existis. Cũ enim te in multitudinem illã, et negotiorũ magnitudinẽ cõijcis: quæ amplissima habet, et expeditissima domus uestra: quo es consilio, assiduitate, prudentia efficis: ut summa oĩa felicitate cadant. ex quo uero & reip. honores gerere, & senator esse cœpisti: eã animi magnitudinem, & uirtutem oĩbus in rebus præ te tulisti: ut nullus sit, q̃ non te amet, amplectatur, et oĩa tibi summa debere fateatur. Si uero aliquando ex maximis occupationibus otium respicis: ita proprie & scienter literas tractas: ut omne in his ætatis tẽpus cõsumpsisse uidearis: cum eas tñ cursim soleas, & succisiuis temporibus arripere. Itaq; nõ mediocrẽ nobis dubitationem attulisti: utrũ prudẽtior, et attentior paterfamilias, an præstantior senator sis. Nã illud certe nobis iãpridem planum fecisti: q̃d si te forte ad otiũ arripueris: nõ eiusdẽ ætatis modo hoĩes, sed eos etiam qui fuerint, studio sis, & celebritate superaturus. Vera Corneliorum progenies, & cui tanta nominis amplitudo merito relicta sit. Nam q̃d ego de reliquis uirtutibus dicam tuis? innocentia, comitate, benignitate? Quid de singulari in patrem obseruantia? de pietate incredibili in fratres? quibus oĩbus natu maioribus ea facilitate cum eo amore coniũcta cedis: ut nõ tam tu eos obseruare, q̃ ab eis coli, & honorari uidearis. Itaq; hac tot, tantarũq; uirtutum tuarũ admirabilium fama oẽs te summis laudibus ferunt: tua te uirtute frui exoptant: atq; eũ tibi reip. locum precantur: ĩ quo Corneliorũ memoriã et cõseruare, & amplificare possis. Vale, et me ama.

IVSTINI, IN TROGI POMPEII HISTORIARVM EPITOMEN, EXORDIVM.

C Vm multi ex Romanis, etiã cõsularis dignitatis, uiri, res Romanas, græco, ꝑegrinoq; sermone, ĩ historiã cõtulissent. seu æmulatiõe gloriæ, seu uarietate, et nouitate oꝑis delectatus, uir priscæ eloquẽtiæ Trogus Põpeius, græcas, et totius historias, latino sermõe, cõposuit. ut cũ nostra græce, græca quoq; nostra lingua legi possent, prorsus rẽ magnã et animi et oꝑis aggressus. Nã cũ plerisq; authoribus singulorũ regum, uel populorũ res gestas scribẽtibus opus suũ ardui laboris uideatur, nõne Põpeius nobis herculea audacia orbẽ terrarũ aggressus uideri debet, cuius libris oĩum sæculorũ, regũ, nationũ, populorũq; res gestæ cõtinẽtur? et q̃ historia græcorũ (prout cõmodũ cuiq; fuit) inter se gregatim occupauerãt, omissis, quæ sine fructu erãt, ea oĩa Põpeius diuisa tꝑibus, et serie rerũ cõgesta cõposuit. Horũ igitur. IIII. et XL. uoluminũ (nã totidẽ edidit) ꝑ otiũ, quo ĩ urbe uersabamur, cognitiõe quæq; digna excerpsi. et omissis his, quæ nec cognoscẽdi uoluptate iucũda, nec exẽplo erãt necessaria, breue ueluti corpusculũ florũ feci, ut hẽrent et q græce didicissent, quo admonerentur, et q nõ didicissent, quo instruerentur. Quod ad te imꝑator Antonine nõ tam cognoscẽdi, q̃ emẽdandi, causa trãsmisi, simul ut otij mei, cuius Cato reddẽdam operã putat, apud te ratio constaret. Sufficit. n. mihi in hoc tempore iudiciũ tuũ, apud posteros, cum obtrectationis inuidia decesserit, industriæ testimoniũ habituro.

IVSTINI HISTORICI IN POMPEI TROGI HISTORIAS

LIBER PRIMVS.

PRincipio rerum, gentium, nationumq; imperiũ penes reges erat, quos ad fastigiũ huius maiestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio, prouehebat. Populus nullis legibus tenebatur, arbitria principum pro legibus erant. Fines imperij tueri magis, q̃ proferre, mos erat. Intra suã cuiq; patriã regna finiebantur. Primus omniũ Ninus rex Assyriorum ueterem, & quasi auitum gentiũ morẽ, noua imperij cupiditate, mutauit. Hic primus intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad resistendum populos, ad Libyæ terminos usq; p̄domuit. Fuere q̄dem temporibus antiq̄ores, Sesostres rex Aegypti, et Scythiæ rex Tanais. Quorũ alter in Põtum, alter usq; Aegyptum excessit. Sed longinqua, nõ finitima bella gerebãt, nec imperiũ sibi, sed populis suis gloriã, quærebant, contentiq; uictoria imperio abstinebant. Ninus magnitudinẽ quæsitæ dominationis, cõtinua possessione, firmauit. Domitis igitur proximis, cũ accessione uirium fortior ad alios transiret, & proxima quæq; uictoria instrumentũ sequẽtis esset, totius oriẽtis populos subegit. Postremũ illi bellũ cũ Zoroastre rege Bactrianorũ fuit, q̄ primus dicitur artes magicas inuenisse, & mundi principia, syderumq; motus diligentissime spectasse. Hoc occiso & ipse decessit, reli-

cto impubere adhuc filio Nino, et uxore Semiramide. Hæc nec immaturo puero ausa tradere imperiũ, nec ipsa imperium palàm tractare, tot ac tantis gentibus uix patiẽter uni uiro, nedũ fœminæ parituris, simulat se pro uxore Nini filiũ, pro fœmina puerũ. Nã & statura utriq; mediocris, et uox pariter gracilis, et lineamentorũ qualitas matri ac filio similis. Igitur brachia ac crura uelamentis, tiara caput tegit, et ne nouo habitu aliqd occultare uideretur, eodẽ ornatu & populum uestiri iubet. quẽ morem uestis exinde gens uniuersa tenet. Sic primis initijs sexum mentita puer credita est. Magnas deinde res gessit, quarũ amplitudine ubi inuidiã superatam putat, quæ sit fatetur, quáue causa simulasset. Nec hoc illi dignitatẽ regni ademit, sed admirationem auxit, qđ mulier nõ fœminas modo uirtute, sed etiã uiros anteiret. Hæc Babylonẽ condidit, murũq; urbis cocto latere circũdedit, arenæ et calcis uice, bitumine interstrato, quæ materia in illis locis passim è terra exæstuat. Multa alia præclara huius reginæ fuere. siqdẽ non contenta acqsitos à uiro regni terminos tueri, Aethiopiã quoq; regno suo adiecit. et Indis bellũ intulit, quo præter illã, & Alexandrum magnũ, nemo intrauit. Ad postremum cum concubitum filij petisset, ab eodẽ interfecta est. II. & XL. annos post Ninum, q regnauit annis LIIII: regno potita. Filius eius Ninus contentus elaborato à parẽtibus imperio belli studia deposuit, et ueluti sexum cum matre mutasset, raro à uiris uisus, in fœminarũ turba consenuit. Posteri quoq; eius exempla secuti responsa gentibus per internuncios dabant. Imperium Assyrij, q postea Syrij dicti sunt,

annos

annos.M.CCC.tenuere. postremus apud eos regnauit Sardanapalus, anno ante urbem conditam LXIIII. uir muliere corruptior. Ad hunc uidẽdum, quod nemini ante eum pmissum fuerat, præfectus ipsius, Medis præpositus, nomine Arbacus, cum admitti magna ambitione ægre obtinuisset, inuenit eum inter scortorũ greges purpuram colo nentem, et muliebri habitu, cũ mollitia corporis, et oculorum lasciuia omnes fœminas anteiret. pensa inter uirgines partiẽtem. Quibus uisis indignatus tali fœminæ tantum uirorũ subiectum, tractantiq; lanã ferrũ et arma portantes parere, progressus ad socios suos, qd uiderit, refert. Negat se ei parere posse, q se fœminã malit esse, q̃ uirũ. Fit igitur coniuratio. bellũ Sardanapalo infertur, quo ille audito, non ut uir regnum defensurus, sed (ut metu mortis mulieres solent) primo latebras circũspicit. mox deinde, cũ paucis et incompositis in bellũ progreditur. Victus in regiam se recipit, et extructa ingenti pyra se et diuitias, et cõcubinas in incendium mittit, hoc solo imitatus uirum. Post hæc statuitur rex interfector eius Arbacus, q præfectus Medorũ fuerat. Is imperiũ ab Assyrijs ad Medos transfert. Post multos deinde reges, pordinem successionis, regnum ad Astyagem descendit. Hic p somnium uidit ex naturalibus filiæ, quam unicã habebat, uitem enatam, cuius palmite omnis Asia obumbraretur. Consulti arioli ex eadem filia nepotem ei futurũ, cuius magnitudo prænunciatur, regniq; ei amissionẽ, portendi, responderunt. Hoc responso perterritus neque claro uiro, neq; ciui nuptum dedit filiã, ne paterna maternaq; nobilitas nepotis animum extolleret, sed de gen

te obscura tunc temporis Persarum Cambysi mediocri uiro in matrimonium tradidit. At ne sic qdem somnij metu deposito grauidam ad se filiam accersit, ut sub aui potissimum oculis fœtus necaretur. Natus infans datur occidendus Harpago regis amico, & arcanorũ participi. Is ueritus, si ad filiã mortuo rege uenisset imperium, eo quod nullum Astyages uirilis sexus genuerat, ne illa necati infantis ultionem, quam à patre non potuisset, à ministro exigeret, pastori regij pecoris puerum exponendũ tradidit. forte eodẽ tempore & ipsi pastori filius natus erat. eius igitur uxor, audita regij infantis expositione, summis precibus rogat sibi pferri ostendiq; puerũ. cuius precibus fatigatus pastor reuersus in syluam inuenit iuxta infantem canem fœminã paruulo ubera præbẽtem, et à feris alitibusq; defendẽtem. motus etiam ipse misericordia, qua motam ipsam canẽ uiderat, puerũ defert ad stabulũ, eadẽ cane anxie prosequẽte. quem ut in manũ mulier accepit, ueluti ad notam puer allusit, tantusq; in illo uigor, et dulcis qdã blandiẽtis risus apparuit, ut pastorẽ uxor ultro rogaret, quo suũ partum pro illo exponeret, pmitteretq; sibi, siue fortunæ ipsius, siue spei suæ, puerũ nutrire. Atq; ita pmutata sorte paruulorũ, hic pro filio pastoris educatur, ille pro nepote regis exponitur. Nutrici Spaco postea nomẽ fuit, qa canem Persæ sic uocãt. Puer deinde, cum inter pastores imperiosus esset, Cyri nomen accepit. Mox rex inter ludentes sorte delectus cum p lasciuiam contumaces flagellis cecidisset à parẽtibus puerorum querela est regi delata, indignantibus à seruo regio ingenuos homines seruilibus uerberibus affectos.

Ille accerſito puero & interrogato, cũ, nihil mutato uul
tu, feciſſe ſe ut regem, reſpõdiſſet, admiratus conſtantiã
in memoriã ſomnij, reſponſiq; reuocatur. Atq; ita cum
& uultus ſimilitudo, & expoſitionis tempus, & paſto
ris confeſſio conuenirent, nepotem agnouit. & quoniã
defunctus ſibi ſomnio uideretur, agitato inter paſtores
regno, animũ minatione duntaxat in illo fregit. Cæte
rum Harpago amico ſuo infeſtus, in ultionem ſeruati
nepotis, filium eius interfecit, epulandũq; patri tradi-
dit. Sed Harpagus, ad præſens tempus diſſimulato dolo
re, odiũ regis in uindictæ occaſionẽ diſtulit. Interiecto
demum tempore, cũ adoleuiſſet Cyrus, dolore orbitatis
admonitus ſcribit ei, ut ablegatus in Perſas ab auo fue
rit, ut occidi eum paruulum auus iuſſerit, ut beneficio
ſuo ſeruatus ſit, ut regem offenderit, ut filiũ amiſerit.
hortatur exercitum paret, & pronã ad regnum uiam
ingrediatur, Medorũ tranſitionem pollicitus. epiſtola,
q̃a palàm ferri neq̃bat regis cuſtodibus oẽm aditum
obſidentibus, exenterato lepori inſeritur, lepusq; in Per
ſas Cyro ferẽdus fido ſeruo traditur. addita ſũt retia,
ut ſub ſpecie uenationis dolus lateret. Lectis ille literis
eadem ſomnio aggredi iuſſus eſt. Sed præmonitus, ut
quẽ primum poſtera die obuium haberet, ſocium cœ-
ptis aſſumeret. Igitur antelucano tempore ruri iter in-
greſſus obuium habuit ſeruũ de ergaſtulo cuiuſdã Me
di nomine Sybarem. huius requiſita origine, ut in Per
ſis genitum audiuit, demptis compedibus, aſſumptoq; co
mite, Perſepolim urbem ingreditur. Ibi conuocato po
pulo, iubet omnes præſtò cum ſecuribus eſſe, et ſyluam
uiæ circundatam excidere. quod cum ſtrenue effeciſ-

sent, eosdem postera die apparatis epulis inuitat, deinde cum alacriores ipso conuiuio factos uideret, rogat, ut si conditio proponatur, utrius uitæ sortem legant hesterni'ne laboris, an præsentium epularũ? præsentiũ, ut acclamauere omnes, ait hesterno similem labori omnem uitam acturos, quoad Medis pareant, se secutos, hodiernis epulis. Lætis omnibus, Medis bellũ infert. Astyages meriti in Harpagum oblitus summã belli eidem committit, q exercitum acceptum statim Cyro per proditionem tradit, regisq; crudelitatem perfidia defectionis ulciscitur. Quod ubi Astyages audiuit, contractis undiq; auxilijs, ipse in Persas proficiscitur, & repetito alacrius certamine, pugnantibus suis partem exercitus à tergo ponit, & in terguersantes ferro agi, ut in hostes iubet, ac nunciat suis, ni uicerint non minus fortes etiam post terga inuenturos, quàm à fronti bus uiros. pro'inde uideant fugientibus hæc, an illa pugnantibus acies rumpenda sit. Ingens, post necessitatem pugnandi, animus exercitui eius accessit. Pulsa itaq; cũ Persarum acies paulatim cederet, matres, & uxores eorum obuiam occurrunt. orant in prælium reuertantur. cunctantibus sublata ueste obscœna corporis ostendunt, rogantes num in uteros matrum, uel uxorum uelint refugere. Hac repressi castigatione in prælium redeunt, & facta impressione, quos fugiebant, fugere compellunt. In eo prælio Astyages capitur, cui Cyrus nihil aliud, nisi regnum abstulit, nepotemq; in illo magis, quàm uictorem se gessit. eumq; maxime genti Hyrcanorum præposuit. nam reuerti in Medos noluit. Hic finis Medorũ imperij fuit. Regnauerunt annis CCCL.

Initio regni Cyrus Sybarem cœptorum ſocium, quem iuxta nocturnum uiſum ergaſtulo liberauerat, comitemq́; in omnibus rebus habuerat, Perſis præpoſuit, ſororemq́; ſuam ei in matrimonium dedit. Sed ciuitates, quæ Medorum tributariæ fuerant, mutato imperio etiam conditionem ſuã mutatam arbitrantes à Cyro defecerunt. quæ res multorum bellorum Cyro cauſa & origo fuit. Domitis demum pleriſq;, cum aduerſus Babylonios bellum gereret, Babylonijs rex Lydorũ Crœſus, cuius opes & diuitiæ inſignes ea tempeſtate erãt, in auxilium uenit, uictusq́;, iam de ſe ſollicitus in regnum refugit. Cyrus quoq; poſt uictoriam compoſitis in Babylonia rebus, bellum transfert in Lydiam. Ibi fortuna prioris prælij pulſum iam Crœſi exercitum nullo negocio fundit. Crœſus ipſe capitur. ſed quanto bellum minoris periculi, tanto & mitior uictoria fuit, Crœſo & uita, & patrimonij partes, & urbs Berœa conceſſa ſunt, in qua & ſi non regiam uitam, tamen proximam maieſtati regiæ degeret. Hæc clementia nõ minus uictori, quàm uicto utilis fuit. quippe ex uniuerſa Græcia, cognito quod illatum Crœſo bellum eſſet, auxilia, uelut ad commune extinguendum incendium, confluebant. tantus Crœſi amor apud omnes urbes erat. paſſurusq́; Cyrus grane bellum Græciæ fuit, ſiquid in Crœſum crudelius conſuluiſſet. Interiecto deinde tempore, occupato in alijs bellis Cyro, rebellauere Lydij, quibus iterum uictis & arma, & equi adempti, iuſſiq́; cauponias, & ludicras artes, & lenocinia exercere. Et ſic gens induſtria quondam potens, & manu ſtrenua, effœminata mollitie, luxuriaq́; uirtutem pri-

stinam perdidit. & quos ante Cyrũ inuictos bella præstiterant, in luxuriam lapsos otium, ac desidia superauit. Fuere Lydijs multi ante Crœsum reges uarijs casibus memorabiles, nullus tamen fortuna Candauli comparandus. Hic uxorem suam, quam propter pulchritudinem nimiam deperibat, omnibus prædicare solebat. non contentus uoluptatum suarum tacita conscientia, nisi etiam matrimonij reticẽda publicaret, prorsus quasi silẽtium damnum pulchritudinis esset, ad postremum ut affirmationi suæ fidem faceret, eam Gygi, sodali suo nudam demonstrauit. Quo facto & amicum in adulterium uxoris illectum hostem sibi fecit, et uxorem, ueluti tradito alij amore, à se alienauit. Nam breui post tempore cædes Candaulis nuptiarũ præmium fuit. Vxor mariti sanguine dotata regnum uiri, & se pariter adultero tradidit. Cyrus subacta Asia, & uniuerso oriente in potestatem redacto, Scythis bellũ intulit. Erat autem eo tempore Scytharũ regina Tomyris, quæ non muliebriter aduẽtu hostium territa, cũ prohibere eos posset, uadũ Araxis fluminis transire pmisit, & sibi faciliorẽ pugnam intra regni sui terminos rata, & hostibus obiectu fluminis fugam difficiliorẽ. Itaq; Cyrus traiectis copijs, cum aliquantisper in Scythiã processisset, castrametatus est. Deinde postera die, cum simulato metu, quasi refugiens castra deseruisset, uini affatim, & ea, quæ erant epulis necessaria, reliqt. Quod cum renunciatum reginæ esset, adolescentulum filium ad insequendum eum, cum tertia parte copiarum, mittit. Cum uentum ad Cyri castra esset ignarus rei militaris adolescens, ueluti ad epulas, non ad præ-

lium uenisset, omissis hostibus insuetos barbaros uino
onerare se patitur. priusq; Scythæ ebrietate, quàm bel
lo uincuntur. Nam cognitis his Cyrus reuersus per no
ctem securos opprimit, omnesq; Scythas cum reginæ fi
lio interficit. amisso tanto exercitu, & (quod grauius
dolendum) unico filio Tomyris orbitatis dolorem non
in lachrymas effundit, sed in ultionis solatia intendit.
hostesq; recenti uictoria exultantes pari insidiarum
fraude circumuenit. quippe simulata diffidentia pro-
pter uulnus exceptum refugiens Cyrum ad usque an=
gustias produxit. Ibi compositis in montibus insidijs,
ducenta milia Persarum cum ipso rege trucidauit. In
qua uictoria etiam illud memorabile fuit, quod ne nun
cius quidem tantæ cladis superfuit. Caput Cyri am=
putatum in utrem humano sanguine repletum conijci
regina iubet, cum hac exprobatione crudelitatis. Sa-
tia te sanguine (inquit) quem sitisti, cuiusq; insatia-
bilis semper fuisti. Cyrus regnauit annis. XXX. non
initio tantum regni, sed continuo totius temporis suc=
cessu admirabiliter insignis. Huic successit filius Cam
byses, qui imperio patris Aegyptum adiecit, sed offen
sus superstitionibus Aegyptiorum Apis, cæterorumq;
deorum ædes dirui iubet. Ad Ammonis quoque nobi
lissimum templum expugnandum exercitum mittit.
qui tempestatibus & arenarum molibus oppressus
interijt. Post hæc per quietem uidit fratrem suum
Smerdem regnaturum. quo somnio exterritus non du
bitauit post sacrilegia etiam parricidium facere. erat
enim difficile ut parceret suis, qui contemptu religio-
nis crassatus etiam contra deos fuerat. Ad hoc tam

crudele ministerium, magum quendam ex amicis dele legit nomine Præxaspem. Interim ipse gladio sua sponte euaginato in femore grauiter uulneratus occubuit, pœnas'que luit seu imperati parricidij, seu sacrilegij perpetrati. Quo nuncio accepto, magus ante famam amissi regis, occupat facinus, prostratoq; Smerde, cui regnum debebatur, fratrem suum subiecit Horopastem. erat enim oris, & corporis lineamentis persimilis, ac nemine subesse dolum arbitrante, pro Smerde rex Horopastes cóstituitur. Quæ res eo occultior fuit, quod apud Persas persona regis sub specie maiestatis occulitur. Igitur magi, ad fauorem populi conciliandum, tributa, & militiæ uacationem in triennium remittunt. ut regnum, quod fraude quæsierant, indulgentia, & largitionibus confirmarent. quæ res suspecta primo Otani uiro nobili, & in coniectura sagacissimo fuit. Itaque per internuncios quærit à filia, quæ inter regias pellices erat, an Cyri filius rex esset. illa, nec se scire ipsam ait, nec ex alia posse cognoscere, quia singulæ separatim recludantur. Tum pertractare dormienti caput iubet. nam mago Cambyses aures utrasque præciderat. Factus deinde per filiã certior sine auribus esse regem, optimatibus Persarum rem indicat, & in cædem falsi regis impulsos sacramenti religione obstringit. Septem tantum conscij fuere huius coniurationis, qui ex continenti, ne dato in pœnitentiam spatio res per quenquam narraretur, occultato sub ueste ferro, ad regiam pergunt. Ibi obuijs interfectis ad magos perueniunt. quibus ne ipsis quidem animus in auxilium sui defuit. siquidem stricto ferro

duos

duos de coniuratis interficiunt. Ipsi tamen corripiũtur à pluribus, quorum alterum Gobryas medium amplexus cunctantibus socijs, ne ipsum pro mago transfoderent, q̃a res obscuro loco gerebatur, uel ꝑ suum corpus adigi mago ferrũ iussit. fortuna tamen ita regente, illo incolumi magus interficitur. Occisis magis magna quidem gloria recuperati regni principum fuit, sed multo maior in eo, q̃d, cum de regno ambigerent, concordare potuerunt. erant. n. & uirtute, & nobilitate ita pares, ut difficilem ex his populo electionem æqualitas faceret. Ipsi igitur uiã inuenerunt, qua de se iudiciũ religioni et fortunæ cõmitterent. Pacti inter se sunt, ut die statuta oẽs equos ante regiam primo mane ꝑducerent, & cuius equus ante solis ortum hinnitum primus edidisset, is rex esset. Nam & solem unum deũ Persæ esse credunt, et equos eidẽ deo sacratos ferunt. Erat inter coniuratos Darius Hystaspis filius, cui de regno sollicito eq̃ custos ait, si ea res uictoriã moraretur, nil negotij superesse. ꝑ noctem inde equum pridie ante constitutam diem ad eundẽ locum ducit, ibiq; equæ admittit, ratus ex uoluptate ueneris futurũ, quod euenit. Postera die cum ad statutam horã omnes uenissent, Darij equus cognito loco ex desiderio fœminæ hinnitũ statim edidit. &, segnibus alijs felix auspicium domino primus emisit. Tanta moderatio cæteris fuit, ut audito auspicio confestim equis desilierint, & Darium regem salutarint. Populus quoq; uniuersus secutus iudicium principum eundem constituit regem. sic regnum Persarũ septem nobilissimorum uirtute quæsitum tam leui momento in unum collatum est. Incredibile prorsus tanta patientia

cessisse eos, quod ut eriperent à magis, mori non recu sarint, q̃q̃ præter formam, uirtutemq́; hoc imperio dignam, & cognatio Dario iuncta cum pristinis regibus fuit. principio igitur regni Cyri regis filiam regalibus nuptijs regnum firmaturus in matrimonium recepit, ut non tam in extraneum translatum, q̃ in familiam Cyri reuersum uideretur. Interiecto deinde tempore cum Aßyrij desciuissent, et Babylonē occupassent, difficilisq́; urbis expugnatio esset, æstuante regi, unus de interfectoribus magorũ Zopyrus noïe, domi se uerberibus lacerari toto corpore iubet, nasumq́; et labia, & aures sibi præcidi, atq; ita regi inopinãti se offert. Attonitum, et quærētem Dariũ causas, authoremq́; tam fœdæ lacerationis, tacitus, quo proposito fecerit, edocet. formatoq́; in futurũ consilio transfugæ titulo Babylonem proficiscitur. Ibi ostendit populo laniatũ corpus. queritur crudelitatem regis, à quo in regni petitione nõ uirtute, sed auspicio, non iudicio hominum, sed hinnitu eq superatus sit. Iubet illos ex amicis exemplum capere, qd ab hostibus cauendum sit. hortatur ne mœnibus magis, quàm armis confidant, patianturq; se cõmune bellum recentiore ira gerere. Nota nobilitas uiri pariter & uirtus omnibus erat, nec de fide timebant, cuius ueluti pignora, uulnera corporis, et iniuriæ notas habebant. Constituitur ergo dux omniũ suffragio, et accepta parua manu semel atq; iterum, cædētibus ex consulto Persis, secunda prælia fecit. Ad postremum uniuersum sibi creditum exercitum regi prodidit, urbemq́; ipsam in potestatem eius redegit. Post hæc Darius rex bellũ Scythis infert, quod sequenti uolumine referetur.

N relatione rerum a Scythis gestarum,
quæ satis amplæ magnificæq; fuerunt,
principium ab origine repetendũ est. non
enim minus illustria initia, q̃ imperium
habuere, nec uirorum imperio magis, q̃
fœminarum uirtutibus claruere. quippe cum ipsi Par
thos Bactrianosq;, fœminæ autem eorum Amazonum
regna condiderint, prorsus res gestas uirorum mulie=
rumq; considerantibus incertum sit, uter apud eos se=
xus illustrior fuerit. Scytharum gens antiquissima sem
per habita, quãq̃ inter Scythas & Aegyptios diu con
tentio de generis uetustate fuerit. Aegyptijs prædicanti
bus initio rerũ, cum aliæ terræ nimio feruore solis ar
derent, aliæ rigerent frigoris immanitate, ita ut non
modo generare homines, sed ne aduenas quidem re-
cipere ac tueri possent, prius quàm aduersus calorem,
uel frigus uelamenta corporis inuenirentur, uel loco-
rum uitia quæsitis arte remedijs mollirentur. Aegy-
ptum ita temperatam semper fuisse, ut neq; hyberna
frigora, nec æstiui solis ardores incolas eius premerent,
Solum ita fecundum, ut alimentorum nulla terra fe-
racior sit in usus hominum. Iure igitur ibi primum
homines natos uideri debere, ubi educari facillime
possent. Contra Scythæ cæli temperamentum nul-
lum esse uetustatis argumentum putabant. quippe na
turam, cum primum incrementa caloris & frigo-
ris regionibus distinxerit, statim ad locorum pa-
tientiam animalia quæque generasse, sed & arbo-

rum atq; frugum pro regionum conditione apte genera uariata. & quanto Scythis sit cælũ asperius, quàm Aegyptijs, tanto & corpora, & ingenia esse duriora. Cæterum si quæ mundi nunc partes sunt, aliquando unitas fuit, siue illuuies aquarum, principio rerum, terras obrutas tenuit, siue ignis, qui & mundum genuit, cuncta possedit, utriusq; primordij Scythas origine præstare. Nam si ignis prima possessio rerum fuit, qui paulatim extinctus sedem terris dedit, nullam prius, q̃ septentrionalẽ partem hyemis rigore ab igne secretam, adeo ut nunc quoq; nulla magis rigeat frigoribus. Aegyptum uero & totum orientem tardissime temperatum, quippe qui etiam nunc torrenti calore solis exæstuent. Quod si omnes quondã terræ summersæ profundo fuerunt, profecto editissimam quãq; partem decurrentibus aquis prius detectam, humillimo autem solo eandem aquam diutissime immoratam. & quanto prior quæq; pars terrarum siccata sit, tanto prius animalia generare cœpisse. Porrò Scythiam adeo editiorẽ omnibus terris esse, ut cuncta flumina ibi nata in Mæotida, deinde in ponticum, & in ægyptium mare decurrant. Aegyptum autem, quæ tot regum, tot seculorũ cura, impensáq; munita sit, & aduersus uim decurrentium aquarum tantis instructa molibus, tot fossis concisa, ut cum his arceantur, illis recipiantur aquæ, nihilominus coli, nisi excluso nilo, non potuerit, non posse uideri hominum uetustate ultimam, quæ exaggerationibus regum, siue nili trahentis limum terrarũ recentissima uideatur. His igitur argumentis superatis Aegyptijs antiquiores semper Scythæ uisi. Scythia in orien

tem porrecta includitur ab uno latere Ponto, ab altero montibus Rhiphaeis. A tergo Asia & Tanai flumine, multum in longitudinem & latitudinem patet. Hominibus inter se fines nulli, neq; enim agrum exercent. nec domus illis ulla, aut tectum, aut sedes est, armenta & pecora semper pascentibus, & per incultas solitudines errare solitis. Vxores liberosq; secum in plaustris uehunt. quibus corijs, imbrium hyemisq; causa, tectis pro domibus utuntur. Iustitia gentis ingenijs culta, non legibus. Nullum scelus apud eos furto grauius, quippe sine tecto munimentoq; pecora & armenta inter syluas habentibus quid saluum esset, si furari liceret? Aurum & argentum perinde aspernantur, ac reliqui mortales appetunt. Lacte & melle uescuntur. Lanae ijs usus, ac uestium ignotus, & quanquam continuis frigoribus urantur, pellibus tamen felinis, aut murinis uestiuntur. Haec continentia illis morum quoq; iustitiam dedit, nihil alienum concupiscentibus. Quippe diuitiarum cupido ibi est, ubi & usus. Atq; utinam reliquis mortalibus similis moderatio et abstinētia alieni foret. profecto non bellorum tantum per omnia secula terris omnibus continuaretur, neq; plus hominum ferrum et arma, quàm naturalis fatorum conditio raperet. Prorsus ut admirabile uideatur hoc illis naturam dare, qđ Graeci longa sapientium doctrina, praeceptisq; philosophorū consequi nequeunt, cultosq; mores incultae barbariae collatione superari. Tanto plus in illis proficit uitiorum ignoratio, q̃ in his cognitio uirtutis. Imperium Asiae ter quaesiuere Scythae, ipsi perpetuo ab alieno imperio aut intacti, aut inuicti mansere. Darium re-

gem Persarum turpi à Scythia summouere fuga. Cyrum cum omni exercitu trucidarunt. Alexandri magni ducem Zopyriona pari ratione cum copijs uniuersis deleuerunt. Romanorum audiuere, non sensere arma. mox Parthicum & Bactrianum imperium ipsi condiderunt, gens & laboribus & bellis aspera. Vires corporũ immensæ, nihil parauere, quod amittere timeant, nihil uictores præter gloriam concupiscunt. Primus Scythis bellũ idixit Sesostres rex ægyptius, missis prius legatis, qui hostibus parendi legem dicerent. Sed Scythæ iam antea de aduẽtu regis à finitimus certiores facti, legatis respondent, tam opulenti populi ducem stolide aduersus inopes occupasse bellum, quod magis domi fuerit illi timendum, q̃d belli certamẽ anceps, præmia uictoriæ nulla, damna manifesta sint. Igitur non expectaturos Scythas, ut ad se ueniatur, cum tanto sibi in hoste plura cõcupiscenda sint, ultroq; prædæ ituros obuiam. Nec dicta res moratur, quos cum tanta celeritate uenire rex didicisset, in fugam uertitur, & exercitu cum omni apparatu belli relicto, in regnum trepidus se recepit. Scythas ab Aegypto paludes prohibuere. Exinde reuersi Asiã perdomitam uectigalem fecerũt, modico tributo magis in titulũ imperij q̃ in uictoriæ præmiũ imposito. Quindecim annis pacandæ Asiæ morati, uxorũ flagitatiõe reuocantur, per legatos denunciantiũ, ni redeant, sobolẽ se ex finitimis quæsituras, nec passuras, ut in posteritatẽ Scytharũ genus p fœminas intercidat. His igitur Asia p mille qngentos annos uectigalis fuit. Pendendi tributi finem Ninus rex Aßyriorum imposuit. sed apud Scythas medio

tempore

tempore duo regij iuuenes Plinos & Scholopythus per factionem optimatum domo pulsi ingentem iuuentutem secum traxere, & in Cappadociæ ora iuxta amnem Thermodoonta consedere, subiectosq; Themiscyrios campos occupauere. Ibi per multos annos spoliare finitimos consueti, conspiratione populorum per insidias trucidantur. Horum uxores cum uiderent exilio suo additam orbitatem, arma sumpsere, finesque suos, summouentes primo, mox inferentes bella, defendunt. Nubendi quoque finitimis animum omisere, seruitutē, non matrimonium appellantes. singulare omnium seculorum exemplū. auxere rempublicam sine uiris, eā etiam cum contemptu uirorum tuentur. & ne feliciores aliæ alijs uiderentur, uiros, qui domi remanserant, interficiunt. Vltionem quoq; cæsorum coniugum excidio finitimorum consequuntur. Tunc pace armis quæsita, ne gens interiret, concubitum finitimorum ineunt. Si qui mares nascerentur, interficiebantur. Virgines in eundem ipsarum morem non ocio neq; lanificio, sed armis, equis, uenationibus exercebant, inustis infantium dexterioribus mammis, ne sagittarum iactus impediretur, unde Amazones dictæ sunt. Duæ reginæ his fuere Marthesia & Lampedo, quæ, in duas partes agmine diuiso, inclytæ iā opibus uicibus gerebant bella, solæ alternis terminos defendentes, & ne successibus deesset authoritas, generatas se Marte prædicabant. Itaque maiore parte Europæ subacta, Asiæ quoque nonnullas ciuitates occupauere. Ibi Epheso multisq; alijs urbibus conditis, partem exercitus cum ingenti præda domum remittunt. Reliquæ, quæ ad tuēdum

Asiæ imperium remanserant, concursu barbarorum cum Marthesia regina interficiuntur. in cuius locum filia eius Orithya regno succedit, cui præter singularem belli industriam eximia seruatæ in omne æuũ uirginitatis admiratio fuit. Huius uirtute tantum additum gloriæ & famæ Amazonibus est, ut Herculi rex, cui. xij. stipendia debebat, quasi impossibile imperauerit, ut arma reginæ Amazonum sibi afferret. Igitur eo profectus longis nouẽ nauibus comitante principum Græciæ iuuẽtute inopinantes aggreditur. Duæ ex quatuor tunc sorores Amazonum regna tractabant. Antiope & Orithyia, quarum Orithyia foris bellum gerebat. Igitur cum Hercules ad litus Amazonum applicuisset, infrequens multitudo cum Antiope regina nihil hostile metuente erat. Quare effectum est, ut paucæ repentino tumultu excitatæ arma sumerent, facilemque uictoriam hostibus darent. Multæ itaq; cæsæ captæ'que, in his duæ captæ sunt Antiopæ sorores Melanippe ab Hercule, Hippolyte à Theseo. Sed Theseus obtenta, in præmium captiua eandem in matrimoniũ assumit. ex ea genuit Hippolytum. Hercules post uictoriam Melanippen captiuam sorori reddidit, & precium arma reginæ accepit. Atque ita imperio functus, ad regem reuertitur. Sed Orithyia ubi comperit bellum sororibus illatum, & raptorem esse Atheniensium principem, hortatur comites in ultionem, frustraq; Ponti sinum et Asiam domitam esse dicit, si Græcorum non tam bellis, q̃ rapinis pateant. Auxilium deinde à Sagillo rege Scytharum petit. Genus se Scytharum esse, cladem uirorũ, necessitatem

armorum,

armorum, belli causas ostendit. asse cutus'q; uirtute, ne se segniores uiris fœminas habere Scythæ uideantur. Motus ille domestica gloria mittit cum ingenti equitatu filium Penaxagorã in auxilium. sed ante prælium dissensione orta, ab auxilijs desertæ bello ab Atheniensibus uincuntur. receptaculum tamen habuere castra sociorum, quorum auxilijs intactæ ab alijs gentibus in regnũ reuertuntur. Post Orithyiã Penthesilea regno potita est, cuius Troiano bello inter fortissimos uiros, cum auxilium aduersus Græcos ferret, magnæ uirtutis documenta extitere. Interfecta demum Penthesilea exercituq; eius absumpto, paucæ, quæ in regno remanserant, ægre se aduersus finitimos defendẽtes, usq; ad tẽpora Alexandri magni durauerunt. Harũ Thalestris regina concubitu Alexandri per dies. xiij. ad sobolem ex eo generandã obtento reuersa in regnũ breui post tempore cum omni Amazonum nomine intercidit. Scythæ autem tertia expeditione asiana cum annis. VII. à coniugibus & liberis abfuissent, seruili bello domi excipiuntur. Quippe coniuges eorum longa expectatione uirorũ fessæ, nec iam teneri bello, sed deletos ratæ, seruis ad custodiam pecoris relictis nubunt, qui reuersos cũ uictoria dominos uelut aduenas armati finibus prohibent. Quibus cum uaria uictoria fuisset, admonentur Scythæ mutare genus pugnæ memores non cum hostibus, sed cũ seruis præliandum, nec armorũ sed dominorũ iure uincendos, uerbera in aciem non tela ferenda, omisso'q; ferro uirgas & flagella cæteraq; seruilis metus parãda instrumenta. Probato omnes consilio instructi (sicut præceptũ erat) posteaq̃ ad

hostes accessere inopinantibus uerbera intentant, adeoq́ illos perculerunt, ut quos ferro non poterant, metu uerberum uincerent, fugamq́; non ut hostes uicti, sed ut fugitiui serui capesserent. Quicunque capi potuerunt, supplicia crucibus luerunt. Mulieres quoque male sibi consciæ, partim ferro, partim suspendio uitam finierunt. Post hoc apud Scythas pax fuit, usque tempora Lanthini regis. huic Darius rex Persarum (sicuti dictum est) cum filiæ eius nuptias non obtinuisset, bellum intulit, & armatis septingentis milibus hominũ Scythiam ingressus, non facientibus hostibus pugnæ potestatem, metuens ne interrupto ponte Istri reditus sibi intercluderetur, amissis nonaginta milibus hominum trepide refugit. Quæ iactura, abundante multitudine, inter damna numerata non est. Inde Asiam & Macedoniam domuit. Ionas quoque nauali prælio superat. Demum cognito, quod Athenienses Ionibus auxilium contra se tulissent, omnem impetum belli in eos conuertit. Nunc quoniam ad bella Atheniensium uentum est, quæ non modo ultra spem gerendi, uerum etiam ultra gesti fidem peracta sunt, operaq́; Atheniensium effectu maiora quàm uoto fuerunt, paucis uerbis origo repetenda est, quia non (ut cæteræ gentes) à sordidis initijs ad summam creuere. Soli enim præter quàm incremento, etiam origine gloriantur. quippe non aduena, neque passim collecta populi colluuies originem urbi dedit, sed in eodem nati solo, quod incolunt, & quæ illis sedes, eadem origo est. Primi lanificij & olei & uini usum docuere. Arare quoq; & serere frumenta glande uescentibus monstrauerunt. Li

terræ certe ac facundia et ciuilis ordo disciplinæ ueluti templum Athenas habent. Ante Deucalionis tempora regem habuere Cecropem, quem (ut omnis antiquitas fabulata est) biformem prodidere, quia primus marem fœminæ matrimonio iunxit. Huic successit Cranaus, cuius filia Atthis regioni nomen dedit. Post hunc Amphictyon anno scilicet ante urbem conditam octingentesimo decimo regnauit, qui primus Mineruæ urbem sacrauit, & nomen ciuitati Athenas dedit. Huius temporibus aquarum illuuies maiorem partem populorum Græciæ absumpsit. Superfuere, quos refugia montium receperunt, aut ad regẽ Thessaliæ Deucalionẽ ratibus uecti sunt, à quo propterea genus hominum conditum dicitur. Per ordinem deinde successionis regnum ad Erechtheum descendit, sub quo frumẽti satio apud Eleusina à Triptolemo reperta est, in cuius muneris honorem noctes initiorum sacratæ. Tenuit & Aegeus Thesei pater Athenis regnum. à quo per diuortium decedens Medea, propter adultam priuigni ætatem, Colchos cum Medo filio ex Aegeo suscepto concessit. Post Aegeum Theseus, ac deinde Thesei filius Demophoon, qui auxilium Græcis aduersus Troianos tulit, regnum possedit. Erant inter Athenienses & Dorienses simultatum ueteres offensæ, quas uindicaturi bello Dorienses de euentu belli oracula consuluerunt. Responsum superiores fore, ni regem Atheniensium occidissent. Cum uentum esset in bellum, militibus ante omnia custodia regis præcipitur. Atheniensibus eo tempore rex Codrus erat, qui et responso dei, et præceptis hostium cognitis, permutato regis habitu,

pannosus, sarmenta collo gerens, castra hostium ingreditur. Ibi in turba obsistentiũ à milite, quem falce astu uulnerauerat, interficitur. Cognito regis corpore, Dorienses sine prælio discedunt. Atq; ita Athenienses uirtute ducis pro salute patriæ morti se offerentis, bello liberantur. Post Codrum nemo Athenis regnauit, quod memoriæ nominis eius tributũ est. administratio reipublicæ annuis magistratibus permissa est, sed ciuitati nullæ leges tũc erant, quia libido regũ pro legibus habebatur. eligitur itaq; Solon uir iustitia insignis, qui, uelut nouam ciuitatẽ legibus conderet, tanto temperamẽto inter plebem senatumq; egit, ut si qd pro altero ordine tulisset, & alteri displiciturũ uideretur, tamen ab utrisq; parem gratiam traheret. Huius uiri inter multa egregia & istud memorabile fuit. Inter Athenienses & Megarenses de proprietate Salaminis insulæ prope usq; ad interitũ ciuitatis armis dimicatum fuerat. Post clades multas capitale esse apud Athenienses cœpit, si quis legem de uindicanda insula tulisset. Solicitus igitur Solon ne aut tacendo parum reipublicæ consuleret, aut censendo periculum sibi afferret, subitam dementiam simulat, cuius uenia nõ dicturus modo prohibita, sed facturus erat. deformis habitu more uecordium in publicum euolat factoq; concursu hominum, quo magis consilium dissimularet, insolitis sibi uersibus suadere populo cœpit, quod uetabatur. omniumq; animos ita cepit, ut extemplo bellum aduersus Megarenses decerneretur, insulaque deuictis hostibus Atheniensium fieret. Interea Megarenses memores illati ab Atheniensibus belli, & uerit ne frustra arma

mouisse uideretur, matronas Atheniensium in Eleu-
sinijs sacris noctu oppressuri naues conscendunt. Qua
re cognita, dux Atheniensium Pisistratus iuuentutem in
insidijs collocat, iussis matronis solito clamore ac stre=
pitu et in accessu hostium, ne intellectos se sentiant,
sacra celebrare. egressosq; nauibus Megarenses inopi=
nantes aggressus deleuit, ac protinus classe captiua
intermixtis mulieribus, ut speciem captiuarum matro-
narum præberent, Megara contendit. Illi cum nauium
formam & petitam prædam agnoscerent, obuij ad
portum procedunt. quibus cæsis, Pisistratus paulum
à capienda urbe abfuit. Ita Megarenses suis dolis hosti
uictoriam dedere. Sed Pisistratus, quasi sibi nō patriæ
uicisset, Tyrānidem per dolum occupat. Quippe uerbe
ribus uoluntarijs domi affectus, laceratoq; corpore,
in publicum progreditur, & aduocata concione uulne
ra populo ostendit de crudelitate principum, à qui=
bus hoc se passum simulabat, queritur. addūtur uoci-
bus lachrymæ, & inuidiosa oratione multitudo credu
la incenditur. amore plebis inuisum se senatui affir-
mat. obtinet ad custodiam corporis sui satellitum auxi
lium, per quos occupata Tyrānide per annos. xxxiiij.
regnauit. Post eius mortem Diocles alter ex filijs, per
uim stuprata uirgine, à fratre puellæ interficitur. Al
ter Hippias nomine, cum imperium paternum tene-
ret, interfectorem fratris comprehendi iubet. Qui cū
per tormenta conscios cædis nominare cogeretur, om=
nes amicos tyranni nominauit. Quibus iterfectis, quæ
rēti tyrāno, an adhuc aliqui conscii essent, nemo ait
superest, quem amplius mori gestiam, q̄ ipsum tyrā=

num. Qua uoce, eiusdem tyranni se uictorem post uin dictam pudicitiæ sororis ostendit. Huius uirtute cum admonita ciuitas libertatis esset, tandem Hippias regno pulsus in exilium agitur. Qui profectus in Persas ducem se Dario inferenti Atheniensibus bellum (sicuti supra significatum est) aduersus patriam suã offert. Igitur Athenienses audito Darij aduentu, auxilium à Lacedæmonijs, socia tunc ciuitate, petierunt. Quos ubi uiderunt quatridui teneri religione, non expectato auxilio instructis decem milibus ciuium, et Platæẽsibus auxiliarijs, mille aduersus sexcẽta milia hostiũ in campos marathonios in prælium egrediuntur. Milciades & dux belli erat, & author non expectandi auxilij, quem tanta fiducia ceperat, ut plus præsidij in celeritate, q̃ in socijs duceret. Magna igitur currentibus in pugnam alacritas animorum fuit, adeo, ut cum mille passus inter duas acies essent, citato cursu, ante iactum sagittarum ad hostem uenirent. nec audaciæ eius euentus defuit. pugnatum est enim tanta uirtute, ut hinc uiros, inde pecudes putares. Victi Persæ in naues confugerunt. ex quibus multæ summersæ, multæ captæ. In eo prælio tanta uirtus singulorum fuit, ut cuius laus prima esset, difficile iudicium uideretur. Inter cæteros tamen Themistoclis adolescentis gloria emicuit, in quo iam tunc indoles futuræ imperatoriæ uirtutis apparuit. Cynogiri quoq; militis atheniensis gloria magnis scriptorũ laudibus celebrata est, qui post prælij innumeras cædes, cum fugientes hostes ad naues egisset, onustã nauẽ dextra manu tenuit, nec prius dimisit, q̃ ma

nium amitteret. Tum quoq; amputata dextra, nauem sinistra comprehendit, quam & ipsam cum amisisset, ad postremũ morsu nauẽ detinuit. Tãtã in eo uirtutẽ fuisse, ut non tot cædibus fatigatus, non ambabus manibus amissis uictus, ad postremum truncus, & ueluti rabida fera dentibus dimicauerit. Ducenta milia Persæ eo prælio, sine nauigio amiserunt. Cecidit & Hippias tyrãnus Atheniẽsis author et cõcitator eius belli, dijs patriæ ultoribus pœnas repetentibus. interea & Darius, cum bellũ restauraret, in ipso apparatu decidit, relictis multis filijs, & in regno, & ante regnum susceptis. Ex his ArtabaZanes maximus natu, ætatis priuilegio, regnum sibi uindicabat. quod ius & ordo nascendi, & natura ipsa gentibus dedit. Porro Xerxes controuersiã non de ordine, sed de nascẽdi felicitate referebat, nanq; ArtabaZanẽ primum quidẽ Dario, sed priuato prouenisse, se regi primũ natum. Fratres itaq; suos, qui ante geniti essent priuato, priuatum patrimonium, quod eo tempore Darius habuisset, non regnum sibi uindicare posse. se esse primum, quem in regnum rex pater sustulerit. Huc accedere, quod ArtabaZanes non patre tantum, sed & matre priuatæ adhuc fortunæ, auo quoq; materno priuato creatus sit. se uero & matre regina natũ, et patrẽ non nisi regem uidisse. Auum quoq; maternũ Cyrũ regem habuisse, non hæredem, sed conditorem tanti regni. Itaq; & si æquo iure utrunq; fratrem pater reliquisset, materno se tamẽ iure & auito uincere. Hoc certamẽ concordi animo ad patruum suum Artaphernẽ, ueluti ad domesticum iudicem, deferunt. qui domi cognita causa Xerxem præ-

posuit. adeóq; fraterna cõtentio fuit, ut nec uictor exul tauerit, nec uictus indoluerit, ipsóq; litis tempore inuicem munera miserint, & iucunda quoq; inter se, nõ solum credula conuiuia habuerint, iudiciũ quoq; ipsum sine arbitris, sine conuitio fuerit. Tãto moderatius tum fratres inter se regna maxima diuidebant, quanto nũc exigua patrimonia partiuntur. Igitur Xerxes bellum à patre acceptum aduersus Græciam per quinquennium instruxit, quod ubi primum didicit Demaratus rex Lacedæmoniorum, qui apud Xerxem exulabat, amicior patriæ post fugam, q̃ regi post beneficia, ne inopinato bello opprimerentur, omnia in tabellis ligneis magistratibus præscribit, eademq; cæra superinducta delet, ne aut scriptura sine tegmine indicium daret, aut recens scripta cæra dolum proderet. fido deinde seruo perferendas tradit, iusso magistratibus Spartanorum tradere. Quibus perlatis Lacedæmona, quæstioni res diu fuit, quod neq; scriptum aliquid uiderẽt, nec frustra missas suspicarentur, tantóq; rem maiorẽ, quanto sit occultior, putabant. Hærentibus in coniectura uiris, soror regis Leonidæ consilium scribentis inuenit. Erasa igitur cæra belli consilia deteguntur. Iam Xerxes septingenta millia de regno armauerat, & trecenta millia de auxilijs, ut non immerito proditum sit, flumina ab exercitu eius siccata, Græciãq; omnem uix capere exercitum eius potuisse. Naues quoq; decies centum milliũ numero habuisse dicitur. Huic tanto agmini dux defuit. cæterum si regem spectes, diuitias nõ ducem laudes, quarum tanta copia in regno eius fuit, ut cum flumina multitudine consumerentur, opes tamen regiæ superessent.

peressent. Ipse autem primus in fuga, postremus in prælio semper uisus est. In periculis timidus. Sicubi metus abesset, inflatus. Denique ante experimentum belli fiducia uirium, ueluti naturæ ipsius dominus, & montes in planum deducebat, & conuexa uallium æquabat, & quædam maria pontibus sternebat, quædam ad nauigationis commodum per compẽdium ducebat. Cuius introitus in Græciam quàm terribilis, tam turpis ac fœdus discessus fuit. Nãq; cũ Leonida rex Spartanorũ cum quatuor milibus militum angustias Thermopylarum occupasset, Xerxes, contemptu paucitatis, eos pugnam capessere iubet, quorum cognati Marathonia pugna interfecti fuerunt. qui dũ ulcisci suos quærunt, principium cladis fuere. Succedente deinde inutili turba, maior cædes editur. Triduo ibi cum dolore, & indignatione persarum dimicatum. quarto die cum nunciatum esset Leonidæ à .XX. milibus hostium summum cacumen teneri, tunc hortatur socios recedant, & se ad meliora patriæ tempora reseruent, sibi cum Spartanis fortunam experiendam, plura se patriæ quàm uitæ debere, cæteros ad præsidia Græciæ seruandos. Audito regis imperio discessere cæteri. soli Lacedæmonij remanserunt. Initio huius belli, sciscitantibus Delphis oracula, responsum fuerat, aut regi Spartanorum aut urbi cadendum. Et iccirco cum rex Leonidas in bellum proficisceretur, ita suos firmauerat, ut ire se parato ad moriendum animo scirent. angustiasq; propterea occupauerat, ut cum paucis aut maiore gloria uinceret, aut minore damno Reip. caderet. Dimissis igitur socijs, hortatur Spartanos, memine-

rint, qualitercunq; præliarentur, cadendum esse, cauerent ne fortius mansisse, quàm dimicasse uideantur. nec expectandum, ut ab hoste circumuenirentur, sed, dum nox occasionem daret, securis & lætis superueniendũ. nusquam uictores honestius, quàm in castris hostium perituros. Nihil erat difficile persuadere persuasis mori. statim arma capiunt, & sexcenti uiri castra quingentorum milium irrumpunt. statimq; regis prætorium petunt, aut cum illo, aut si ipsi oppressi eẽnt, in ipsius potissimum sede morituri. Tumultus totis castris oritur. Spartani posteaquam regem non inueniunt, per omnia castra uictores uagantur, cædunt. sternuntq; oĩa, ut qui sciant se pugnare, non spe uictoriæ, sed in mortis ultionem. Prælium à principio noctis, in maiorem partem diei tractum. ad postremum non uicti, sed uincẽdo fatigati inter ingentes stratorum hostium cateruas occiderunt. Xerxes, duobus uulneribus terrestri prælio acceptis, experiri maris fortunam statuit. Sed Atheniensium dux Themistocles, cum animaduertisset Ionas, propter quos bellum Persarum rex susceperat, in auxilium regis classe uenisse, solicitare eos in partes suas statuit. & cum colloquẽdi copiam non haberet, quo applicituri erant, symbola proponi, & saxis proscribi curat, quæ uos Iones dementia tenet? quod facinus agitatis? bellum inferre olim conditoribus uestris, nuper etiam uindicibus, cogitatis? an ideo mœnia uestra condidimus, ut essent, qui nostra delerent? Quid, si non hæc & Dario prius, & nunc Xerxi belli causa nobiscum foret, quod uos rebellantes non destituimus? quin uos in hæc nostra castra ex ista

obsidione

obſidione tranſitis? aut ſi hoc parum tutum eſt, at uos commiſſo prælio ite ceſſim, inhibete remos, & à bello diſcedite. Ante naualis prælij congreſſionem, miſerat Xerxes quatuor milia armatorum Delphos ad templum Apollinis diripiendum, prorſus quaſi non cum Græcis tantum, ſed cum dijs etiam immortalibus bellum gereret. Quæ manus tota imbribus & fulminibus deleta eſt, ut intelligeret quanto grauior offenſa deorum eſſet, tanto nullas eſſe hominum aduerſus deos uires. Poſt hæc Theſpias, & Platæas, & Athenas uacuas hominibus incendit. & quoniam ferro non poterat in homines, in ædificia igne craſſatur. nãq; Athenienſes poſt pugnam Marathoniam, præmonente Themiſtocle uictoriam illam de Perſis non finem, ſed cauſam maioris belli fore, CC. naues fabricauerant. Aduẽtante igitur Xerxe conſulẽtibus Delphis oraculum, reſponſum fuerat, ſalutem muris ligneis tuerentur. Themiſtocles nauium præſidiũ demonſtratum ratus, perſuadet omnibus, patriam municipes eſſe non mœnia, ciuitatemq; non in ædificijs, ſed in ciuibus poſitam. Melius itaq; ſalutem nauibus, quàm urbi commiſſum iri, huius ſententiæ etiam deum authorem eſſe. Probato cõſilio, coniuges liberosq; cum pretioſiſſimis rebus abditis inſulis, relicta urbe, demandant. Ipſi naues armati conſcendunt. Exemplum Athenienſium & aliæ urbes imitatæ. Itaque cum adunata omnis ſociorum claſſis, & intenta in bellum nauale eſſet, anguſtiasq; ſalaminij freti, ne circumueniri à multitudine poſſent, occupaſſent, diſſenſio inter ciuitatum principes oritur. qui cum deſerto bello ad ſua tuenda dilabi uellent, timens

Themistocles, ne discessu sociorũ uires minuerẽtur, per seruum fidum Xerxi nunciat, uno in loco eum contractã Græciam posse capere facillime. quod si ciuitates, quæ iam abire uellent, dissipentur, maiore labore ei singulas consectandas. Hoc dolo impellit regem signum pugnæ dare. Græci quoque aduentu hostium occupati prælium collatis uiribus capessunt. Interea Rex uelut spectator pugnæ cum parte nauium in littore remanet. Artemisia autem regina Halicarnassi, quæ in auxiliũ Xerxi uenerat, inter primores duces bellum acerrime ciebat. quippe ut in uiro muliebrem timorem, ita in muliere uirilem audaciam cerneres. Cũ anceps præliũ esset, iones iuxta præceptum Themistoclis pugnæ se paulatim subtrahere cœperunt. quorum defectio animos cæteris fregit. Itaq; circunspicientes fugam pelluntur Persæ, & mox prælio uicti, in fugam uertuntur. In qua trepidatione multæ summersæ naues, multæ captæ sunt. plures tamen non minus sæuitiam regis q̃ hostem timentes, domum dilabuntur. Hac clade perculsum et dubium consilij Xerxem Mardonius aggreditur. hortatur ut in regnum abeat, ne quid seditionis moueat fama aduersi belli, in maius (sicuti mos est) omnia extollens. sibi. ccc. milia armatorum lecta ex omnibus copijs relinquat. qua manu, aut cũ gloria eius perdomiturum se Græciã, aut si aliter euentus ferat, sine eiusdem infamia hostibus cessurum. Probato consilio, Mardonio exercitus traditur, reliquas copias rex ipse reducere in regnum parat. Sed Græci audita regis fuga, consiliũ ineunt pontis interrumpendi, quem ille Abydo uelut uictor maris fecerat, ut intercluso re

ditu,

ditu, aut cum exercitu deleretur, aut desperatione rerum, pacem uictus petere cogeretur. Sed Themistocles timens, ne interclusi hostes desperationem in uirtutem uerterent, & iter, qđ aliter non pateret, ferro patefacerent, satis multos hostes in Græcia remanere dictitans, nec augeri numerum retinendo oportere, cũ uincere consilio cæteros nõ posset, eundem seruum ad Xerxem mittit, certioremq́; consilij facit, & occupare transitum matura fuga iubet. Ille perculsus nuncio, tradit ducibus milites perducendos, ipse cum paucis Abydon contendit. ubi cum solutum pontem hybernis tempestatibus offendisset, piscatoria scapha traiecit trepidus. Erat res spectaculo digna, & ad æstimationem rerũ humanæ sortis uarietate miranda, in exiguo latentem uidere nauigio, quem paulo ante uix æquor omne capiebat, carentem etiam omni seruorum ministerio, cuius exercitus propter multitudinem terræ grauis erat. nec pedestribus copijs, quas ducibus assignauerat, felicius iter fuit. siquidẽ cotidiano labori (neq; enim ulla est metuentibus quies,) etiam fames accesserat. Multorum deinde dierum inopia contraxerat & pestem, tantaq́; foeditas morientium fuit, ut uiæ cadaueribus implerentur, alitesq́; & bestiæ escæ illecebris sollicitatæ exercitum sequerẽtur. Interim Mardonius Olynthum in Græcia expugnat. Athenienses quoque in spẽ pacis amicitiamq́; regis sollicitat, spõdens incensæ eorũ urbis etiam in maius restitutionem. Posteaq̃ nullo precio libertatem uidit his uenalem, incensis, quæ ædificare cœperat, copias in Bœotiam transfert. Eo & Græcorũ exercitus, qui centum miliũ fuit, secutus est. Ibiq;

prælium commissum, sed fortuna regis cum duce mutata non est. nam uictus Mardonius, uelut ex naufragio cum paucis profugit, castra referta regali opulentia capta. unde primum Græcos, diuiso inter se auro persico, diuitiarum luxuria cepit. Eodem forte die, quo Mardonij copiæ deletæ sunt, etiam nauali prælio in Asia sub monte Mycale aduersus Persas dimicatum est. Ibi ante congressionem, cum classes ex aduerso starent, fama ad utrunq; exercitum uenit uicisse Græcos, & Mardonij copias occidione occidisse. Tantam famæ uelocitatem fuisse, ut cum matutino tempore prælium in Bœotia commissum sit, meridianis horis in Asia, per tot maria, & tantum spatij, tam breui horarum momento de uictoria nunciatum sit. Confecto bello, cũ de præmijs ciuitatum ageretur omnium iudicio Atheniẽsium uirtus cæteris prælata. Inter duces quoq; Themistocles princeps cunctorum testimonio iudicatus, gloriã patriæ suæ auxit. Igitur Atheniẽses aucti, et præmijs belli & gloria, urbem ex integro condere moliuntur. Cum mœnia maiora sibi complexi fuissent, suspecti esse Lacedæmonijs cœpere, recte reputantibus, quibus ruina urbis tãtũ incrementi dedisset, quãtũ sit datura munita ciuitas. mittunt ergo legatos, qui monerent, ne munimenta hostibus & receptacula futuri rursus belli causam extruant. Themistocles, ut uidit spei urbis inuideri, non existimans abrupte agendum, respondit legatis, ituros Lacedæmona, qui de ea re pariter cum illis consulant. Sic dimissis Spartanis, hortatur suos, ut opus maturent. Deinde ipse, interiecto tempore, in legationem proficiscitur. Et nunc in itinere infirmitate

simulata,

simulata, nunc tarditatem collegarũ accusans, sine q̃bus agi iure nihil possit, diem de die proferẽdo spaciũ consumando operi quærebat, cum interim nunciatur Spartanis opus Atheniensium maturari. Propter quod denuo legatos mittunt ad inspiciendam rẽ. Tum Themistocles per seruum magistratibus scribit Atheniensium, legatos uinciant, pignusque teneant, ne in se grauius consulatur. Adit deinde concionem Lacedæmoniorum, indicat permunitas Athenas esse, et posse illatum non armis tantum, sed etiam muris bellum sustinere. Si quid ob eam rem de se crudelius statuerent, legatos eorum Athenis in hoc pignus retentos. Grauiter deinde castigat eos, q non sua uirtute, sed imbecillitate sociorum potentiam quærerent. Sic dimissus, ueluti triumphatis Spartanis, à ciuibus excipitur. Post hæc spartani ne uires ocio corrumperent, & ut bis illatum à Persis Græciæ bellum ulciscerentur, ultro fines eorum depopulantur. Ducem suo sociorumq; exercitui deligunt Pausaniam, qui pro ducatu regnum Græciæ affectans, proditionis præmium cum Xerxe nuptias filiæ eius paciscitur redditis captiuis, ut fides regis aliquo beneficio obstringeretur. Scribit præterea Xerxi, quoscunq; ad se nuncios misisset, interficeret, ne res loquacitate hominum proderetur. Sed dux Atheniẽsium Aristides belli socius electus collegæ conatibus obuiam eundo, simul & in rem sapienter consulendo, proditionis cõsilia discussit. nec multo post accusatus Pausanias damnatur. Igitur Xerxes cum proditionis dolum publicatum uideret, ex integro bellum instituit. Græci quoq; ducem constituunt Cimona Atheniensem filium

Miltiadis (quo duce apud Marathonem pugnatum est) iuuenem, cuius magnitudinem futuram pietatis documenta prodiderunt. quippe patrem ob crimen peculatus in carcerem coniectum, ibiq; defunctum, translatis in se uinculis, ad sepulturam redemit. Nec in bello iudicium deligentium fefellit. siquidem non inferior uirtutibus patris Xerxem terrestri naualiq; bello superatum trepidum se recipere in regnum coëgit.

LIBER TERTIVS.

Xerxes Rex Persarũ terror antea gentium bello in Græcia infeliciter gesto, etiã suis contemptui esse cœpit. Quippe Artabanus præfectus eius, deficiente cotidie regis maiestate, in spem regni adductus cũ septem robustissimis filijs regiã uesperi ingreditur, nã amicitiæ iure semper illi patebat, trucidatoq; rege, uoto suo obsistentes filios eius dolo aggreditur. Securior de Artaxerxe puero admodũ, fingit regem à Dario, q erat adolescens, quo maturius regno potiretur, occisum. & impellit Artaxerxem parricidium parricidio uindicare. Cũ uentum esset ad domum Darij, dormiens inuentus, quasi somnum fingeret, interficitur. Deinde cum unũ ex regis filijs sceleri suo superesse Artabanus uideret, metueretq; de regno certamina principum, assumit in societatem consilij Bacabassum, qui præsenti statu contentus rem prodit Artaxerxi, ut pater eius occisus sit, ut frater falsa parricidij suspicione oppressus, ut deniq; ipsi pararentur insidiæ. His cognitis

Artaxerxes

Artaxerxes uerens Artabani, numerum filiorum in posterum diem paratum esse exercitum armatum'q; iubet, recogniturus & numerum militum, & in armis industriam singulorũ. Itaq; cum inter cæteros & ipse Artabanus armatus assisteret, rex simulat se breuiorẽ loricã habere, iubet Artabanũ secum cõmutare. exuentem se ac nudatum gladio traijcit. tum & filios eius corripi iubet, atq; ita egregius adolescens, & cædẽ patris, & necem fratris, et se ab insidijs Artabani uindicauit. dum hæc in Persis geruntur, interea Græcia omnis ducibus Lacedæmonijs & Atheniensibus in duas diuisa partes, ab externis bellis, uelut ĩ uiscera, sua arma conuertit. Fiunt igitur de uno populo duo corpora, & eorundem castrorum homines in duos hostiles exercitus diuiduntur. Hinc Lacedæmonij cõmunia quondam ciuitatum auxilia ad uires suas trahebant. Inde Athenienses, & uetustate generis, & gestis rebus illustres, proprijs uiribus confidebant. Atq; ita duo potentissimi Græciæ populi institutis, Solonis & Lycurgi legibus pares, ex æmulatione uirium in bellum ruebant. Nãq; Lycurgus, cum fratri suo Polydectæ Spartanorum regi successisset, regnum'q; sibi uindicare potuisset, Charilao filio eius, qui natus posthumus fuerat, cum ad ætatem adultã uenisset, regnũ summa fide restituit, ut intelligerent oẽs, q̃to plus apud bonos pietatis iura, q̃ opes ualerent. Medio igitur tpe dum infans coalescit, tutelã'q; eius administrat, nõ habẽtibus Spartanis leges instituit, nõ inuentione earũ magisq̃ exẽplo clarior. Siqdem nihil lege ulla in alio sanxit, cuius nõ ipse primus in se documenta daret. Populum in obsequia

principum, principes ad iustitiam inferiorũ formauit. Parsimoniã omnibus suasit, existimans laborẽ militiæ assiduæ frugalitatis cõsuetudine faciliorẽ fore. Emi singula non pecunia, sed cõpensatione merciũ iussit. Auri argentiq; usum, uelut omniũ scelerum materiam sustulit. Administrationem Reip. p ordines diuisit. Regibus potestatem bellorũ, magistratibus iudicia et annuas successiones, senatui custodiã legum, populo legendi senatum, uel creãdi, quos uellet magistratus, potestatem pmisit. Fundos omniũ æqualiter inter oẽs diuisit, ut æquata patrimonia neminem potentiorẽ altero redderent. Cõuiuari oẽs publicæ iussit, ne cui diuitiæ, uel luxuria in occulto essent. Iuuenibus nõ amplius una ueste uti toto anno pmissum, nec quẽq̃ cultius, q̃ alterũ progredi, nec epulari opulẽtius, ne imitatio i luxuriã uerteretur. Pueros puberes nõ in forũ, sed in agrũ deduci præcepit, ut primos annos nõ in luxuria, sed in ope & in laboribus agerent. Nihil eos somni cã substernere, et uitam sine pulmento degere, neq; prius in urbẽ redire, q̃ uiri facti essent, statuit. Virgines sine dote nubere iussit, ut uxores eligerentur, non pecunia, seueriusq; matrimonia sua uiri coërcerent, cum nullis dotis frenis tenerentur. Maximum honorem non diuitum & potentium, sed pro gradu ætatis senum esse uoluit. Nec sanè usq̃ terrarum locum honoratiorem senectus habet. Hæc quoniam primo solutis antea moribus dura uidebantur esse, authorem eorũ Apollinem delphicũ fingit, & inde se ea ex præcepto numinis detulisse, ut consuescendi tedium metus religionis euincat. Deinde ut æternitatem legibus suis daret, iureiurando obligat

ciuitatem, nihil eos de eius legibus mutaturos, priusq̃ reuerteretur, & simulat se ad oraculum delphicum proficisci, consulturum quid addendum mutandumq́; legibus uideretur. Proficiscitur autem Cretam. Ibiq; perpetuum exilium egit, abijciq; in mare ossa sua moriens iussit, ne relatis Lacedæmona solutos se Spartani religione iurisiurandi in dissoluendis legibus arbitrarentur. His igitur moribus ita breui ciuitas conualuit, ut cum Messenijs, propter stupratas uirgines suas in solemni Messeniorum sacrificio, bellum intulissent, grauissima se execratione obstrinxerint, non prius q̃ Messenen expugnassent reuersuros, tantum sibi uel de uiribus suis, uel de fortuna spondentes. Quæ res initium dissensionis Græciæ & intestini belli causa et origo fuit. Itaq; cum contra præsumptionem suam, annis. X. in obsidione urbis tenerentur, & querelis uxorum post tam longam uiduitatem reuocarentur, ueriti ne hac perseuerantia belli grauius sibi, q̃ Messenijs nocerent, quippe illis quantum iuuentutis bello intercidat, mulierum fœcunditate suppleri, sibi & belli damna assidua, & fœcunditatem uxorum absentibus uiris nullam esse. legunt iuuenes ex eo genere militum, qui post iusiurandum in supplementum uenerant, q̃bus Spartam remissis promiscuos omnium fœminarũ concubitus p̃misere, maturiorẽ futurã conceptionẽ rati, si eã singulæ p plures uiros experirentur. Ex his nati ob notã materni pudoris Partheníj sunt uocati. qui cũ ad annos XXX. peruenissent, metu inopiæ (nulli. n. pater existebat, cuius in patrimoniũ successio speraretur) ducem Phalantum assumunt filiũ Arati, qui au-

thor Spartanis fuerat iuuentutis ad generandam ser=uandamq; sobolē domum remittendæ. ut sicuti dudum patrem eius nascendi habuissent authorem, sic ipsum spei ac dignitatis suæ haberent. Itaq; nec salutatis matribus, quarū adulterio infamiam collegisse uidebātur, ad sedes reqrendas proficiscuntur, diuq; & per uarios casus iactati, tandem in Italiā deferuntur, & occupata arce Tarētinorū, expugnatis ueteribus incolis, sedes sibi constituunt. Sed post annos plurimos dux eorū Phalantus per seditionem in exiliū perturbatus, Brundusium se contulit, quo expulsi sedibus suis ueteres tarentini concesserant. Is moriens persuadet, ut ossa sua postremasq; reliquias conterant, & tacite spargi in foro tarentinorum curent. hoc enim modo recuperare illos patriam suam posse Apollinem Delphis cecinisse. Illi arbitrantes eum in ultionem sui fata ciuium prodi=disse, præceptis paruere. Sed oraculi diuersa sententia fuerat. perpetuitatem enim urbis, non amissionem hoc facto promiserat. Ita ducis exulis consilio, & hostium ministerio possessio tarentina Partheniis in æternum fundata. ob cuius beneficij memoriam Phalanto diuinos honores decreuere. Interea Messenij cum uirtute nō possent, per insidias expugnantur, Deinde cum per annos. LXXX. grauia seruitutis uerbera plerūq; uincula cæteraq; captiuitatis, mala perpessi essent, post lōgam pœnarum patientiam bellum instaurant. Lace=dæmonij quoq; eo conspirantius ad arma concurrūt, quod aduersus seruos dimicaturi uidebātur. Itaq; cum hinc iniuria, inde indignitas animos acueret, Lacedæmonij, de belli euentu oraculo Delphis consulto, iuben-

tur ducem belli ab Atheniensibus petere. Porro Athe nienses cum responsum cognouissent, in contemptum Spartanorum Tyrtæum poetam claudum pede mise re, qui tribus prælijs fusus, eo usq; desperationis Sparta nos adduxit, ut ad supplemẽtum exercitus seruos suos manumitterent. Hisq; interfectorum matrimonia pol= licerentur, ut non numero tantum amissorum ciuium, sed etiã dignati succederent. Sed reges Lacedæmoniorũ, ne contra fortunam pugnando maiora detrimenta ci- uitati infligerent, reducere exercitum uoluerunt, ni in- teruenisset Tyrtæus, q cõposita carmina exercitui pro concione recitauit. In quibus hortamenta uirtutis, dam norum solatia, belli consilia conscripserat. Itaque tan- tum ardorem militibus iniecit, ut non de salute, sed de sepultura solliciti tesseras, in sculptis suis & patrum nominibus dextero brachio deligarent. ut si omnes ad uersum prælium consumpsisset, & temporis spatio con fusa corporum lineamenta essent, ex indicio titulorum tradi sepulturæ possent. Cum sic animatum reges exer citum uiderent, curant rem hostibus nunciari. Messenijs autem non timorem res, sed æmulationem mutuam dedit. Itaque tantis animis concursum est, ut raro un- quam cruentius prælium fuerit. Ad postremum tamẽ uictoria Lacedæmoniorum fuit. Interiecto tempore, tertium quoque bellum Messenij reparauere. In cuius auxiliũ Lacedæmonij, inter reliquos socios etiã Athe niẽses adhibuere. quorum fidem cum suspectam habe rent, superuacaneos eos simulantes à belo dimiserũt. Hanc rem Athenienses grauiter ferentes, pecuniam, quæ erat in stipendium persici belli ab uniuersa Græ-

cia collata, à Delo Athenas transferunt, ne deficientibus à fide societatis Lacedæmonijs prædæ ac rapinæ esset. Sed nec Lacedæmonij quieuere, cum Messeniorum bello occupati essent, Peloponnenses immisere, qui bellum Atheniẽsibus facerent. Paruæ tunc temporis, classe in Aegyptum missa, uires Atheniensibus erant. Itaq; nauali prælio dimicantes, facile superantur. Interiecto deinde tempore, post reditum suorũ aucti, et classis & militum robore, prælium reparant. Iam & Lacedæmonij, omissis Messenijs, aduersus Athenienses arma uerterant. diu uaria uictoria fuit. ad postremũ æquo marte utrinque discessum. Inde reuocati Lacedæmonij ad Messeniorum bellum, ne medium tempus ociosum Atheniensibus relinquerent, cum Thebanis paciscuntur, ut Bœotiorum imperium his restituerent, quod tẽporibus Persici belli amiserant, ut illi Atheniensium bella susciperent, tantus furor Spartanorum erat, ut duobus bellis implicati, suscipere tertium non recusarent, dummodo inimicis suis hostes acquirerent. Igitur Athenienses aduersus tantam tempestatem belli duos duces deligunt, Periclem spectatæ uirtutis uirum, & Sophoclem scriptorem tragœdiarum. qui diuerso exercitu & Spartanorum agros uastauerunt, & multas Achaiæ ciuitates Atheniensium imperio adiecerunt. His malis fracti Lacedæmonij in annos. XXX. pepigerunt pacem. Sed tam longum ocium inimicitiæ non tulerunt. Itaq; intra. XV. annos rupto fœdere cũ contemptu deorum hominumq; fines atticos populantur. Et ne prædam potius q̃ pugnam expetisse uiderentur, hostes ad prælium uocant. Sed Athenienses consilio Peri-

clis ducis populationis iniuriam differunt in tempus ultionis, se peruacuam pugnam existimantes, cum ulcisci hostem sine periculo possent. Deinde interiectis diebus naues cõscendũt, et nihil sentiẽtibus Lacedæmonijs, totam Spartam deprædantur. multóq; plura auferunt, q̃ amiserant. Prorsus ut in comparatione damnorum longe pluris fuerit ultio q̃ iniuria. Clara quidem hæc Periclis expeditio habita, sed multo clarior priuati patrimonij contemptus fuit. Huius agros in populatione cæterorum intactos hostes reliquerant, sperãtes acquirere se illi posse, aut periculum ex inuidia, aut ex suspicione proditionis infamiam, quod ante prospiciens Pericles & futurum populo prædixerat, & ad inuidiæ impetum declinãdum agros ipsos dono rei pu. dederat. Atq; ita unde periculum quæsitum fuerat, ibi maximam gloriam inuenit. Post hæc interiectis diebus, nauali prælio dimicatum est. Victi Lacedæmonij fugerunt. Nec cessatum deinceps est, quin aut terra aut mari uaria præliorum fortuna inuicem se trucidarent. Denique fessi tot malis, pacem in annos quinquaginta fecere, quam non nisi sex annis seruauerunt. nam inducias, quas proprio nomine condixerant, ex sociorum persona rumpebant. Quippe quasi minus periurij contraherent, si ferentes socijs auxilia, potius, q̃ si aperto prælio dimicassent. Hinc bellum in Siciliam translatum, quod prius q̃ exponam, de Siciliæ situ pauca dicenda sunt.

LIBER QVARTVS.

s Iciliam ferunt angustis quondam faucibus Italiæ adhæsisse, direptamq; uelut a corpore maiore impetu superi maris, quod toto undarum onere illuc uehitur. Est autem ipsa terra tenuis ac fragilis, & cauernis quibusdam, fistulisq; ita penetrabilis, ut uentorum tota ferme flatibus pateat, necnon & ignibus generandis nutriendisq; soli ipsius naturalis materia. quippe intrinsecus stratum sulphure, & bitumine traditur. Quæ res facit, ut spiritu cum igne intra interiora luctante, frequenter ex cõpluribus locis, nunc ignes, nunc flammas, nunc uaporem, nunc fumum eructet. Inde denique Aetnæ montis per tot secula durat incendium. et ubi acrior per spiramenta cauernarum uentus incubuit, harenarum moles egeruntur, proximum Italiæ promontorium Rhegium dicitur. Ideo quod græce abrupta hoc nomine pronunciantur. Nec mirum si fabulosa est loci huius antiquitas, in quẽ res tot cöiere miræ. Primum quod nusquam alias tam torrens fretum, nec solum citato impetu, uerum etiam scæuo, neq; experientibus modo terribile, uerum etiam procul uisentibus. Vndarum porro inter se concurrentium tanta pugna est, ut alias ueluti terga dantes uorticibus mergi ac in imum desidere, alias quasi uictrices in sublime ferri uideas. Nunc hinc fremitum feruentis æstus, nunc illinc gemitum in uoraginem desidentis exaudias. Accedunt uicini, & perpetui Aetnæ montis ignes, & insularum Aeolidum uelut

ipsis

ipsis undis alatur incendium. neque enim in tam angustis terris aliter durare tot seculis tantus ignis potuisset, nisi ex humoris nutrimentis aleretur. Hinc igitur fabulæ scyllam & charybdim peperere, hinc latratus auditos, hinc monstri credita simulachra, dũ nauigantes magnis uorticibus pelagi desidentis exterriti latrare putant undas, quas sorbentis æstus uorago collidit. Eadem causa etiam Aetnæ montis perpetuos ignes facit. Nã aquarum ille concursus, raptum secum spiritum in imum fundum trahit, atque ibi suffocatum tam diu tenet, donec per spiramenta terræ diffusus nutrimenta ignis incendat. Iam ipsa Italiæ Siciliæq; uicinitas, iã promontoriorum altitudo ipsa ita sublimis est, ut quantum nũc admirationis, tantum antiquis terroris dederit, credentibus, coeuntibus in se promontorijs, ac rursum discedentibus solida intercipi absumiq; nauigia. Neq; hoc ab antiquis in dulcedinem fabulæ cõpositum, sed metu et admiratione transeuntium. Ea est enim procul inspicientibus natura loci, ut sinum maris nõ transitum putes, quo cum accesseris, discedere ac seiũgi promontoria, quæ antea iuncta fuerant, arbitrere. Siciliæ primo Trinacriæ nomen fuit. Postea Sicania de nominata est. Hæc à principio patria Cyclopum fuit. Quibus extinctis Cocalus regnum insulæ occupauit. Post quem singulæ ciuitates in tyrannorum imperium concesserũt, quorum nulla terra feracior fuit. Horum ex numero Anaxilaus iustitia cum cæterorum crudelitate certabat, cuius moderationis haud mediocrem fructum tulit. Quippe decedens cum filios paruulos reliquisset, tutelamq; eorum Micytho spectatæ fidei seruo

commisisset, tantus amor memoriæ eius apud omnes fuit, ut parere seruo, quàm deserere regis filios mallent. Principesq; ciuitatis obliti dignitatis suæ regni maiestatem administrari per seruum paterentur. Imperium Siciliæ etiam Carthaginenses tentauere, diuq; uaria uictoria cum tyrannis dimicatum, ad postremum amisso Hamilchare imperatore cum exercitu aliquantisper quieuere uicti. Medio tempore cum Rhegini discordia laborarent, ciuitasq; per dissensionem diuisa in duas partes esset, ueterani ab altera parte ab Himera urbe in auxilium uocati, pulsis ciuitate, contra quos implorati fuerant, & exinde, cæsis, quibus tulerant auxilium, urbem cum coniugibus & liberis sociorum occupauere, ausi facinus nulli tyrannico comparandum. qppe ut Rheginis magis fuerit optandum uinci q̃ uicisse. nã siue uictoribus captiuitatis iure seruissent, siue amissa patria exulare necesse habuissent, non tamen inter aras & patrios lares trucidati crudelissimis tyrãnis patriam cum coniugibus ac liberis prædam reliquissent. Catanenses quoq; cum Syracusanos graues paterentur, diffisi uiribus suis auxilium ab Atheniensibus petiere. qui seu studio maioris imperij, quod Asiã Græciamq; penitus occuparant, seu metu factæ pridem à Syracusanis classis, ne Lacedæmonijs illæ uires accederent, Lamponium ducem cum classe in Siciliam misere, ut sub specie ferendi Catanensibus auxilij tentarent Siciliæ imperium. Et quoniam prima initia frequenter cæsis hostibus prospera fuerant, maiore denuo classe & robustiore exercitu Lachete et Chariade ducibus Siciliam petiere. Sed Catanenses, siue metu Athe
niensium,

nienſium, ſiue tædio belli, pacem cum Syracuſanis, re
miſſis Athenienſium auxilijs fecerunt. Interiecto deim
de tempore, cum fides pacis à Syracuſanis non ſerua
retur, denuo legatos Athenas mittunt, qui ſordida
ueſte, capillo barbáque prolixis, & omni ſqualloris
habitu ad miſericordiam commouendã acquiſito, con=
cionem deformes adeunt, adduntur precibus lachry-
mæ, & ita miſericordem populum ſupplices mouent,
ut damnarentur duces, qui ab his auxilia deduxerãt.
Igitur claſſis ingens decernitur, creantur duces Nicias
& Alcibiades & Lamachus, tantis'que uiribus Sici-
lia repetitur, ut ipſis terrori eſſent, in quorum auxilia
mittebantur. Breui poſt tempore, reuocato ad reatum
Alcibiade, duo prælia pedeſtria ſecunda Nicias &
Lamachus faciunt. munitionibus deinde circundatis,
hoſtes etiam marinis commeatibus in urbe clauſos in=
tercludunt. Quibus rebus fracti Syracuſani auxili-
um à Lacedæmonijs petierunt. Ab his mittitur Gy-
lippus ſolus, ſed in quo inſtar omnium auxiliorum
erat. Is audito genere belli iam inclinato ſtatu, auxilijs
partim in Græcia partim in Sicilia miſere contra-
ctis, opportuna bello loca occupat. Duobus inde præ
lijs uictus, congreſſus tertio occiſo Lamacho & hoſtes
in fugam compulit, et ſocios obſidione liberauit, ſed cũ
Athenienſes à bello terreſtri in nauale ſe tranſtuliſ-
ſent, Gylippus claſſem à Lacedæmone cum auxilijs
acerſit. quo cognito & ipſi Athenienſes in locum a-
miſſi ducis Demoſthenem & Eurymedonta cum ſup-
plemento copiarum mittunt. Peloponneſij quoque, com-
muni ciuitatum decreto, ingentia Syracuſanis auxilia

misere, & quasi Graeciae bellum in Siciliam translatum esset, ita ex utraq; parte summis uiribus dimicabatur. Prima igitur congressione naualis certaminis Athenienses uincuntur. castra quoque cum omni publica ac priuata pecunia amittunt. Super haec mala, cum etiam terrestri praelio uicti essent, tunc Demosthenes censere coepit, ut abirent Sicilia, dum res q̃uis afflictae non dum tamen perditae forent, neque in bello male auspicato amplius perseuerandum esse, domi grauiora & forsitan infeliciora bella esse, in quae reseruare hos urbis apparatus oporteat. Nicias, seu pudore male actae rei, seu metu destitutae spei ciuium, seu impellente fato manere contendit. Reparatur igitur nauale praelium, & animi à prioris fortunae procella ad spem certaminis reuocantur. Sed inscitia ducum, q̃ inter angustias maris tuentes se Syracusanos aggressi sunt, facile uincuntur. Eurimedon dux in prima acie fortissime dimicans primus cadit. triginta naues, quibus praefuerat, incenduntur. Demosthenes & Nicias etiam ipsi uicti exercitum in terram deponunt, tutiorem fugam rati itinere terrestri. Ab his relictas C. XXX. naues Gylippus inuasit, ipsos deinde insequitur fugientes, partim capit, caedit partim. Demosthenes amisso exercitu, à captiuitate gladio & uoluntaria morte se uindicat. Nicias autem ne Demosthenis quidem exẽplo, ut sibi consuleret, admonitus cladem suorum auxit dedecore captiuitatis.

LIBER

d

Vm Athenienses in Sicilia bellum per biēnium cupidius, q̃ felicius gerunt, interim concitator & dux eius Alcibiades absens Athenis insimulatur, mysteria Cereris sacro initiorũ nullo magis, q̃ silentio solemnia enunciauisse. reuocatusq; bello ad iudiciũ, siue conscientiam siue indignitatẽ rei nõ ferens, tacitus in exiliũ Elidem profectus est. Inde ubi non damnatum se tantum, uerum etiã diris per omniũ sacerdotum religiones deuotum cognouit, Lacedæmona se contulit. Ibiq; regem Lacedæmoniorũ impellit, turbatis Atheniensibus aduerso Siciliæ prælio ultro bellũ inferre. Quo facto omnia Græciæ regna, uelut ad extinguendum cõmune incendiũ concurrunt, tãtum odij Athenienses immoderati imperij crudelitate contraxerant. Darius quoq; rex Persarum memor paterni auitiq; in hanc urbem odij, facta cum Lacedæmonijs p Tissaphernem præfectum Lydiæ societate, omnem sumptum belli pollicetur. & erat quidem hic titulus cum græcis coeũdi, re autem uera timebat, ne uictis Atheniensibus ad se Lacedæmonij arma trãsferrent. Quis igitur miretur tã florẽtes Atheniensiũ opes ruisse, cũ ad opprimendam unam urbem totius orientis uires concurrerent. Non tamen inerti neq; incruẽto cecidere bello, sed præliati ad ultimũ, uictores etiã aliter dum, cõsumpti magis fortunæ uarietate, q̃ ui uicti sunt. Principio belli omnes ab his etiam socij desciuerant, ut fit, quo se fortuna, eodem etiã fauor hominũ incli-

nat. Alcibiades quoq; motum aduersus patriam bellũ non gregarij militis opera, sed imperatoris uirtutibus adiuuat. Quippe acceptis quinq; nauibus in Asiam cõtendit, & tributarias Atheniensium ciuitates authoritate nominis sui ad defectionem cõpellit. Sciebãt enim domi clarũ, nec exilio uidebant factum minorem, nec tam ablatum Atheniensibus ducem, q̃ Lacedæmonijs traditum, partaq; cum amissis imperia pensantem. Sed apud Lacedæmonios uirtus Alcibiadis plus inuidiæ q̃ gratiæ contraxit. Itaque cum principes uelut æmulum gloriæ suæ interficiendum insidijs mandassent, cognita re Alcibiades per uxorem Agidis regis, quam adulterio cognouerat, ad Tissaphernem præfectum Darij regis profugit. cui se celeriter officij comitate & obsequendi gratia insinuauit. Erat enim & ætatis flore & formæ ueneratione, nec minus eloquentia etiam inter Athenienses insignis, sed in conciliandis amicitiarum studijs, q̃ in retinendis uir melior, quia morum uitia sub umbra eloquentiæ primo latebant. Igitur persuadet Tissapherni, ne tanta stipendia classi Lacedæmoniorum præberet. uocandos enim in portionem muneris Ionas, quorum pro libertate, cum tributa Atheniensibus penderẽt, bellum susceptũ sit. Sed nec auxilijs nimis enixe Lacedæmonios iuuandos. Quippe memorem esse debere, alienam se uictoriam, non suam instruere, & eatenus bellum sustinendum, ne inopia deseratur. nam regem Persarum dissentiẽtibus Græcis arbitrũ pacis ac belli fore, et quos suis non possit, ipsorum armis uicturum. perfecto autem bello statim ei cum uictoribus dimicandum. Domesticis

itaque bellis Græciam obterendam, ne externis uacet, exæquandisq; uires partum, & inferiores auxilio leuandos. Non enim quieturos post hanc uictoriã Spartanos, q uindices se libertatis Græciæ professi sunt. Grata oratio Tissapherni fuit. Itaque commeatus maligne præbere, classem regiam non totam mittere, ne aut uictoriam daret. aut necessitatem deponendi belli imponeret. Interea Alcibiades hanc operam ciuibus indicat, ad quem cum legati Atheniensium uenissent, pollicetur his amicitiam regis, si respu. à populo translata ad senatum foret, sperans, ut aut concordante ciuitate dux belli ab omnibus legeretur, aut discordia inter ordines facta ab altera parte in auxilium uocaretur. Sed Atheniẽsibus imminente piculo belli maior salutis, q̃ dignitatis cura fuit. Ita permittente populo imperium ad senatum transfertur. Qui cum insita genti superbia crudeliter in plebem consuleret, singulis Tyrannidis sibi potentiam uindicantibus, ab exercitu Alcibiades exul reuocatur, duxque classi constituitur. Statim igitur Athenas scribit ex continenti se cum exercitu uenturum, recepturumq; à quadringentis iura populi ni ipsi redderent. Hac denunciatione optimates territi primo urbem prodere Lacedæmonijs tentauere, deinde, cum id nequissent, in exilium profecti sunt. Igitur Alcibiades intestino malo patria liberata summa cura classem instruit, atque ita in bellum aduersus Lacedæmonios pergit. Iam Zestromindarus & Pharnabazus Lacedæmoniorũ duces instructis nauibus expectabant. Prælio cõmisso uictoria penès Athenienses

fuit. In eo bello maior pars exercitus, & omnes ferme hostium duces cæsi, naues octoginta captæ. Interiectis quoq; diebus, cum bellum Lacedæmonij à mari in terram transtulissent, iterato uincuntur. His malis fracti pacem petiere. quam ne acciperent, opera eorum effectum est, quibus ea res quæstum præstabat. Interea et Syracusanorum auxilia illatum à Carthaginensibus Siciliæ bellum domum reuocauit. Quibus rebus destitutis Lacedæmonijs, Alcibiades cum classe uictrici Asiam uastat, multis locis prælia facit, ubiq; uictor, recipit ciuitates, quæ defecerant, nonnullas capit, & imperio Atheniensium adijcit. Atq; ita prisca nauali gloria uindicata, adiecta etiam laude terrestris belli, desideratus ciuibus suis Athenas reuertitur. His omnibus prælijs ducentæ naues hostium, & præda ingens capta. Ad hūc redeuntis exercitus triumphum effusa omnis multitudo obuiam procedit, & uniuersos quidem milites, præcipue tamen Alcibiadem miratur. In hunc oculos ciuitas uniuersa, in hunc suspensa ora conuertit. hunc quasi de cœlo missum, & ut ipsam uictoriam contuentur, laudant, quæ pro patria, nec minus admirantur, quæ exul contra gesserit, excusantes ipsi iratum prouocatumq; fecisse. Enimuero tantum in uno uiro fuisse momenti, ut maximi imperij subuersi, & rursum recepti author esset, & unde stetisset, eo se uictoria transferret, fieretq; cum eo mira quædā fortunæ inclinatio. Igitur omnibus non humanis tantum, uerum etiam & diuinis eum honoribus honorant, certant secum ipsi, utrum contumeliosius eum expulerint, an reuocauerint honoratius. Ipsos illi deos gratulantes tulere obuiam,

re obuiam, quorum execrationibus erat deuotus. & cui pauloante omnem humanam opem interdixerant, eum, si queant, in cœlo posuisse cupiunt. Explent contu melias honoribus, detrimenta muneribus, execrationes precibus. Non Siciliæ illis aduersa pugna in ore est. sed Græciæ uictoria. non classes per illum amissæ, sed acquisitæ. nec Syracusarum, sed Ioniæ Hellespontiq; meminerũt. Sic Alcibiades nunquam mediocribus nec in offensam nec fauorem studijs suorum exceptus est. Dum hæc aguntur, à Lacedæmonijs Lysander classi belloq; præficitur, & in locum Tissaphernis Darius rex Persarum filium suum Cyrum Ioniæ Lydiæque præposuit, qui Lacedæmonios, auxilijs opibusque, ad spem fortunæ prioris erexit. Aucti igitur uiribus Alcibiadem cum centum nauibus in Asiam profectum, dum agros longa pace diuites securus popularetur, & prædæ dulcedine sine insidiarum metu sparsos milites haberet, repentino aduentu oppressere, tantaq; cædes palantium fuit, ut plus uulneris eo prælio Athenienses acciperent, quàm superioribus dederant, & tanta desperatio apud Athenienses erat, ut ex continenti Alcibiadem ducem Conone duce commutarent, arbitrantes uictos se non fortuna belli, sed fraude imperatoris, apud quem plus prior offensa ualuisset, q̃ recentia beneficia. Vicisse autem eum priore bello ideo tantum, ut ostenderet hostibus, quem ducem spreuissent, & ut carius eis ipsam uictoriam uenderet. Omnia enim credibilia in Alcibiade, uigor ingenij, & morum luxuria faciebat. Veritus itaque multitudinis impetum denuo in uoluntarium exilium profi-

cifcitur. Itaque Conon Alabiadi suffectus, habens ante oculos cui duci successisset, classem maxima industria exornat, sed nauibus exercitus deerat, fortissimis quibusque in Asiæ populatione amissis. armantur tamen senes aut impuberes pueri, & numerus militum sine exercitus robore expletur. Sed non magnam bello moram ætas fecit imbellis, aut cæduntur passim, aut fugientes capiuntur. tantaq; strages aut occisorum aut captiuorum fuit, ut Atheniensium deletum non imperium tantum, uerum etiam nomen uideretur. quo prælio perditis & desperatis rebus ad tantam inopiam rediguntur, ut consumpta militari ætate, peregrinis ciuitatem, seruis libertatem, damnatis impunitatem darent. eaq; colluuione hominum, domini antea Græciæ conscripto exercitu uix libertatem tuebantur. Iterum tamen fortunam maris experiendam decernunt. tanta uirtus animorum erat, ut cum paulo ante salutem desperauerint, nunc non desperent uictoriam. Sed neque is miles erat, qui nomen Atheniensium tueretur. neque hæ uires, quibus uincere consueuerant. neq; ea scientia militaris in his, quos uincula non castra continuerant. Itaq; omnes aut capti aut occisi, cũ dux Conon eo prælio superfuisset solus, crudelitatem ciuium metuens cum octo nauibus ad regem Cypri contendit Euagoram. At dux Lacedæmoniorum rebus feliciter gestis fortunæ hostium insultat, captiuas naues cum præda bellica in triumphi modum ornatas immittit Lacedæmona, ac tributarias Atheniensium ciuitates, quas metus dubiæ belli fortunæ in fide tenuerat, uoluntarias recipit, nec

aliud ditioni Athenienſium præter urbem ipſam re=liquit. Quæ cuncta cum Athenis nunciata eſſent, omnes relictis domibus per urbem diſcurrere pauidi, alius alium ſciſcitari, authorem nuncij requirere, non pueros imprudentia, non ſenes debilitas, non mulieres ſexus imbecillitas domi tenet, adeo ad omnem ætatem tanti mali ſenſus penetrarat. In foro deinde coeunt, atque ibi perpeti nocte fortunam publicam queſtibus iterant. Alij fratres, aut filios, aut parentes deflent, cognatos alij, alij amicos cariores cognatis, & cum priuatis caſibus querelam publicam miſcent. Iam ſe ipſos, iam ipſam patriam perituram, miſerioremq; incolumium, quàm amiſſorum fortunam iudicantes, ſibi quiſque ante oculos obſidionem, famem, & ſuperbum uictoremq; hoſtem proponentes. Iam ruinam urbis et incendia, iam omniũ captiuitatem et miſerrimam ſeruitutem recordantes feliciores prorſus priores urbis ruinas ducentes, que incolumibus filijs parentibusq; tectorum tantum ruina taxatæ ſint. Nunc autem non claſſem, in quam ſicuti pridem confugiant, ſupereſſe, non exercitum, cuius uirtute ſeruati pulchriora poſſent mœnia extruere. Sic defletæ ac propè pditæ urbi hoſtes ſuperueniunt, & obſidione circundatos famæ urgent. Sciebant enim neq; ex aduectis copijs multũ ſupereſſe, & ne nouæ aduehi poſſent, prouiderant. Quibus malis Athenienſes fracti poſt longam famem, & aſſidua ſuorum funera, pacẽ petiuere. Quæ an dari deberet diu inter Spartãos ſociosq; deliberatum eſt. Cum multi delendum Atheniẽſium nomen, urbemq; incendio conſumendam cenſerẽt,

negarunt se Spartani è duobus Græciæ oculis alterum eruturos, pacem polliciti, si demissa piræeum uersus muri brachia deijcerent, nauesq;, quæ reliquæ forent, traderent, resq; publica ex semetipsis XXX. rectores acciperet. In has leges traditam sibi urbem Lacedæmonij formandam Lysandro tradiderunt. Insignis hic annus & expugnatione Athenarum, & morte Darij regis Persarum, & exilio Dionysij Siciliæ tyranni fuit. Mutato statu Athenarum, etiam ciuium conditio mutatur. Rectores XXX. Reip. constituuntur, qui fiunt tyranni. quippe à principio tria milia sibi satellitum statuunt, quantum ex tot cladibus propè, nec ciuium superfuerat, & quasi paruus hic ad continendam ciuitatẽ exercitus esset, septingentos milites à uictoribus accipiunt. Cædes deinde ciuium ab Alcibiade auspicantur, ne iterum rempublicam sub obtentu liberationis inuaderet, quem cum profectum ad Artaxerxem Persarum regem comperissent, citato itinere miserunt, qui eum interciperent. à quibus occupatus, cum occidi aperte non posset, uiuus in cubiculo, in quo dormiebat, crematus est. Liberati hoc ultoris metu tyranni, miseras urbis reliquias cædibus & rapinis exhauriunt. Quod cum displicere uni ex numero suo Therameni didicissent, ipsum quoq; ad terrorem omnium interficiũt. Fit igitur ex urbe passim omnium fuga, repleturq; Græcia Atheniensium exulibus, quod cum etiã ipsum auxilium unicum miseris eriperetur (nam Lacedæmoniorum edicto ciuitates exules recipere prohibebantur) omnes se Argos & Thebas contulere. Ibi non solum tutum exilium egerunt, uerum etiam spem recuperandæ

patriæ recęperũt. Erat inter exules Thrasybulus uir strenuus & domi nobilis, qui audendum aliquid pro patria & pro salute communi etiam cum periculo ratus, adunatis exulibus, castellum Philem atticorum finium occupat. Nec deerat quarũdam ciuitatum tam crudeles casus miserantium fauor. Itaq; & Ismenias Thebanorum princeps, & si publicis non poterat, priuatis tñ auxilijs adiuuabat. Et Lysias Syracusanus orator exul tunc quingentos milites stipendio suo instructos in auxilium patriæ communis eloquẽtiæ misit. Fit itaq; asperum prælium, sed cum hinc pro patria summis uiribus, inde pro aliena dominatione securius pugnaretur, tyrãni uincuntur. uicti in urbem refugerũt, quam exhaustam cædibus, suis etiam armis spoliant. Deinde cum omnes Athenienses proditionis suspectos haberent, demigrare eos ex urbe iubent, & in brachijs muri, quæ diruta fuerant, habitare, extraneis militibus imperium tuentes. Post hæc Thrasybulum corrumpere imperij societatem pollicentes conantur. quod cum non contigisset, auxilia à Lacedæmonijs petiuere. Quibus accitis iterato præliantur. In eo bello Critias & Hippolochus omnium tyrannorum sæuissimi cadunt. Cæteris uictis, cum exercitus eorũ, ex quibus maior pars Atheniensiũ erat, fugeret, magna uoce Thrasybulus exclamat, cur se uictorem fugiant potius, q̃ ut uindicem communis libertatis adiuuent? Ciuium illam meminerint aciem, non hostium esse, nec se ideo arma cœpisse, ut aliqua uictis adimat, sed ut adempta restituat. XXX. se dominis, nõ ciuitati bellum inferre. Admonet deinde cognationis, legum, sacrorum communi-

um, tum uetusti per tot bella commilitij. orat ut miserea ntur exulum ciuium, si tam patienter ipsi seruiant, reddant sibi patriam, accipiant libertatem. His uocibus tantum promotum est, ut reuersus in urbem exercitus XXX. tyrannos emigrare Eleusina iuberet, substitutis. X. qui Remp. regerent. qui nihil exemplo prioris dominationis territi eandemuiam crudelitatis aggressi sunt. Dum hæc aguntur nunciatur Lacedæmone in bellum Athenienses exarsisse. Ad quod comprimendum Pausanias rex mittitur, qui misericordia exulis populi permotus patriam miseris ciuibus restituit, et X. tyrannos ex urbe Eleusina migrare ad cæteros iubet. Quibus rebus cum pax statuta esset, interiectis diebus repente tyranni non minus restitutos exules quàm se in exilium actos indignantes, quasi uero aliorum libertas sua seruitus esset, bellũ Atheniensibus inferunt. sed ad colloquium, ueluti dominationem recepturi, progressi, per insidias comprehensi, ut pacis uictimæ, trucidantur. Populus, quem emigrare iusserant, in urbem reuocatur. atque ita permulta membra ciuitas dissipata in unum tandem corpus redigitur, & ne qua dissensio ex ante actis nasceretur, omnes iureiurando obstringuntur, discordiarũ obliuionem fore. Interea Thebani Corinthijq; legatos ad Lacedæmonios mittunt, qui ex manubijs portionem prædæ communis belli periculiq; peterent. quibus negatis, non quidem aperte bellum aduersus Lacedæmonios decernunt, sed tacitis animis tantum iræ concipiunt, ut subesse bellum intelligi posset. Eodem ferè tempore Darius rex Persarum moritur, Artaxerxe et Cyro filijs relictis. regnum Ar

taxerxi, Cyro ciuitates, quarum præfectus erat, testamento legauit. Sed Cyro iudicium patris iniuria uidebatur. Itaq; occulte aduersus fratrem bellum parabat. Quod cum nunciatum Artaxerxi esset, accersitum ad se fratrem, & innocentiam dissimulatione belli simulantem compedibus aureis uinxit, interfecissetq;, ni mater prohibuisset. Dimissus igitur Cyrus iam non occulte bellum, sed palàm, nec per dissimulationem, sed aperta professione parare cœpit, auxilia undiq; contrahit. Lacedæmonij memores atheniensi bello enixe se eius opera adiutos, uelut ignorantes, contra quem bellum pararetur, decernunt auxilia Cyro mittenda, ubi res eius exegisset. quærentes apud Cyrum gratiam, & apud Artaxerxem, si uicisset, ueniæ patrocinia, cum nihil aduersus eum aperte decreuissent. Sed cum in bello sors prælij utrunque fratrem pugnæ obtulisset, prior Artaxerxes à fratre uulneratur. quem cum equi fuga periculo subtraxisset, Cyrus à cohorte regia oppressus interficitur. Sic uictor Artaxerxes & præda fraterni belli & exercitu potitur. In eo prælio decem milia Græcorum in auxilio Cyri fuere, quæ et in cornu, in quo steterant, uicerunt, & post mortem Cyri neq; armis, à tanto exercitu uinci, neque dolo capi potuerunt. Reuertentes, inter tot indomitas nationes & & barbaras gentes, per tanta itineris spatia, uirtute se usque terminos patriæ defenderunt.

LIBER SEXTVS.

Lacedæmonij, more ingenij humani, quo plura habebant, eo ampliora cupiẽtes, non contenti accessione Atheniẽsiũ opũ uires sibi duplicatas, totius Asiæ imperiũ affectare cœperũt. Sed maior pars sub regno Persarum erat. Itaq; Hercylides dux in hanc militiam electus, cum uideret sibi aduersus duos præfectos Artaxerxis regis, Pharnabazum, et Tissaphernem maximarum gentium uiribus succinctos dimicandum, pacificari cum altero statuit. Aptior uisus Tissaphernes uir et industria potior, et militibus Cyri quondã regis instructior in colloquiũ, uocatur & statutis conditionibus ab armis dimittitur. Hanc rem Pharnabazus apud communem regem criminatur, ut Lacedæmonios Asiã ingressos nõ repulerit armis, sed impensis regijs aluerit, mercetur'q; ab his, ut differant bella, quæ gerant, tanq̃ non ad unius summam imperij detrimentum omne perueniat. indignum ait bellũ non perfici, sed redimi, hostem precio, non armis summoueri. His uocibus regem Tissapherni alienatum hortatur, ut in locũ eius naualis belli ducem eligat Cononem atheniẽsem, qui amissa bello patria Cypri exulabat. quippe Atheniensibus, et si fractæ sunt opes, manere tamen naualem usum, nec si eligendus sit ex uniuersis, meliorem alium esse. Acceptis igitur quingentis talentis iussus est Conona classi præficere. His cognitis Lacedæmonij & ipsi à rege Aegypti Hercynio

ne in

ne in auxilium naualis belli per legatos petunt. à quo centum triremes & sexcenta milia modium frumenti missa. à cæteris quoq; socijs ingentia auxilia contracta sunt. Sed tanto exercitui, & contra tantum ducem deerat dignus imperator. Itaq; postulãtibus socijs Agesilaum ducem regem tunc Lacedæmoniorum, propter responsum oraculi delphici diu Lacedæmonij, an eum summæ rei præponerent, dubitauerunt quibus futurus imperij finis denunciabatur, cum regium claudicasset imperium, erat enim pede claudus. Ad postremum statuerunt melius esse incessu regis, quàm imperio, regnũ claudicare. Posteaq̃ Agesilaũ cum ingentibus copijs in Asiam misere, non facile dixerim, quod aliud par ducum tam bene cõparatum fuerit. Quippe ætas, uirtus, consilium, sapientia utriq; propè una, gloria quoq; rerum gestarum eadem. quibus cum paria omnia fortuna dederit, inuictum tamẽ ab altero utrunq; seruauit. Magnus igitur amborum apparatus belli, magnæ res gestæ fuerunt. sed Cononem seditio militum inuadit. quos præfecti regis fraudare stipendio soliti erant, eo Constantius, debita poscentium, quo grauiorem sub magno duce militiam præsumebant. Itaq; Conon diu rege per epistolas frustra fatigato, ad postremum ipse ad eum pergit, cuius aspectu & colloquio prohibitus est, quod eum more Persarum adorare nollet. Agit tamen cum eo per internuncios, & queritur, opulentissimi regis bella inopia dilabi, & qui exercitum parem hostibus habeat, pecunia uinci, qua præstet, inferioremq; eum ea parte uirium inueniri, qua longe superior sit. Postulat sibi dari ministerium impensæ, quia

pluribus id mandari pernitiosum sit. Dato stipẽdio ad classem remittitur, nec moram agendis rebus facit. Multa fortiter, multa feliciter agit. agros hostiles uastat, urbes expugnat. & quasi tempestas quædam cuncta prosternit. Quibus rebus territi Lacedæmonij, ad patriæ subsidium, reuocandum ab Asia Agesilaum decernunt. Interim Lysander ab Agesilao proficiscente dux patriæ relictus ingẽtem classem summis uiribus instruit, fortunam belli tentaturus. Necnon & ipse Conon tunc primũ cum hostium exercitu concursurus magna cura suos ordinat. Summa igitur non ducum tantum in eo prælio quàm militũ æmulatio fuit. Nã ipse dux Conon, non tam Persis quàm patriæ studebat, et sicuti afflictis Atheniensium rebus author amissæ dominationis fuerat, sic uolebat idem haberi redditæ, patriamq; uincendo recipere, quam uictus amiserat, eo speciosius, ꝙ ne ipsorum quidem Atheniensium, sed alienis uiribus prælio dimicet, pugnaturus periculo regis, uicturus præmio patriæ, gloriamq; diuersis artibus, quàm priores ciuitatis suæ duces, consecuturus. quippe illos uincendo Persas patriam defendisse, se Persas uictores faciendo restituturum patriam esse. Porrò Lysander, præter coniunctionem Agesilai, etiam uirtutum æmulator erat, contendebatq; ne à rebus gestis eius & gloriæ splendore decederet, ne'ue tot bellis ac seculis quæsitum imperium breuissimi momenti culpa subuerteret. Eadem militum et ciuium omnium cura erat, quos maior sollicitudo cruciabat, non tam ne ipsi quæsitas opes amitterent, quàm ne Athenienses pristinas reciperent. Sed quãto maius prælium

fuit, tanto

fuit, tanto & clarior uictoria cononis. Victi Lacedæmonij fugam capessunt, præsidia hostium Athenis deducuntur. Populo restituta dignitate conditio seruilis eripitur, multæ quoque ciuitates recipiuntur. Hoc initium Atheniensibus resumendæ potentiæ, & Lacedæmonijs habendæ finis fuit. Nanque ueluti cum imperio etiam uirtutem perdidissent, contemni à finitimus cœpere. Primi igitur Thebani auxiliantibus Atheniensibus bellum his intulere, quæ ciuitas ex infimus incrementis uirtute Epaminundæ ducis ad spem imperij Græciæ erecta est. Fit itaq; terrestre prælium eadem Lacedæmoniorum fortuna, qua pugnatum aduersus Conona nauali prælio fuerat. In eo bello Lysander, quo duce Athenienses uicti à Lacedæmonijs fuerant, interficitur. Pausanias quoque alter dux Lacedæmoniorum proditionis accusatus in exilium abijt. Igitur Thebani potiti uictoria uniuersum exercitum ad urbem Lacedæmoniorum ducunt, facilem expugnationem rati, quoniam deserti à socijs omnibus erant. Quod metuentes Lacedæmonij regem suum Agesilaum ex Asia, qui ibi magnas res gerebat, ad defensionem patriæ accersunt. occiso enim Lysandro nullius alterius fiduciam ducis habebant. cuius quoniam serus aduentus erat, conscripto exercitu obuiam hosti procedunt. Sed uictis aduersus pauloante uictores nec animus, neque uires pares fuere. Prima igitur congressione funduntur. Deletis iam suorum copijs superuenit rex Agesilaus. qui restituto prælio non difficulter recenti & multis expeditionibus indurato milite hostibus uictoriam eripuit. ipse tamen

grauiter sauciatur. Quibus rebus cognitis Athenienses uerẽtes, ne iterum Lacedæmonijs uictoribus in pristinam sortem seruitutis redigerentur, exercitum contrahunt, eumq; in auxilium Bœotiorum per Hiphicratem uiginti quidem annos natum, sed magnæ indolis iuuenem, duci iubent. Huius adolescentis supra ætatem uirtus admirabilis fuit, necunquam ante eum Athenienses inter tot tantosq; duces, aut spei maioris, aut indolis maturioris imperatorem habuerunt. in quo non imperatoriæ tantum, uerum etiam oratoriæ artes magnæ fuere. Conon quoque audito reditu Agesilai & ipse ex Asia ad populandos Lacedæmoniorum agros reuertitur. Atque ita undique belli formidine circunstrepente clausi Spartani ad summam desperationem rediguntur. Sed Conon uastatis hostium terris, Athenas pergit, ubi magno ciuium gaudio exceptus plus tamen tristitiæ ipse, ex incensa & diruta à Lacedæmonijs patria, q̃ letitiæ ex recuperata post tantum temporis cœpit. Itaque quæ incensa fuerant, prædarum sumptu restituit, & exercitu Persarũ, quæ dirupta fuerant, reficit. Fatũ illud Atheniarum fuit, ut ante à Persis crematæ manibus eorũ, & nunc à Lacedæmonijs dirutæ ex spolijs Lacedæmoniorum restituerentur, uersa quoque uice nunc haberent socios, quos tunc hostes habuerunt, & hostes nunc paterentur, cum quibus iuncti tunc arctissimis societatis uinculis fuerant. Dũ hæc aguntur Artaxerxes rex Persarum legatos in Græciam mittit, per quos iubet omnes ab armis discedere, qui aliter fecisset, eum se pro hoste habiturum. ciuitatibus libertatem suaq;

omnia

omnia restituit. Quod nõ Græciæ laboribus assiduisq; bellorum inter ciues odijs consulens fecit, sed ne occupato sibi ægyptio bello, quod propter auxilia aduersus præfectos suos Lacedæmonijs missa susceperat, exercitus sui in græcia detinerentur. Fessi igitur tot bellis Græci cupide paruere. Hic annus non eo tantum insignis fuit, quod repente pax tota Græcia facta est, sed etiam eo, quod eodem tempore urbs Romana à Gallis capta est. Sed Lacedæmonij securis insidiantes, absentiam Arcadum speculati castellum eorum expugnant, occupatoq; præsidium imponunt. Itaq; armato instructoq; exercitu Arcades, adhibitis in auxilium Thebanis, amissa bello repetunt. In eo prælio Archidamus dux Lacedæmoniorum uulneratur, qui cum cædi suos iam et uictos uideret, per præconem corpora interfectorum ad sepulturam poscit. hoc est enim signum apud Græcos uictoriæ traditæ. qua confessione contenti Thebani signũ parcendi dedere. Paucis deĩde post diebus neutris quicquã hostile facientibus, cum quasi consensu tacito induciæ essent, Lacedæmonijs alia bella aduersus finitimos gerentibus, Thebani, Epaminunda duce, occupandæ urbis eorum spem ceperunt. Igitur principio noctis taciti Lacedæmona proficiscuntur, nõ tamen aggredi incautos potuerunt. quippe senes et cætera imbellis ætas, cum aduentum hostium persensissent, in ipsis portarũ angustijs armati occurrunt, et aduersus quindecim milia militum non amplius centum iam effetæ ætatis uiri pugnæ se offerunt. tantum animorum uiriumq; patriæ & penatum conspectus subministrat, tantoq; præsentia, q̃ recordatione sui maio=

res ſpiritus largiuntur. Nam ut uiderunt intra quæ, & pro quibus ſtarent, aut uincendum ſibi, aut moriendum cenſuerunt. Pauci igitur ſuſtinuere ſenes aciem. cui par ante die uniuerſa iuuentus eſſe non potuit. In eo prælio duo duces hoſtium cecidere. Cum interim Ageſilai aduentus nuntiaretur, Thebani receſſere, nec bellum diu dilatum. ſiquidem Spartanorum iuuentus ſenum uirtute et gloria incenſa teneri non potuit, quin ex continenti acie decerneret, cum uictoria Thebanorum eſſet. Epaminundas, dum non ducis tantum, uerum etiam fortiſſimi militis officio fungitur, grauiter uulneratur. quo audito, his ex dolore metus, illis ex gaudio ſtupor inijcitur, atque ita ueluti ex placito conſenſu a prælio diſceditur. Poſt paucos deinde dies Epaminundas decedit, cum quo uires quoque Reip. cecide-runt. nam ſicuti telo ſi primam aciem præfregeris, reliquo ferro uim nocendi ſuſtuleris, ſic illo, uelut mucrone teli, ablato duce, Thebanorum Reip. uires hebetatæ ſunt, ut non tam illum amiſiſſe, quàm cum illo interiſſe omnes uiderentur. nam neque hunc ante ducem ullum memorabile bellum geſſere, nec poſtea uirtutibus, ſed cladibus inſignes fuere, ut manifeſtum ſit patriæ gloriam & natam & extinctam cum eo fuiſſe. Fuit autem incertum, uir melior, an dux eſſet. nam & imperium non ſibi ſemper, ſed patriæ quæſiuit, & pecuniæ adeo parcus fuit, ut ſumptus funeri defuerint. Gloriæ quoque non cupidior quàm pecuniæ. quippe recuſanti omnia imperia ingeſta ſunt. honoresq́ue ita geſſit, ut ornamentum non accipere, ſed dare ipſe dignitati uideretur. Iam literarum ſtudium, iam phi

losophiæ doctrina tanta, ut mirabile uideretur, unde tam insignis mılitiæ scientia homini inter literas nato. Neque ab hoc uitæ proposito mortis ratio dissensit. nam ut relatus in castra semianimis uocem spiritumq; colle git, id unum à circunstantibus requisiuit, num cadenti sibi scutum ademisset hostis. quod ut seruatum audiuit, allatum uelut laborum gloriæq; socium osculatus est. Iterum quæsiuit utri uicissent. ut audiuit Thebanos, be ne habere se rem dixit, atque ita uelut gratulabundus patriæ expirauit. Huius morte etiam Atheniensium uirtus intercidit. siquidem amisso, cui æmulari consueuerant, in segnitiem torporemq; resoluti, non (ut olim) in classem exercitus'que, sed in dies festos, apparatusq; ludorum, redditus publicos effundunt, et cum actoribus nobilissimis, poëtisq; theatra celebrāt, frequentius scænam quàm castra uisentes. Versificatores oratoresq; meliores, quàm duces laudantes. Tunc uectigal publicum, quo ante milites & remiges alebantur, cum urbano populo diuidi cœptum. Quibus rebus effectum est, ut, inter otia Græcorum, sordidum & obscurum antea Macedonum nomen emergeret. & Philippus obses triennio Thebis habitus Epaminundæ et Pelopidæ uirtutibus eruditus, regnum Macedoniæ, Græciæ & Asiæ ceruicibus, ueluti iugum seruitutis, imponeret.

LIBER SEPTIMVS.

Macedonia antea nomine Emathionis regis, cuius prima uirtutis experimenta in illis locis extant, Emathia cognominata est. Huius sicuti incrementa modica, ita termini perangusti fuere. Po-
» pulus Pelasgi, & regio Bœotia dicebatur. Sed postea uirtute regum, & gentis industria, subactis primo finitimis, mox populis nationibusq;, imperium usq; extremos orientis terminos prolatum est. In regione Pelagoniæ, quæ nunc portio est Macedoniæ, regnasse fertur Pelegonus pater Asteropæi, cuius troiano bello inter
» clarissimos uindices Vrbis nomen accepimus. Ex alio
» latere in Europa Europus nomine regnum tenuit. Sed & Caranus cum magna multitudine Græcorum sedes in Macedonia respōso oraculi iussus quærere, cum in Emathiam uenisset, urbem Edessam, non sentientibus Oppidanis, propter imbrium & nebulæ magnitudinem, gregem caprarum imbrem fugientium secutus occupauit, reuocatusq; in memoriam oraculi, quo iussus erat ducibus capris, imperium quærere regni sedem statuit, religioseq; postea obseruauit, quocunq; agmen moueret, ante signa easdem capras habere, cœptorum duces habiturus, quas regni habuerat authores. Vrbem Edessam, ob memoriam muneris, Aegæã, populum ægæatas uocauit. Pulso deinde Mida, nam is quoque portionem Macedoniæ tenuit, alijsq; regibus pulsis, in locum omnium solus successit, primusq; adunatis gentibus uariorum populorum ueluti unum cor-

pus Mace-

pus Macedoniæ fecit, crescentiq; regno ualida icremen torum fundamenta constituit. Post hunc Perdiccas regnauit, cuius uita illustris, & mortis postrema, ueluti ex oraculo præcepta, memorabilia fuere. siquidem senex moriens Argeo filio monstrauit locum, quo condi uellet. ibiq; non sua tantum, sed etiam succedentium sibi in regnum ossa poni iussit. Præfatus quoad ibi conditæ posteriorum reliquiæ forent, regnum in familia mansurum, creduntq; hac superstitione extinctam in Alexandro stirpem, quia locum sepulturæ mutauerit. Argeus, moderate & cum amore populi administrato regno, successorem filium Philippum reliquit, qui immatura morte raptus Aeropum paruulum admodum instituit hæredem. Sed Macedonibus assidua certamina cum Thracibus & Illyrijs fuere. quorum armis ueluti cotidiano exercitio indurati gloria bellicæ laudis finitimos terrebant. Igitur Illyrij infantiam regis pupilli contemnentes bello Macedonas aggrediuntur, qui prælio pulsi, rege suo in cunis prolato & ante aciem posito, acrius certamen repetiuerunt. tanquam ideo uicti fuissent antea, quod bellantibus sibi regis sui auspicia defuissent,, futuri uel propterea uictores, quod ex superstitione animum uincendi ceperant, simul & miseratio eos infantis tenebat, quem, si uicti forent, captiuum de rege facturi uidebantur. Conserto itaque prælio magna cæde Illyrios fudere, ostenderuntq; hostibus suis priore bello, regem Macedonibus non uirtutem defuisse. Huic Amyntas succedit & propria uirtute, & Alexandri filij egregia indole insigniter clarus. Cui Alexandro tanta omnium uirtutum naturæ or-

namenta extitere, ut etiã Olympio certamine uario ludicrorum genere contenderit. Cũ interim Darius rex Persarum turpi à Scythia fuga summotus, ne ubiq; deformis militiæ damnis haberetur, mittit cum parte copiarũ Megabyzum ad subigendã Thraciã. cæteraq; eius tractus regna, quibus pro ignobili momento erat accessura Macedonia. Qui breui tempore executo regis imperio, legatis ad Amyntam regem Macedoniæ missis, obsides in pignus futuræ pacis sibi dari postulabat. Sed legati benigne excepti inter epulas ebrietate crescente, rogant Amyntam, ut apparatui epularum adijciat ius familiaritatis, adhibitis in conuiuium suis ac filij uxoribus & filiabus, id apud Persas haberi pignus ac fœdus hospitij. Quæ ut uenerũt petulantius contrectantibus, filius Amyntæ Alexãder rogat patrẽ respectu ætatis ac grauitatis suæ abiret conuiuio, pollicitus se hospitum iocos temperaturũ quo digresso mulieres quoq; paulũ è cõuiuio euocat, cultius exornaturus, gratioresq; reducturus. In quarũ locum matronali exornatos habitu iuuenes supponit, eosq; petulantiam legatorum ferro, quod sub ueste gerebant, compescere iubet. Atq; ita interfectis omnibus ignarus rei Megabyzus, cum legati non redirent, mittit eo cum exercitus parte Bubarem, ut in bellum facile & mediocre dedignatus ipse ire, ne dehonestaretur prælio tam fœdæ gentis. Sed Bubares ante bellũ amore filiæ Amyntæ captus, omisso bello, nuptias facit, depositisq; hostilibus animis in affinitatis iura succedit. post discessum à Macedonia Bubaris Amyntas rex decedit, cuius filio & successori Alexandro cognatio Bubaris non Darij tantum tẽ-

poribus pacem præstitit, uerum etiã Xerxẽ conciliauit, adeo, ut cum Græciam ueluti tẽpestas quædam occupasset, inter Olympum Hæmumq; montes totius regionis eum imperio donauerit. Sed nec uirtute minus quàm Persarũ liberalitate regnum ampliauit. Per ordinem deinde successionis regnũ Macedoniæ ad Amyntam fratris eius Menelai filium peruenit. Hic quoq; insignis industria, & omnibus imperatorijs uirtutibus instructus fuit. Qui ex Eurydice tres filios sustulit, Alexãdrum, Perdiccam, & Philippum Alexandri Magni macedonis patrem, & filiam Eurynoem. Ex Gygæa autem Archelaum, Arideum, Menelaum. qui cum Illyrijs, deinde & cum Olynthijs grauia bella gessit. Insidijs autem Eurydices uxoris, quæ nuptias generi pacta occidendum, uirum regnumque adultero tradendum susceperat, occupatus fuisset, ni filia pellicatum matris, & sceleris consilia prodidisset. Functus itaque tot periculis senex decessit regno maximo filijs, Alexandro tradito. Igitur Alexander inter prima initia regni bellum ab Illyrijs pacta mercede, & Philippo fratre dato obside redemit. Interiecto quoque tempore per eundem obsidem cum Thebanis gratiam pacis reconciliat. quæ res Philippo maxima incrementa egregiæ indolis fuit, siquidem triennio Thebis obses habitus prima pueritiæ rudimenta in urbe seueritatis antiquæ, & in domo Epaminundæ summi & philosophi & imperatoris deposuit. Nec multo post Alexander insidijs Eurydices matris appetitus occumbit, cui Amyntas in scelere deprehensæ propter communes liberos, ignarus eisdem quãdoq;

exitiosam fore, pepercerat. Frater quoque eius Perdicca pari insidiarum fraude decipitur. Indignum prorsus libidinis causa liberos à matre uita priuatos, quam scelerum suorũ supplicijs hoc liberorũ contemplatio uindicauerat. Perdiccæ indignior cædes uidebatur, quod ei apud matrẽ misericordiam ne paruulus quidem filius conciliauerat. Itaque Philippus diu non se regem, sed tutorem pupilli egit. At ubi grauiora bella imminebant, serumq; auxilium in expectatione infantis erat, compulsus à populo regnum suscepit. Vt est ingressus imperium magna de illo spes omnibus fuit, & propter ipsius ingenium, quod magnũ spondebat uirũ, et propter uetera Macedoniæ fata, quæ cecinerant, uno ex Amyntæ filijs regnante, florẽtissimũ fore Macedõiæ statum. cui spei scelus matris hunc residuũ fecerat. Principio regni, cum hinc cædes fratrũ indigne pemptorum, inde hostium multitudo, hinc insidiarum metus, inde inopia continui belli & exhausti regni immaturam ætatem tyronis bella, quæ urgeret ueluti conspiratione quadã ad opprimendam Macedoniam multarum gentium ex diuersis locis uno tempore confluebant, quoniam omnibus par esse non poterat, dispensanda ratus, alia interposita pactione componit, alia redimit facillimis quibusq; aggressis, quorum uictoria & militum trepidos animos firmaret, & contemptum sibi hostium demeret. Primum illi cum Atheniensibus certamen fuit, quibus per insidias uictis, metu belli grauioris, cum interficere omnes posset, incolumes sine precio dimisit. Post hæc bello in Illyrios translato multa milia hostium

cædit. Vrbem nobilissimam Larissam in Thessalia nō prædæ cupiditate, sed quod exercitui suo robur thessalorum equitum adiungere gestiebat, nihil minus q̃ bellum metuentem improuisus expugnat, unumque corpus equitum pedestriumque inuicti exercitus fecit. Quibus rebus feliciter prouenientibus Olympiada Neoptolemi regis Molossorum filiam uxorem ducit, conciliante nuptias fratre patruele tutore uirginis Aryba rege Molossorũ, q sororem Olympiadis Troada in matrimoniũ habebat, quæ causa illi exitij malorumq; omniũ fuit, nam dum regni incrementa affinitate Philippi acquisiturum se sperat, proprio regno ab eodem priuatus in exilio consenuit. His ita gestis Philippus iã non contentus summouere bella, ultro etiam quietos lacessit. Cum Methonam urbem oppugnaret, in prætereuntem de muris sagitta iacta dextrum oculum regis effodit. quo uulnere nec segnior in bellum, nec iracundior aduersus hostes factus est, adeo ut interiectis diebus pacem deprecantibus dederit, nec moderatus tantum, uerum etiã mitis aduersus uictos fuerit.

LIBER OCTAVVS.

GRæciæ ciuitates dum imperare singulæ cupiunt, imperium omnes perdiderunt. quippe in mutuum exitium sine modo ruentes ab omnibus uictæ perierе. quid singulæ amitterent, non nisi oppressæ senserunt. si quidem Philippus rex Macedoniæ ueluti è specula quadã libertati omniũ insidiatus,

dū contentiones ciuitatum alit, auxiliū inferioribus ferendo, uictos pariter, uictoresq; subire regiam seruitutem coegit. Causa & origo huius mali Thebani fuere: qui cum rerū potirentur, secundam fortunam imbecillo animo ferentes, uictos armis Lacedæmonios & Phocenses, quasi parua supplicia cædibus & rapinis luissent, apud cōmune Græciæ conciliū superbe accusauerunt. Lacedæmonijs crimini datum, q̄d arcem thebanam induciarū tempore occupassent, Phocensibus q̄d bœotiam depopulati essent, prorsus quasi post arma et bellum locum legibus reliquissent. Cū iudicium arbitrio uictorū exerceretur, tanta pecunia dānantur, quāta exolui non posset. Igitur Phocenses, cum agris, liberis, coniugibusq; priuarentur, desperatis rebus, Philomelo quodam duce, uelut deo irascentes, templum ipsum Apollinis Delphis occupauere. Inde auro & pecunia diuites, conducto mercennario milite bellum Thebanis intulerunt. Factumq; Phocensium tametsi omnes execrarentur propter sacrilegium, plus tamen inuidiæ Thebanis, à quibus ad hanc necessitatem compulsi fuerant, q̄ ipsis intulit. Itaq; auxilia his & ab Atheniensibus & à Lacedæmonijs missa. Prima igitur congressione Philomelus Thebanos castris exuit. Sequenti prælio primus inter confertissimos dimicans cecidit. & sacrilegij pœnas impio sanguine luit. In huius locum dux Onomarchus creatur. aduersus quem Thebani Thessaliq; non ex ciuibus suis, ne uictoris potentiam ferre non possent, sed Philippum Macedoniæ regem ducem eligunt, & externæ dominationi, quā in suis timuerunt, sponte succedunt. Igitur Philippus, quasi

sacrilegij non Thebanorum ultor esset, omnes milites coronas laureas sumere iubet, atq; ita ueluti deo duce in prælium pergit. Phocenses, insignibus dei conspectis, conscientia delictorum territi, abiectis armis fugam capessunt, pœnasq; uiolatæ religionis sanguine & cædibus suis pendunt. Incredibile, quantam ea res apud omnes nationes Philippo gloriam dedit. Illum uindicem sacrilegij, illum ultorem religionum, quod orbis uiribus expiari debuit, solum, qui piacula exigeret, extitisse dignum. Itaque dijs proximus habetur, per quem deorum maiestas uindicata sit. Sed Athenienses audito belli euentu, ne in Græciam Philippus trãsiret, angustias Thermopylarũ pari ratione (sicuti antea aduenientibus Persis) occupauere, sed nequaq̃ simili aut uirtute, aut cã. siquidẽ tunc pro libertate Græciæ, nunc pro sacrilegio publico, tũc à rapina hostium templa uindicaturi, nunc aduersus uindicem templorũ raptores defensuri. aguntq; se propugnatores sceleris, cuius turpe erat alios uindices fuisse, immemores prorsus, q in dubijs rebus suis illo deo etiam consiliorũ authore usi fuerãt, qd illo duce tot bella uictores inierãt, tot urbes auspicato condiderant, tantum imperium terra mariq; quæsierant, qd nihil, sine maiestate numinis eius, aut priuatæ unquam aut publicæ rei gesserant. tantum facinus admisisse ingenia omni doctrina exculta, pulcherrimis legibus institutisq; formata, ut quid, unde post hac succensere iure barbaris possint, non haberent. sed nec Philippus melioris fidei aduersus socios fuit. quippe ueluti timens, ne ab hostibus sacrilegij scelere uinceretur, ciuitates quarum pauloante

dux fuerat, quæ sub auspicijs eius militauerant, quæ gratulatæ illi, sibiq; uictoriam nactæ fuerant, hostiliter occupatas diripuit. Coniuges liberosq; omnium sub corona uendidit. Non deorum immortalium templis, non ædibus sacris, non dijs penatibus publicis priuatisq;, ad quos pauloante ingressus hospitaliter fuerat, pepercit. Prorsus ut non tam sacrilegij ultor extitisse, quàm sacrilegiorum licentiam quæsisse uideretur. Inde ueluti rebus egregie gestis in Thraciam traijcit. Vbi bello pari perfidia gesto, captisq; per dolum & occisis finitimis regibus, uniuersa prouincia impio Macedoniæ adiungit. Deinde ad abolendam inuidiæ famam, quia insignis præter cæteros tunc temporis habebatur, per regna mittit, & opulentissimas ciuitates, qui opinionem ferrerent, regem Philippum magna pecunia locare, muros per ciuitates & phana ac templa facienda, ut per præcones susceptores sollicitarentur. qui cum in Macedoniam uenissent, uarijs dilationibus frustratiuim regiæ maiestatis timentes taciti proficiscebantur. Post hæc Olynthios aggreditur. Receperant enim per misericordiam post cædẽ unius, duos fratres eius, quos Philippus ex nouerca genitos ueluti participes regni, interficere gestiebat. Ob hanc igitur causam urbem antiquam & nobilem excidit, & fratres olim destinato supplicio tradit, prædaq; ingenti pariter & parricidij uoto fruitur. Inde quasi omnia, quæ agitasset animo ei licerent, auraria in Thessalia, argenti metalla in Thracia occupat. Et ne quod ius uel fas inuiolatum prætermitteret, piraticam quoque exercere instituit. His ita gestis forte euenit, ut eum fratres duo re-

gis Thraciæ, non contemplatione iustitiæ eius, sed inuicem metuentes, ne alterius uiribus accederet, disceptationum suarum iudicem eligerent. Sed Philippus more ingenij sui, ad iudicium ueluti ad bellum inopinantibus fratribus instructo exercitu superuenit, & regno utrunque non iudicis more, sed fraude latronis ac scelere spoliauit. Dum hæc aguntur legati Atheniensium petentes pacem ad eum uenerunt. quibus auditis, & ipse legatos Athenas cum pacis cōditionibus misit. ibiq; ex commodo utrorunq; pax facta. Ex cæteris quoque Græciæ ciuitatibus, non pacis amore, sed belli metu, legationes uenere. Siquidem recrudescente ira, Thessali Bœotijq; orant, ut professum se aduersum Phocēses ducem Græciæ exhibeat, tanto odio Phocensium ardentes, ut obliti cladium suarum perire ipsi, quàm non perdere eos, præoptarent, expertamq; Philippi crudelitatem pati, quàm parcere hostibus suis, mallent. Contra Phocensium legati adhibitis Lacedæmonijs & Atheniensibus bellum deprecabantur, cuius ab eo dilationem ter iam emerant. Fœdum prorsus miserandumq; spectaculum, Græciam etiam nunc & uiribus, & dignitate, orbis terrarum principem, regum certe gentiumq; semper uictricem, & multarum adhuc urbium dominam, alienis excubare sedibus, aut rogitantem bellum aut deprecantem in alterius ope omnem spem posuisse. orbis terrarum uindices eo usque discordia sua, ciuilibusq; bellis redactos, ut adulentur ultro sordidam pauloante clientelæ suæ partem, & hoc potissimum facere Thebanos Lacedæmoniosq; antea inter se imperij nunc Græciæ imperantis æmulos.

Philippus inter hæc uindicatione gloriæ suæ tantarum urbium fastigium agitat, atque utros potius dignetur, æstimat. Secreto igitur auditis utrisque legationibus, his ueniam belli pollicetur, iureiurando adactis, responsum nemini proditūros, illis contra uenturum se auxiliumq; laturum. utrosque uetat parare bellum aut metuere. Sic uariato responso securis omnibus Thermopylarum angustias occupat. Tunc primum Phocenses se captos fraude Philippi animaduertentes trepidi ad arma confugiunt. Sed neque spatium erat instruendi belli, nec tempus ad contrahenda auxilia, & Philippus excidium minabatur, ni fieret deditio. Victi igitur necessitate, pacta salute, se dedunt. Sed pactio eius fidei fuit, cuius antea fuerat deprecati belli promissio. Igitur cæduntur passim rapiunturq;, non liberi parentibus, non coniuges maritis, non deorum simulachra templis suis relinquuntur. Vnum tantum miseris solatium fuit, quod cum Philippus portione prædæ socios fraudasset, nihil rerum suarum apud inimicos uiderunt. Reuersus in regnum, ut pecora pastores nunc in hybernos, nunc in æstiuos saltus traijciunt, sic ille populos & urbes (ut illi uel replenda uel dereliquenda quæque loca uidebantur) ad libidinem suam transfert. miseranda ubique facies, & excidio similis erat. Non quidem pauor ille hostilis, nec discursus per urbem militum erat, non tumultus armorum, non bonorum atque hominum rapina, sed tacitus mœror & luctus, uerentibus ne ipsæ lachrymæ pro contumacia haberentur. Crescit dissimulatione ipsa dolor, hoc al-

tius

tius demissus, quo minus profiteri licet. Nunc sepulchra maiorum, nunc ueteres penates, nunc tecta, in quibus geniti erant, in quibusq; genuerant, considerabant, miserantes nunc uicem suam, quod in eam diem uixissent, nunc filiorum, quod non post eam diem nati essent. Alios populos in finibus ipsis hostibus opponit, alios in extremis regni terminis statuit, quosdam bello captos in supplementis urbium diuidit. Atque ita ex multis gentibus nationibusq; unum regnum populumque constituit. Compositis ordinatisque Macedoniæ rebus, Dardanos cæterosq; finitimos fraude captos expugnat. Sed nec à proximis manus abstinet. Siquidem Arymbam regem Epiri uxori suæ Olympiadi arctissima cognatione uinctum pellere regno statuit, atque Alexandrum priuignum eius, uxoris Olympiadis fratrem, puerum honestæ pulchritudinis in Macedoniam nomine sororis accersit, omnique studio sollicitatum in spem regni simulato amore ad stupri consuetudinem perpulit, maiora in eo obsequia habiturus, siue conscientiæ pudore, siue regni beneficio. Igitur cum XX. ad annos peruenisset ereptum Arymbæ regnum puero admodum tradit, scelestus in utroque. nam nec in eo ius cognationis seruauit, cui ademit regnum, & eum, cui dedit, impudicum fecit ante quàm regem.

LIBER NONVS.

IN Græciam Philippus cum uenisset sollicitatus paucarũ ciuitatum direptione, & ex præda modicarum urbiũ, quãtæ opes uniuersarum essent animo prospiciens, bellũ toti Græciæ inferre statuit. Ad cuius emolumentum egregie pertinere ratus, si Byzantium, nobilem & maritimam urbem, receptaculum terra mariq; copijs suis futurum in potestatem redegisset, eandem claudentem sibi portas obsidione cinxit. Hæc nanq; urbs condita primo à Pausania rege Spartanorum, & per. VII. annos possessa fuit. deinde uariante uictoria, nunc Lacedæmoniorum, nunc Atheniensium iuris habita est. quæ incerta possessio effecit, ut nemine quasi suam auxilijs iuuante libertatem constantius tueretur. Igitur Philippus longa obsidionis mora exhaustus pecuniæ commercium de piratica mutuatur. Captis itaq;. C.LXX. nauibus, mercibusque, distractis anhelantem inopiam paululum recreauit. Deinde, ne unius urbis oppugnatione tantus exercitus teneretur, profectus cum fortissimis multas cheronnesi urbes expugnat. Filium Alexandrum decem & octo annos natum, ut sub militia patris tyrocinij rudimenta deponeret, ad se accersit. In Scythiam quoque prædandi causa profectus, more negociantium impensas belli alio bello refecturus. Erat eo tempore rex Scytharum Anteas. qui cum bello Istrianorum premeretur, auxilium à Philippo per Apollonienses petit, in successione eum regni Scythiæ adoptaturus. Cũ interim

Istrianorum

Istrianorum rex decedens & metu belli & auxiliorũ necessitate, Scythas soluit. Itaq; Anteas remissis Macedonibus renunciari Philippo iubet, neque auxilium eius se petisse, neq; adoptionem mandasse. nam neque uindictæ Macedonum egere Scythas, quibus meliores forent, neque hæredem sibi incolumi filio deesse. His auditis Philippus, legatos ad Anteam mittit impensæ obsidionis portionem petentes, ne inopia bellum desere re cogatur. quod eo promptius eum facere debere, quod missis à se in auxilium eius militibus, ne sumptum quidem uiæ, non modo officij precia dederit. Anteas inclementiam cæli & terræ sterilitatem causatus, quæ non patrimonijs ditet Scythas, sed uix alimenta exhibeat, respondit, nullas sibi opes esse, quibus tantum regem expleat, & turpius putare paruo defungi, q̃ totũ abnuere. Scythas autem uirtute animi & duritia corporis, non opibus censeri. Quibus derisus Philippus soluta obsidione Byzantij, scythicum bellum aggreditur, præmissis legatis, quo securiores faceret, qui nuncient Anteæ dum Byzantium obsidet uouisse statuam Herculi, ad quam in hostio Istri ponendam se uenire, pacatum accessum ad religionem dei petens, amicus ipse Scythis uenturus. Ille si uoto fungi uelit, statuam sibi mitti iubet, non modo ut ponatur, uerum etiam ut inuiolata maneat, pollicetur. Exercitum autem fines ingredi negat se passurum, ac si inuitis scythis statuam ponat, eo digresso sublaturum, uersurumq; æs statuæ in aculeos sagittarum. His utrinque irritatis animus præliũ committitur. Cum uirtute & numero præstarent Scythæ, astutia Phi-

lippi uincuntur. XX. milia puerorum ac fœminarum capta, pecoris magna uis, auri argentiq; nihil. ea primum fides inopiæ scythicæ fuit. XX. milia nobilium equarum ad genus faciendum in Macedoniam missa. Sed reuertenti à Scythia Triballi Philippo occurrunt. Negant se transitum daturos, ni portionem accipiant prædæ. Hinc iurgium, & mox prælium. in quo ita in femore uulneratus ē Philippus, ut per corpus eius equus interficeretur. Cum omnes occisum putarent, præda amissa est. Ita scythica uelut deuota spolia pene luctuosa Macedonibus fuere. Vbi uero ex uulnere primum conualuit, diu dissimulatum bellum Atheniensibus infert. Quorum causæ Thebani se iunxere, metuentes ne uictis Atheniensibus, ueluti uicium, incendium belli ad se transiret. Facta igitur inter duas paulo ante infestissimas ciuitates societate, legationibus Græciam fatigant, communem hostem putant communibus uiribus summouendum. Neque enim cessaturum Philippum si prospere prima successerint, nisi omnem Græciam domuerit. Motæ quædam ciuitates Atheniensibus se iungunt. quasdam autem ad Philippum belli metus traxit. Prælio commisso, cum Athenienses longe maiore militum numero præstarent, assiduis bellis indurata uirtute Macedonum uincuntur, non tamen immemores pristinæ gloriæ cecidere. Quippe aduersis uulneribus omnes loca, quæ tuenda à ducibus acceperant, morientes corporibus texerunt. Hic dies uniuersæ Græciæ & gloriam dominationis, & uetustissimam libertatem finiit. Huius uictoriæ callide dissimulata lætitia est. Denique non solita sacra Phi

lippus

lippus illa die fecit, non in conuiuio risit, non ludos inter epulas adhibuit, non coronas aut unguenta sumpsit, & quantum in illo fuit, ita uicit, ut uictorem nemo sentiret. Sed nec regem se Græciæ, sed ducem appellari iussit. Atque ita inter tacitam lætitiam & dolorem hostium temperauit, ut neque apud suos exultasse, neque apud uictos insultasse uideretur. Atheniensibus, quos passus infestissimos fuerat, & captiuos gratis remisit, & bello consumptorum corpora sepulturæ reddidit, reliquiasq; funerum, ut ad sepulchra maiorum deferrent, ultro hortatus est. Super hæc Alexandrum filium cum amico Antipatro, qui pacem cum his amicitiamq; iungeret, Athenas misit. Thebanorum porrò non solum captiuos, uerum etiam interfectorum sepulturam uendidit. principes ciuitatis alios securi percussit, alios in exiliū redegit, bonaq; omnium occupauit, pulsos deinde per iniuriam in patriam restituit. Ex horum numero .ccc. exules iudices rectoresq; ciuitati dedit. Apud quos cū potentissimi quiq; rei eius ipsius criminis postularentur, quod per iniuriam se in exilium egissent, huius constantiæ fuerunt, ut omnes se authores faterentur, meliusq; cum repu. actum, cum damnati essent, q̃ cum restituti contenderent. Mira prorsus audacia, de iudicibus uitæ necisq; suæ quemadmodum possunt, sententiam ferunt, contemnuntq; absolutionem, quam dare inimici possunt, & quam rebus nequeunt ulcisci, uerbis usurpant libertatem. Compositis in Græcia rebus Philippus omnium ciuitatum legatos ad formandū rerum præsentium statum euocari Corinthum iubet.

Ibi pacis legem uniuersæ Græciæ pro meritis singularum ciuitatum statuit, cōciliumq; omnium ueluti unum senatum ex omnibus elegit. Soli Lacedæmonij & legem & regem contempserunt, seruitutem non pacem rati, quæ non ipsis ciuitatibus conueniret, sed à uictore ferretur. Auxilia deinde singularum ciuitatum describuntur, siue adiuuandus ea manu rex oppugnante aliquo foret, seu duce illo bellum inferendum. Neq; enim dubium erat imperium Persarum his apparatibus peti. Summa auxiliorum CC. milia peditum fuere, & equitum XV. milia. Extra hanc summam & Macedoniæ exercitus erat, & confinis domitarum gentium barbaries. Initio ueris tres duces in Asiam Persarū iuris præmittit Parmenionem, Amyntam, & Attalum, cuius sororem nuper, expulsa Alexandri matre Olympiade propter stupri suspicionem, in matrimonium acceperat. Interea dum auxilia à Græcia coëunt, nuptias Cleopatræ filiæ & Alexandri, quem regem Epiri fecerat celebrat. Dies erat pro magnitudine duorum regum, & collocantis filiam, et uxorem ducentis apparatibus insignis. Sed nec ludorum magnificentia deerat, ad quorum spectaculum Philippus cum sine custodibus corporis medius inter duos Alexandros filium generumq; contenderet, Pausanias nobilis ex Macedonibus adolescens nemini suspectus occupatum Augustijs Philippum in transitu obtruncat, diemq; lætitiæ destinatum fœdum luctu funeris facit. Hic Pausanias primis pubertatis annis stuprum per iniuriam passus ab Attalo fuerat, cuius indignitati hæc etiam fœditas accesserat. nam produ-

ctum in conuiuia solutumq; mero Attalus non suæ tantum, uerum & conuiuarum libidini, uelut scortum uile, subiecerat, ludibriumq; omniũ inter æquales red diderat. Hanc rem ægre ferens Pausanias querelam Philippo sæpe detulerat. Cum uarijs frustrationibus non sine risu differretur, & honoratum insuper ducatu aduersarium cerneret, iram in ipsum Philippum uertit, ultionemq;, quam ab aduersario non poterat, ab iniquo iudice exegit. Creditum est etiam, immissum ab Olympiade matre Alexãdri fuisse, nec ipsum Alexandrum ignarũ paternæ cædis extitisse. quippe non minus Olympiadem repudium, & prælatam sibi Cleopatram, quàm stuprum Pausaniam doluisse. Alexandrum quoque regni æmulum fratrem ex nouerca susceptum timuisse, eoq; actum ut in conuiuio antea primum cum Attalo mox cum ipso patre iurgaret. Adeo ut etiam stricto gladio eum Philippus consectatus sit, ægreq; à filij cæde amicorum precibus exoratus. Quam ob rem Alexander ad auunculum se in Epirum cum matre, inde ad reges Illyriorum contulerat, uixq; reuocanti mitigatus est patri, precibusq; cognatorum ægre redire compulsus. Olympias quoque fratrem suum Alexandrum Epiri regem in bellum subornabat, perfecissetq;, ni filiæ nuptijs pater generum occupasset. His stimulis irarum uterque Pausaniã de impunitate stupri sui querẽtem ad tantum facinus impulisse creduntur. Olympias certe fugienti percussori equos quoque præparatos habuit. Ipsa deinde audita regis nece, cum titulo officij ad exequias cucurrisset, in cruce pendentis Pausaniæ capiti eadem nocte,

qua uenit, coronam auream imposuit, quod nemo alius audere, nisi hæc, superstite Philippi filio potuisset. Paucos deinde post dies refixum corpus interfectoris super reliquias mariti cremauit, & tumulum ei eodem fecit in loco, parentariq; eidem quotannis, incussa populo superstitione, curauit. Post hæc Cleopatram, à qua pulsa Philippi matrimonio fuerat, in gremio eius prius filia interfecta, finire uitam suspendio coëgit, spectaculoq; pendentis ultio petita est, ad quam per parricidiũ festinauerat. Nouissime gladium illum, quo rex percussus est, Apollini sub nomine Myrtalis consecrauit. hoc enim nomen ante Olympiadis paruulæ fuit. Quæ omnia ita palàm facta sunt, ut timuisse uideatur, ne facinus ab ea commissum non probaretur. Decessit Philippus XL. & VII. annorum, cum annis XXV. regnasset. Genuit ex Larißæa saltatrice filium Aridæum, qui post Alexandrum regnauit. Habuit & multos alios filios ex uarijs matrimonijs regio more susceptos. qui partim fato, partim ferro periere. Fuit rex armorum, quàm conuiuiorũ, apparatibus studiosior, cui maximæ opes erãt instrumenta bellorum, diuitiarum quæstu quàm custodia sollertior. itaque inter cotidianas rapinas semper inops erat. Misericordia in eo & perfidia pari iure dilectæ. Nulla apud eum turpis ratio uincendi, blandus pariter & insidiosus alloquio, qui plura promitteret, quàm præstaret. In seria & iocos artifex. Amicitias utilitate non fide colebat. Gratiam fingere in odio, in gratia offensam simulare, instruere inter concordantes odia, apud utrunque gratiam quærere, so-

lemnis illi consuetudo. Inter hæc eloquentia insignis, oratio acuminis & sollertiæ plena, ut nec ornatui facilitas, nec facilitati inuentionum deesset ornatus. Huic Alexander successit, & uirtute & uitijs patre maior. Itaque uincendi ratio utrique diuersa. Hic aperta ui, ille artibus bella tractabat. Deceptis ille gaudere hostibus, hic palàm fusis. Prudentior ille consilio, hic animo magnificentior. Iram pater dissimulare plerunque & uincere, huic, ubi exarsisset, nec dilatio ultionis, nec modus erat. Vini nimis uterque auidus, sed ebrietatis diuersa uitia. Patri mos erat & de conuiuio in hostem procurrere, manum conserere, periculis se temere offerre, Alexander non in hostem, sed in suos sæuiebat. Quam ob rem Philippum sæpe uulneratum prælia remisere, hic amicorum interfector conuiuio frequenter excessit. Regnare ille cum amicis nolebat, hic in amicos regna exercebat. Amari pater mallebat, hic metui. Literarum cultus utrique similis. Sollertiæ pater maioris, hic fidei. Verbis atque oratione Philippus, hic rebus moderatior. Parcendi uictis filio animus & promptior & honestior, ille nec socijs abstinebat. Frugalitati pater, luxuriæ filius magis deditus erat. Quibus artibus orbis imperij fundamenta pater fecit, operis totius gloriam filius consumauit.

LIBER DECIMVS.

Rtaxerxi regi Persarum ex pellicibus centum quindecim filij fuere, sed tres tantum iusto matrimonio suscepti, Darius, Ariarchus, et Ochus Ex his Darium contra morem Persarum, apud quos rex non nisi morte mutatur, per indulgentiam pater regem uiuus fecit, nihil sibi ablatum existimans, quod in filium contulisset, sinceriusq; gaudium ex procreatione capturus, si insignia maiestatis suæ uiuus in filio conspexisset. Sed Darius post noua paternæ pietatis exempla interficiendi patris consilium cœpit. sceleratior quod, si solus parricidium cogitasset, tanto sceleratior in societatẽ facinoris assumptos quinquaginta fratres fecit parricidas. ostenti prorsus genus, ubi in tanto pouplo non solum sociari, uerum etiam sileri parricidium potuit, ut ex quinquaginta liberis nemo inuentus sit, quẽ aut paterna maiestas, aut ueneratio senis, aut indulgentia patris à tanta immanitate reuocaret. adeo uile paternum nomen apud tot numero filios fuit, ut quorum præsidio tutus etiam aduersus hostes esse debuerat, eorum insidijs circũuentus tutior ab hostibus, q̃ à filijs fuerit. Causa parridij sceleratior ipso parricidio fuit. Occiso quippe Cyro fratre in bello, cuius mentio supra habita est, Aspasiam pellicem eius rex Artaxerxes in matrimonium receperat. hanc patrem cedere sibi, sicuti regnum, Darius postulauerat. Qui, pro indulgentia sua in liberos, primo facturum se dixerat, mox pœnitentia ductus ut

honeste negaret, quod temere promiserat, solis eam sacerdotio, quo perpetua illi ab omnibus uiris pudicitia imperabatur. Hinc exacerbatus iuuenis in iurgia primo patris erupit. mox facta cum fratribus coniuratione, dum patri insidias parat, deprehensus cũ socijs pœnas parricidij dijs paternæ maiestatis ultoribus, dedit. coniuges quoq; omnium cum liberis, ne quod uestigium tanti sceleris extaret, interfectæ sunt. Post hæc Artaxerxes morbo ex dolore contracto decedit. rex, q̃ pater, facilior. Hæreditas regni Ocho tradita, qui timens parem coniurationem, regiam cognatorum cæde & strage principum replet, nulla non sanguinis, non sexus, non ætatis misericordia permotus, scilicet ne innocentior fratribus parricidis haberetur. Atque ita ueluti purificato regno bellum Cadusijs infert. In eo cum aduersus prouocatorem hostium Codomanus quidam omnium fauore processisset, hoste cæso uictoriam suis pariter, & prope amissam gloriam restituit. ob hæc decora idem Codomanus præficitur armenijs. Interiecto deinde tempore post mortem Ochi regis ob memoriã pristinæ uirtutis rex à populo constituitur, Darij nomine, ne quid regiæ maiestati deesset, honoratus. bellumq; cum Alexandro magno diu uariante fortuna magna uirtute gessit. Postremo uictus ab Alexandro & à cognatis occisus uitam pariter cum Persarum regno finiuit.

LIBER VNDECIMVS.

IN exercitu Philippi sicuti uariæ gentes erant, ita eo occiso diuersi motus animorum fuere. Alij quippe iniusta seruitute oppressi, ad spē se libertatis erigebant. Alij tedio longinquæ militiæ remissam sibi expeditionem gaudebant. Nonnulli facem nuptijs filiæ accensam rogo patris subditam dolebant. Amicos quoque tam subita mutatione rerum haud mediocris metus ceperat, reputantes, nunc prouocatam Asiam, nunc Europam nondum perdomitam, nunc Illyrios, & Thracas, & Dardanos, cæterasq; barbaras gentes fidei dubiæ, & mentis infidæ. qui omnes populi si pariter deficiant, resisti nullo modo posse. His rebus uelut medela quædam interuentus Alexandri fuit. qui pro concione ita uulgus omne cōsolatus, hortatusq; pro tempore est, ut & metum timentibus demeret, & in spem sui omnes impelleret. Erat hic annos. XX. natus. In qua ætate ita moderate de se multa pollicitus est, ut appareret plura eum experimentis reseruare. Macedonibus immunitatem cunctarum rerum, præter militiæ uacationem, dedit. quo facto tantum sibi fauorem omnium conciliauit, ut corpus hominis, non uirtutem regis mutasse se dicerent. Prima illi cura paternarum exequiarum fuit. In quibus ante omnia cædis conscios ad tumulum patris occidi iussit, soli Alexandro Lyncistæ fratri pepercit, seruans in eo auspicium dignitatis suæ. Nam regem eum primus salutauerat. Aemulum quoque imperij Caranum fratrem ex nouerca suscæ=

ptum interfici curauit. Inter initia multas gentes rebellantes compescuit. orientes nonnullas seditiones extinxit. Quibus rebus erectus, citato gradu in Græciam contendit. Vbi exemplo patris Corinthum euocatis ciuitatibus, dux in locum eius substituitur. Inchoatum deinde à patre persicum bellum aggreditur. In cuius apparatu occupato nunciatur, Athenienses, et Thebanos ab eo ad Persas defecisse, authoremq; eius defectionis magno auri pondere à Persis corruptum Demosthenem oratorem extitisse, qui Macedonum deletas omnes cum rege copias à Triballis affirmauerit, producto in concionem authore, qui in eo prælio, in quo rex ceciderat, se quoq; uulneratum diceret. qua opinione mutatos omnium fermè ciuitatum animos esse, præsidia Macedonũ obsideri. Quibus motibus occursurus, tanta celeritate instructo paratoq; exercitu Græciam oppressit, ut quem uenire non senserant, uidere se uix crederent. In transitu hortatus Thessalos fuerat. beneficiorumq; Philippi patris maternæq; suæ cum his ab Aeacidarum gente necessitudinis admonuerat. Cupide hæc Thessalis audientibus exemplo patris dux uniuersæ gentis creatus erat, & uectigalia omnia reddituśq; suos ei tradiderant. Sed Athenienses sicuti primi defecerunt, ita primi pœnitere cœperunt, contemptum hostis in admirationem conuertentes, pueritiamq; Alexandri spretam antea supra uirtutem ueterum ducum extollentes. Missis itaque legatis bellum deprecantur. quibus auditis, & grauiter increpatis, Alexander bellum remisit. Inde Thebas exercitum conuertit, eadem indulgentia usurus, si parem pœnitentiam inuenisset.

ſed Thebani armis non precibus nec deprecatione uſi ſunt. Itaq; uicti grauiſſima quæq; ſupplicia miſerrimæ captiuitatis experti ſunt. Cum in conſilio de excidio urbis deliberaretur, Phocenſes & Platæenſes & Theſpienſes & Orchomenij Alexandri ſocij, uictoriæq; participes excidium urbium ſuarum, crudelitatemq; Thebanorum referebant, ſtudia in Perſas non præſentia tantum, uerum etiam & uetera aduerſus Græciæ libertatem increpantes. Quam ob rem odium eos omnium populorum eſſe. quod uel ex eo manifeſtari, quod iureiurãdo ſe omnes obſtrinxerint, ut uictis Perſis Thebas diruerent. adijciunt & ſcelerum priorum fabulas, quibus omnes ſcænas replerant, ut non præſenti tantum perfidia, uerum & uetere infamia inuiſi forent. Tunc Eleadas unus ex captiuis, data poteſtate dicendi, non à rege ſe defeciſſe, quem interfectum audierint, ſed à regis hæredibus, quicquid in eo ſit admiſſum credulitatis, non perfidiæ culpam eſſe, cuius tamen iam magna ſe ſupplicia pependiſſe. deleta iuuentute, nunc ſenum fœminarumq; ſicuti infirmum, ita innoxium reſtare uulgus, ipſumq; ſtupris contumelijſq; ita uexatum eſſe, ut nihil amarius unquam ſint paſſi, nec iam pro ciuibus ſe, qui tam pauci remanſerint, orare, ſed pro innoxio patriæ ſolo, et pro urbe, quæ non uiros tantum uerum etiam deos genuerit. Priuata etiam regem ſuperſtitione deprecatur geniti, apud ipſos Herculis, unde origmem gens Aeacidarum trahat. actæq; Thebis à patre eius Philippo pueritiæ rogat, urbi parcat, quæ maiores eius partim apud ſe genitos deos adoret, partim educatos ſummæ maieſtatis

reges uiderit. Sed potentior fuit ira q̃ preces. Itaq; urbs diruitur. agri inter uictores diuiduntur. captiui sub corona uenduntur. quorum precium non ex ementium commodo, sed ex inimicorum odio extenditur. miseranda res Atheniensibus uisa. itaq; portas refugijs profugorum contra interdictum regis aperuere. Quam rē ita grauiter tulit Alexander, ut secunda legatione denuo bellum deprecantibus ita demum remiserit, ut oratores & duces, quorum fiducia toties rebellent, sibi dedantur, paratisq; Atheniensibus, ne cogantur subire bellum, eo res deducta est, ut retentis oratoribus duces in exilium agerentur. Qui ex continenti ad Darium profecti non mediocre momentum Persarum uiribus accessere. Proficiscens ad persicum bellum omnes nouercæ suæ cognatos, quos Philippus in excelsiorem dignitatis locum prouehens imperijs præfecerat, interfecit. Sed nec suis, qui apti regno uidebantur, pepercit, ne qua materia seditionis procul se agente in Macedonia remaneret, & regios stipendiarios suspectioris ingenij ad commilitium secum trahit, seniores ad tutelam regni relinquit. Adunato deinde exercitu naues onerat. Vnde conspecta Asia, incredibili ardore mentis accensus duodecim aras deorum in belli uota statuit. Patrimonium omne suum, quod in Macedonia Europaq; habebat, amicis diuidit, sibi Asiam sufficere præfatus. Prius, q̃ ulla nauis litore cederet, hostias cædit, petens uictoriam bello, quo toties à Persis petitæ Græciæ ultor electus sit, quibus longa iam satis & matura imperia contigisse, quorũq; tempus esse uices excipere melius acturos. Sed neque exercitus eius alia,

quàm regis animorum præsumptio fuit. quippe obliti omnes coniugum, liberorumq́ꝫ, et longinquæ à domo militiæ, persicum aurum, & totius orientis opes, iam quasi suam prædam ducebant, nec belli periculorum, sed diuitiarum meminerant. Cum delati in continentem essent, primus Alexander iaculum uelut in hostilem terram iecit, armatusq́ꝫ de naui tripudianti similis prosiluit, atque ita hostias cædit, precatus ne se regem illæ terræ inuitæ accipiant. In Ilio quoque ad tumulos eorum, qui troiano bello ceciderant, parentauit. Inde hostem petens, milites à populatione Asiæ prohibuit, parcendum suis rebus præfatus, nec perdē da ea quæ possessura uenerant. In exercitu eius fuere peditum XXXII. milia, equitum quatuor milia quingenti, naues centum LXXXII. Hac tam parua manu uniuersum terrarum orbem utrum sit admirabilius uicerit, an aggredi ausus fuerit, incertum est. cum ad tam periculosum bellum exercitum legerit, non iuuenes robustos, nec primo flore ætatis, sed ueteranos, plerosq́ꝫ etiam emeritæ militiæ, qui cum patre usq́ꝫ militauerant, elegit, ut non tam milites, quàm magistros militiæ electos putares. Ordines quoq́ꝫ nemo nisi sexagenarius duxit, ut si principia castrorum cerneres, senatum te alicuius priscæ reip. uidere diceres. Itaq́ꝫ nemo in prælio fugam, sed uictoriam cogitauit, nec in pedibus cuiquam spes, sed in lacertis fuit. Contra rex Persarum Darius fiducia uirium nil astu agere, affirmans suis occulta consilia uictoriæ furtiuæ non conuenire, nec hostem à regni finibus arcere, sed in intimū regnū accipere, gloriosius ratus repellere regno, quàm

non

non admittere. Prima igitur congressio in campis Adrastiæ fuit. In acie Persarum sexcenta milia militum fuere, quæ non minus arte Alexandri, quàm uirtute Macedonum superata, terga uerterunt. magna itaq; cædes Persarum fuit. de exercitu Alexandri noningenti pedites, centum uiginti equites cecidere. quos rex impense ad cæterorũ solatia humatos statuis equestribus donauit, cognatisq; eorum immunitates dedit. Post uictoriam maior pars Asiæ ad eum defecit. Gessit & plura bella cũ præfectis Darij, quos iam non tam armis, quàm terrore nominis sui uicit. Dum hæc aguntur, interim indicio captiui ad eum defertur, insidias ei ab Alexandro Lyncesta genero Antipatri, qui præpositus Macedoniæ erat, parari. ob quam causam timens, ne quis interfecto eo in Macedonia motus oriretur, in uinculis eum habuit. Post hæc Gordieum urbem petit, quæ posita est inter Phrygiam maiorem & minorem. cuius urbis potiundæ non tam propter prædam cupido eum cepit, sed quod audiuerat in ea urbe in templo Iouis iugum plaustri Gordij positum, cuius nexum si quis soluisset, eum tota Asia regnaturum antiqua oracula cecinisse. Huius rei causa & origo illa fuit. Gordius cum in his regionibus bobus conductis araret, aues eum omnis generis circunuolare cœperunt. Profectus ad consulendos augures uicinæ urbis obuiam in porta habuit uirginem eximiæ pulchritudinis, percunctatus'que eam, quem potissimum augurem consuleret, illa, audita causa consulẽdi, gnara artis ex disciplina parentum, regnum ei portendi respondit, pollicetur'q; se & matrimonij &

ſpei ſociam. tam pulchra conditio prima regni felicitas uidebatur. Poſt nuptias inter Phrygas orta ſeditio eſt. conſulentibus de fine diſcordiarum oracula reſponderunt, rege diſcordijs opus eſſe. Iterato quærentibus de perſona regis, iubentur eum regē obſeruare, quem reuerſi primum in templum Iouis euntem plauſtro repeiriſſent. obuius illis Cordius fuit, ſtatimq; eum regem conſalutant. Ille plauſtrum, quo uehenti regnum delatum ei fuerat, in templo Iouis poſitum maieſtati conſecrauit regiæ. Poſt hunc filius Mida regnauit. qui ab Orpheo ſacrorum ſolemnibus initiatus, Phrygiam religionibus impleuit, quibus tutior omni uita q̄ armis fuit. Igitur Alexander capta urbe cum in templum Iouis ueniſſet, iugum plauſtri requiſiuit. quo exhibito cum capita loramentorum intra nodos abſcondita reperire non poſſet, uiolentius oraculo uſus gladio loramenta cædit. Atq; ita reſolutis nexibus latentia in nodis capita inuenit. Hoc illi agenti nunciatur Darium cum ingenti exercitu aduentare. Itaq; timens anguſtias magna celeritate Taurum tranſcendit. In qua feſtinatione quingenta ſtadia curſu fecit, cum Tarſum ueniſſet captus Cydni fluminis amœnitate per mediam urbem influētis, proiectis armis, plenus pulueris ac ſudoris, in præfrigidam undam ſe proiecit. tum repente tantus neruos eius occupauit rigor, ut intercluſa uoce non ſpes modo remedij, ſed nec dilatio periculi inueniretur. Vnus erat ex medicis nomine Philippus, qui ſolus remedium polliceretur. ſed & ipſum Parmenionis pridie à Cappadocia miſſæ epiſtolæ ſuſpectum faciebant, qui ignarus infirmitatis Alexandri ſcripſerat, à Philippo medico



ut caueret. nam corruptum illum à Dario ingenti pecunia esse. Tutius tamen ratus ē dubiæ se fidei medici credere, q̄ indubitato morbo perire. Accepto igitur poculo epistolas medico tradidit, atque ita inter biben dum oculos in uultum legentis intendit. ut securum conspexit, lætior factus est, sanitatemq; quarta die rece pit. interea Darius cum. CCC. milibus peditum & C. milibus equitum in aciem procedit. Mouebat hæc multitudo hostium respectu paucitatis suæ Alexandrū, sed interdum reputabat, quantas res cum ista paucitate gessisset, quātosq; populos fudisset. Itaq; cum spes metum uinceret, periculosius differre bellum ratus, ne desperatio suis cresceret, circumuectus suos singulas gentes diuersa oratione alloquitur, Illyrios & Thracas opum ac diuitiarum ostentatione, Græcos ueterum bellorum memoria æterniq; cum Persis odij accendebat. Macedo nas autem, nunc Europæ uictæ admonet, nunc Asiæ expetitæ, nec inuentos illis toto orbe pares uiros gloriatur. Cæterum & laborum finem hunc, & gloriæ cumulum fore. Atq; inter hæc identidem consistere aciē iubet, ut hac mora consuescant oculis turbam hostium sustinere. Nec Darij segnis opera in ordinād a acie fuit. quippe omissis ducum officijs ipse omnia circumire, singulos hortari, ueteris gloriæ Persarū imperijq; perpetuæ à dijs immortalibus datæ possessionis admonere. Post hæc prælium ingentibus animis committitur. In eo uterq; rex uulneratur. Tam diu certamen anceps fuit, quoad fugerat Darius. Exinde cædes Persarum secuta est. Cæsa sunt peditum unum & LX. milia, equitum decem milia, capta quadraginta milia. Ex

Macedonibus cecidere pedestres.C.XXX.eqtes.C.L.In castris Persarũ multum auri, cæterarũq; opum inuẽtũ. Inter captiuos castrorum mater, & uxor eadẽq; soror, & filiæ duæ Darij fuere. ad quas uisendas hortandasq; cum Alexãder uenisset, conspectis armatis inuicẽ se complexæ uelut statim morituræ, complorationẽ ediderunt. Prouolutæ deinde genibus Alexãdri non uitam, sed dũ Darij corpus sepeliant, dilationem mortis deprecantur. Motus tanta mulierũ pietate Alexãder, et Dariũ uiuere dixit, & timẽtibus mortis metũ dempsit, easq; haberi, et salutari, ut reginas præcepit. Filias quoq; non sordidius dignitate patris sperare matrimoniũ iussit. Post hæc opes Darij diuitiarumq; apparatũ contemplatus admiratione tantarum rerum capitur. Tunc primum luxuriosa conuiuia, & magnificentiã epularum sectari, tunc Barsinen captiuam diligere propter formæ pulchritudinem cœpit, à qua postea susceptum puerum Herculem uocauit. memor tamen adhuc Darium uiuere, Parmenionem ad occupandã persicam classem, aliosq; amicos ad recipiendas Asiæ ciuitates misit. Quæ statim audita fama uictoriæ, ipsis Darij præfectis cum auri magno pondere tradentibus se, in potestatim uictorum uenerunt. Tunc in Scyriam proficiscitur, ubi obuios cum infulis multos reges orientis habuit. ex his pro meritis singulorum alios in societatem recepit, alijs regna ademit, suffectis in loca eorum nouis regibus. Insignis præter cæteros fuit Abdolonymus rex ab Alexandro sidoniæ constitutus, quem Alexander, cum operam oblocare ad puteos exhauriendos hortosq; irrigandos solitus esset, misere uitam

exigentem regem fecerat, spretis nobilibus, ne generis id, non dantis beneficium putarent. Tyriorum ciui=tas cum coronam auream magni ponderis per lega-tos in titulum gratulationis Alexandro misisset, grate munere accepto Tyrũ se ire uelle ad uota Herculi red denda dixit, cum legati rectius id eum in Tyro ue=tere & antiquiore templo facturum dicerent, in de precantes eius introitum ita exarsit, ut urbi excidium minaretur. Confestimq; exercitu insulæ applicito, non minus animosis Tyrijs fiducia Carthaginensium bel-lo excipitur. augebat enim Tyrijs animos Didonis exẽ plum, quæ Carthagine condita tertiam partem or=bis quæsisset, turpe ducentes si fœminis suis plus animi fuisset in imperio quærendo, q̃ sibi in tuenda liberta-te. Amota igitur imbelli ætate Carthaginem, & accer sitis mox auxilijs, non magno post tempore per pro=ditionem capiuntur. Inde Rhodum Alexander Aegy-ptum Ciliciamq; sine certamine recepit. Ad Iouem de-inde Ammonem pergit consulturus & de euentu fu-turorum, & de origine sua. Nanq; mater eius Olym-pias confessa uiro suo Philippo fuerat, Alexandrum non ex eo, sed ex serpente ingentis magnitudniis con cepisse. Denique Philippus ultimo propè uitæ suæ tem=pore, filium suum non esse palàm prædicauerat, qua ex causa Olimpiada uelut stupri compertam repudio dimiserat. Igitur Alexander cupiẽs originem diuinita tis acquirere, simul & matrem infamia liberare, per præmissos subornat antistites, quid sibi responderi uelit. Ingrediẽtem templum statim antistites, ut Ammonis fi-liũ salutant. Ille lætus dei adoptione hoc se patre cẽse=

ri iubet. Rogat deinde, an omnes interfectores patris sui sit ultus, respondent patrem eius nec posse interfici, nec mori, regis Philippi peractam plene ultionem esse. Tertiam interrogationem poscenti uictoriam omnium bellorum, possessionemq; terrarũ dari respondent. Comitibus quoq; suis responsum, ut Alexandrum pro deo, non pro rege colerent. Hinc illi aucta insolentia, mirusque animo increuit tumor exempta comitate, quam & Græcorum literis, & Macedonum institutis didicerat. Reuersus ab Ammone Alexandriam condidit, & coloniam Macedonum caput esse Aegypti iubet. Darius cum Babylona profugisset, per epistolas Alexandrum precatur, redimendarum sibi captiuarũ potestatem faciat, inq; eam rem magnam pecuniam pollicetur. sed Alexander in pretium captiuarum regnum omne, non pecuniam petit. Interiecto tempore aliæ epistolæ Darij Alexãdro redduntur, quibus filiæ matrimonium, & regni portio offertur. sed Alexander sua sibi dari rescripsit, iussitq; supplicem uenire, & regni arbitria uictori permittere. Tum, spe pacis amissa, bellum Darius reparat, quadringentis milibus peditum, & centum milibus equitum obuiam uadit Alexandro. In itinere nunciatur uxorẽ eius ex collisione abiecti partus decessisse, eiusq; mortem illachrymatum Alexandrũ, exequiasq; benigne prosecutum, idq; eum non amoris, sed humanitatis causa fecisse. nam semel eam tantum ab Alexandro uisam esse, cum matrem paruulasq; filias eius frequenter consolaretur. Tunc Darius se ratus est uere uictum, cum post prælia & beneficijs ab hoste superaretur, gratumq; sibi esse si uincere nequeat, quod

at, quod à tali potissimum uinceretur. Scribit itaq; & tertias epistolas, & gratias agit, quod nihil in suos hostile fecerit. offert deinde maiorem partem regni usq; ad flumen Euphratem, & alteram filiam uxorem, pro reliquis captiuis triginta milia talentum. Ad hoc Alexander gratiarum actionem ab hoste superuacaneam esse respondit, nec à se quicquam factum in hostis adulationem, nec quod in dubios belli exitus aut in leges pacis sibi lenocinia quæreret, sed animi magnitudine, qua didicerit aduersus uires hostium non aduersus calamitates contendere. polliceturq; se præstaturum ea Dario, si secundus sibi, non par haberi uelit. cæterum neque mundum posse duobus solibus regi, neq; orbem summa duo regna saluo statu terrarum habere. Proinde aut deditionem eadem die, aut in posteram aciem paret, nec polliceatur sibi aliam, quàm sit expertus uictoriã. Postera die aciem producunt. Tum repente, ante prælium, confectum curis Alexandrum somnus arripuit. cum ad pugnam solus rex deesset, à Parmenione ægre excitatus quærentibus somni causas omnibus inter pericula, cuius etiã in otio semper parcior fuerit, magno se metu liberatum ait, somnumq; sibi à repentina securitate datum, quod liceat cum omnibus Darij copijs confligere, ueritum se longam belli moram, si Persæ exercitum diuisissent. ante prælium utraq; acies hostibus spectaculo fuit. Macedones multitudinem hominum, corporum magnitudinem, armorumq; pulchritudinem mirabantur, Persæ autem à tam paucis uicta suorum tot milia stupebant. Sed nec duces circumire suos cessabant. Darius uix denis armatis singulos hostes si diui-

ſio fieret euenire dicebat. Alexander Macedonas monebat, ne multitudine hoſtium, neúe corporis magnitudine, uel coloris nouitate mouerentur, tantum meminiſſe iubet, cum iiſdem ſe tertio pugnare, nec meliores factos putarent fuga, cum in aciem ſecum tam triſtem memoriam cædium ſuarum, et tantum ſanguinis duobus prælijs fuſi præferrent. & quemadmodũ Dario maiorem turbam hominum eſſe, ſic uirorum ſibi. Hortatur ſpernat illam aciem auro & argento fulgentem, in qua plus prædæ, q̃ periculi ſit, cum uictoria non ornamentorum decore, ſed ferri uirtute quæratur. Poſt hæc præliũ committitur. Macedones in ferrum cum contemptu toties à ſe uicti hoſtis ruebant. Contra Perſæ mori, q̃ uinci præoptabant. Raro in alio prælio tantum ſanguinis fuſum eſt. Darius cum uinci ſuos uideret, uoluit mori & ipſe. ſed à proximis fugere compulſus eſt. ſuadẽtibus deinde quibuſdam, ut pós Lyci fluminis ad iter hoſtium impediendũ intercideretur, nõ ita ſaluti ſuæ uelle conſultum ait, ut tot milia ſociorum hoſtibus obijciat, debere & alijs fugæ uiam patere, quæ patuerit ſibi. Alexander autem periculoſiſſima quæq; aggrediebatur, & ubi confertiſſimos hoſtes acerrime pugnare conſpexiſſet, eo ſe ſemper ingerebat, periculaq; ſua eſſe, non militum uolebat. Hoc prælio Aſiæ imperiũ rapuit, quinto poſt acceptum regnum anno. cuius felicitas tanta fuit, ut poſt hoc nemo rebellare auſus ſit, patienterq; Perſæ poſt imperiũ tot annorũ iugũ ſeruitutis acceperint. Donatis refectiſq; militibus. XL. continuis diebus prædã recognoſcit. In urbe deide Suſis quadragita milia talentorũ inuenit.

Expugnat & Persepolim caput persici regni, urbem multis annis illustrẽ, refertamq́; orbis terrarũ spolijs, quæ interitu eius primum apparuerunt. Inter hæc octingenti admodum Græci occurrunt Alexandro, qui pœnam captiuitatis truncata parte corporum tulerãt, rogantes, ut sicuti Græciã, se quoq; ab hostis crudelitate uindicaret. Data potestate redeundi agros recipere maluerunt, ne non tam gaudium parentibus, q̃ detestandum sui conspectum reportarent. Interea Darius in gratiã uictoris à cognatis suis aureis cõpedibus cathenisq́; in uico Parthorum Tanea uincitur. credo ita dijs immortalibus uindicantibus, ut in terra eorũ, qui successuri imperio erant, Persarum regnũ finiretur. Alexander quoq; citato cursu postera die superuenit. Ibiq; cognouit Darium clauso uehiculo per noctem exportatum. Iusso itaq; exercitu subsequi cum sex milibus equitum fugientem insequitur. In itinere multa & periculosa prælia facit. Emensus deinde multa milia passuum, cum nullum Darij indicium reperisset, respirandi equis data potestate, unus ex militibus, dum ad fontem proximum pergit, in uehiculo Dariũ multis quidem uulneribus confossum, sed spirãtem adhuc inuenit. Qui applicito captiuo cum ciuem ex uoce cognouisset, id saltem præsentis fortunæ solatiũ se habere dixit, q̃d apud itellecturũ locuturus esset, nec incassum postremas uoces emissurus. Perferri hæc Alexãdro iubet, se nullis in eũ meritorũ officijs maximorum illi debitorem mori, q̃d in matre liberisq́; suis regiũ eius, non hostilẽ animũ expertus, feliciusq; hostem q̃ cognatos propiquosq; sortitus sit. quippe et matri, ac liberis

suis ab eodem hoste uitam datam, sibi à cognatis ereptam, quibus & uitam & regna dederit. quam ob rẽ gratiam illi eam futuram, quam ipse uictor uolet, Alexandro referre se, quam solam moriens potest gratiam. precari superũm & inferũm numina, & regales deos, ut illi terrarũ omniũ uictori contingat imperiũ, pro se iustam magis, q̃ grauem sepulturæ ueniam orare. quod ad ultionem pertineat, iam nõ suam, sed exẽpli, communemq; omnium regum esse causam, quam negligere illi & indecorum esse & periculosum. quippe cum in altero iustitiæ eius, in altero etiam utilitatis causa uersetur. In quam rem unicum pignus fidei regiæ dextram se ferendam Alexandro dare. Post hæc porrecta manu expirauit. Quæ ubi Alexandro nunciata sunt, uiso corpore defuncti, tam indignam illo fastigio mortem lachrymis prosecutus est. Corpus'que regio more sepeliri, & reliquias eius maiorum tumulis inferri iussit.

LIBER DVODECIMVS.

a Lexander in persequẽdo Dario amissos milites magnis funerum impensis extulit. Reliquis expeditionis eius socijs XV. milia talẽtorum diuisit. Equorũ maior pars æstu amissa, inutilesq; etiam, qui superfuerãt, facti. Pecunia omnis CLXXX. milia talentorum ex uictoria nuper congesta, eiq; Parmenio præficitur. Dum hæc aguntur, epistolæ Antipatri à Macedonia redduntur, quibus bellum Agidis re

gis Spartanorum in Græcia, et Alexandri regis Epi
ri in Italia, Zopyrionis præfecti eius in Scythia mors
continebatur. Quibus uarie affectus, plus tamen læti=
tiæ cognitis motibus duorum æmulorum regum, q̃ do-
loris amissi cum Zopyrióe exercitus suscepit. Nāq; post
profectionem Alexandri Græcia ferme omnis in occa
sionem recuperandæ libertatis ad arma concurrerat,
authoritatem Lacedæmoniorum secuta, q̧ Philippi Ale
xandriq; pacem soli spreuerant, & leges respuerant.
Dux huius belli Agis rex Lacedæmoniorum fuerat.
quem motum Antipater contractis militibus in ipso or
tu oppressit. magna tamen utrinq; cædes fuit. Agis rex
cum suos terga dantes uideret, dimissis satellitibus, ut
Alexandro felicitate, nó uirtute inferior uideretur, tan
tas strages hostium edidit, ut agmina interdũ fugaret.
ad extremum & si à multitudine uictus gloria tamẽ
omnes uicit. Porro Alexander rex Epiri in Italiam à
Tarentinis auxilia aduersus Brutios deprecantibus sol
licitatus ita cupide profectus fuerat, uelut in diuisione
orbis terrarum Alexandro Olympiadis sororis suæ
filio oriens, & sibi occidens sorte contigisset, non mino
rem rerum materiam in Italia, Africa, Siciliáq;, q̃ ille
in Asia & Persis habiturus. Huc accedebat, quod sicut
Alexandro magno delphica oracula insidias in Mace
donia, ita huic responsum dodonæi Iouis urbem Pando
siam amnemq; Acherusium prædixerat. quæ utraque
cum in Epiro essent, ignarus eadem & in Italia esse,
ad declinanda fatorum pericula pẽgrinam militiam
cupidius elegerat. Igitur cum in Italiam uenisset, pri-
mum illi bellũ cũ Appulis fuit, quorũ cognito urbis fa=

to, breui post tempore pacem & amicitiã cum rege eorum fecit. Erat nãq; tunc temporis urbs Appulis Brundusium, quam Aetoli secuti dudum fama rerũ in Troia gestarum clarissimum ac nobilissimum ducem Diomedem condiderant. Sed pulsi ab Appulis consulentes oracula respõsum acceperant, locum quem repetissent perpetuo possessuros. Hac igitur ex causa ꝑ legatos sub belli comminatione restitui sibi ab Appulis urbem postulauerant. Sed ubi Appulis oraculum innotuit, interfectos legatos in urbe sepeliunt, perpetuo ibi sedem habituros. Atq; ita defuncti responso diu urbem possederunt. Quod cum factum cognouisset Alexander, antiquitatis fata ueneratus, bello Appulorum abstinuit. Gessit & cum Brutijs Lucanisq; bellum, multasq; urbes cepit, cum Metapontinis & Rutulis & Romanis fœdus amicitiamq; fecit. Sed Brutij Lucaniq; cum auxilia à finitimis contraxissent, acrius bellum repetiuere. Ibi rex iusta urbem Pãdosiam & flumen Acheronta, non prius fatalis loci cognito nomine, q̃ occideret, interficitur. moriensq; non in patria fuisse sibi ꝑiculosam mortem, propter quam patriam fugerat, intellexit. corpus eius Thurij publicæ redemptum sepulturæ tradiderunt. dũ hæc aguntur in Italia Zopyrion quoq; præfectus Ponti ab Alexãdro magno relictus otiosum se ratus, si nihil ipse gessisset, adunato. XXX. milium militum exercitu, Scythis bellũ intulit. Cæsus cum omnibus copijs pœnas temere illati belli genti innoxiæ luit. Hæc cũ nunciata in Parthiam Alexandro essent, simulato mœrore propter Alexandri cognationem exercitui suo triduo luctũ indixit. Omnibus deinde, uelut Darij morte ꝑpe

trato bello, reditum in patriam expectantibus coniugesq; & liberos suos animo iam quodãmodo complectentibus, ad concionem exercitum uocat. sibi nihil actũ tot egregijs prælijs ait, si incolumis oriẽtalis barbaries relinquatur, nec se corpus, sed regnum Darij petisse, persequendosq; esse eos, qui à regno defecerint. Hac oratiõe uelut ex integro incitatis militum animis Hyrcaniam Mardosq; subegit. Ibi ei occurrit Thalestris Amazonum regina cum trecentis mulieribus, uigintiquinq; dierum inter infestissimas gentes itinere confecto ex Rege liberos quæsitura. cuius conspectus aduẽtusq; admirationi fuit, & propter insolitum fœminis habitum, & propter expetitum concubitum. ob hoc tredecim diebus otio datis à rege, ut uisa est uterum implesse, discessit. Post hæc Alexander habitum regum Persarum, & diadema insolitum antea regibus Macedonicis, uelut in leges eorum, quos uicerat, trãsiret, assumit. quæ ne inuidiosius in se uno conspicerentur, amicos quoq; suos longam uestem auream purpureamq; sumere iubet, ac ut luxum quoque sicuti cultum imitaretur Persarum. Inter pellicum regiarum greges electæ pulchritudinis nobilitatisq; noctium uices diuidit. His rebus ingentes epularum apparatus adijcit, ne ieiuna & destructa luxuria uideretur. Conuiuium quoque iuxta regiam magnificentiam ludis exornat, immemor prorsus tantas opes amitti his moribus, non quæri solere. Inter hæc indignatio omnium totis castris erat, illum à Philippo patre tantum degenerauisse, ut etiam patriæ nomen negligeret, moresq; Persarum assumeret, quos propter tales mores uicerat. Sed ne solus uitijs eo-

rum, quos armis subegerat, succubuisse uideretur, militibus quoq; suis permisit, si quarum captiuarum consuetudine tenerentur, ducere uxores, existimans minorem in patriam reditus cupiditatem futuram, habentibus in castris imaginem quandam lariũ ac domesticæ sedis, simul & laborem militiæ molliorem fore dulcedine uxorum. In supplementa quoq; militum minus exhauriri posse Macedoniam, si ueteranis patribus tyrones succederent militaturi in uallo, in quo nati essent, constantioresq; futuri, si non solũ tyrocinia, uerũ etiã incunabula in ipsis castris posuissent. quæ consuetudo in successores quoq; Alexandri mansit. Igitur et alimẽta pueris statuta, & instrumenta armorũ equorũq; iuuenibus data, & patribus pro numero filiorum præmia statuta. Si quorum patres occidissent, nihilominus pupilli stipendia patrum trahebant, quorũ pueritia iter uarias expeditiones militia erat. Itaq; à paruula ætate periculis laboribusq; indurati, inuicti exercitus fuere, neq; castra aliter q̃ patriam, neq; pugnam aliud unq̃ q̃ uictoriam duxere. Hæc soboles nomen habuit epigoni. Parthis deinde domitis præfectus his statuitur ex nobilissimus Persarum Andragoras, unde postea originem Parthorum reges habuerunt. Interea Alexander non regio sed hostili odio sæuire in suos cœpit. maxime indignabatur carpi sermonibus suorum, patris Philippi patriæq; mores subuertisse. propter quæ crimina Parmenion quoq; senex dignitate regi proximus cum Philota filio, de utroq; prius quæstionibus habitis, interficiũtur. Fremere itaq; oẽs uniuersis castris cœpere, innoxii senis filiiq; casum miserantes, interdũ

se quoq;

ſe quoq; non debere melius ſperare dicentes. Quæ cũ nunciata Alexãdro eſſent, uerens ne hæc opinio etiam in Macedonia diuulgaretur, & ne uictoriæ gloria ſæuitiæ macula offuſcaretur ſimulat, ſe ex amicis quoſdam in patriã uictoriarũ nuncios miſſurum. hortatur milites ſuis ſcribere, rariorẽ habituros occaſionem propter militiã remotiorem. datos faſces epiſtolarum ad ſe tacite deferri iubet. ex qbus cognito de ſe ſingulorum iudicio, ĩ unã cohortem eos, q de rege durius opinati fuerãt, cõtribuit, aut tõ ſumpturus eos, aut ĩ ultimis terris in colonias diſtributurus. Inde Drangas, Euergetas, Parimas, Paropamiſadas, Caſpios, cæterosq; populos, q in radice Caucaſi morabantur, ſubegit. Interea unus ex amicis Darij Beſſus uinctus perducitur, qui regem non ſolum prodiderat, uerum etiam interfecerat. quẽ in ultionem perfidiæ excruciandum fratri Darij tradidit, reputans, non tam hoſtem ſuum fuiſſe Darium, q̃ amicum eius, à quo eſſet occiſus. Et ut his terris nomẽ relinqueret, urbẽ Alexandriã ſuper amnẽ Tanaim condidit, intra diẽ. XVII. muro. VI. milibus paſſuum conſumato, trãslatis eò triũ ciuitatum populis, quas Cyrus condiderat. In Bactrianis quoq; Sogdianisq;. XII. urbes condidit, diſtributis his quoſcunq; in exercitu ſeditioſos habebat. His ita geſtis ſolenni die amicos in cõuiuium uocat. ubi orta inter ebrios rerum à Philippo geſtarũ mentione, præferre ſe patri ipſe, rerumq; ſuarũ magnitudinẽ extollere cœlõ tenus cœpit, aſſentante maiore conuiuarum parte. Itaq; cum unus ex ſenibus Clitus ductus fiducia amicitiæ regiæ, cuius palmam tenebat, memoriãq; Philippi tueretur, laudaretq; eius

res gestas, adeo regem offendit, ut telo à satellite rapto eundem in conuiuio trucidauerit. qua cæde exultans mortuo patrocinium Philippi laudemq; paternæ militiæ obiectabat. postquam satiatus cæde animus quieuit, et in locum iræ successit æstimatio, modo personam occisi, modo causam occidendi considerans, pigere eum facti cœpit. quippe paternas laudes tam iracunde accepisse se, quàm nec conuicia debuisset, amicumq; senem & innoxium à se occisum inter epulas & pocula dolebat. Eodem igitur furore in pœnitentiã, quo pridem in iram uersus mori uoluit. Primum in fletus progressus amplecti mortuum, uulnera tractare, & quasi audienti confiteri dementiam. arreptum telum in se uertit. peregissetq; facinus, ni amici interuenissent. Mansit hæc uoluntas moriendi etiam sequentibus diebus. accesserat enim ad pœnitentiam nutricis suæ & sororis Cliti recordatio. cuius absentis eum maxime pudebat, tam fœdam illi alimentorum suorum mercedem redditam, ut in cuius manibus pueritiam egerat, huic iuuenis & uictor pro beneficijs funera remitteret. Reputabat deinde quantum in exercitu suo, quantum apud gentes deuictas fabularum atq; inuidiæ, quantũ apud cæteros amicos metum & odium sui fecerit, q̃ amarum & triste reddiderit conuiuium suum, non armatus in acie, q̃ in conuiuio sedens terribilior. Tunc Parmenio et Philotas, tunc Amyntas consobrinus, tunc nouerca fratresq; interfecti, tunc Attalus, Eurylochus, Pausanias, alijq; Macedoniæ extincti principes occurrebant. Ob hæc illi quatriduo perseuerata inedia est, donec exercitus uniuersi precibus exoratus est, precantis, ne ita mor-
tem

tem unius doleat, ut uniuersos perdat, quos in ultimam deductos barbariã inter infestas & irritatas bello gentes destituat. Multum profuere et Callisthenis philosophi preces cõdiscipulatu apud Aristotelẽ familiaris illi, et tunc ab ipso rege ad prodẽda memoriæ acta eius accitus. Reuocato igitur ad bellũ animo, Chorasmos et Sacas in deditionem accepit. Deinde qđ primo ex persico superbiæ regiæ more distulerat, ne omnia pariter inuidiosiora essent, non salutari, sed adorari se iubet. Acerrimus inter recusantes Callisthenes fuit. quæ res et illi et multis principibus Macedonum exitio fuit. siquidem sub specie insidiarũ omnes interfecti. Retentus tamen ẽ à Macedonibus mos salutandi regis, explosa adoratione. Post hæc Indiã petit, ut oceano ultimoq; oriente finiret imperiũ. cui gloriæ ut etiam exercitus ornamenta conuenirent, phaleras equorũ, et arma militum argento inducit, exercitumq; suũ ab argenteis clypeis argyraspidas appellauit. Cũ ad Nysam urbẽ uenisset, oppidanis nõ repugnantibus fiducia religionis Liberi patris, à quo condita urbs erat, parci iussit, lætus non militiã tantum, uerum etiã uestigia se dei secutum. Tũc ad spectaculũ Meri mõtis duxit exercitum naturalibus bonis uite hederaq; uestiti, non aliter, q̃ si manu cultus colentiũq; industria exornatus esset. Sed exercitus eius ubi ad mõtem accessit, repẽtino mẽtis impetu in sacros dei ululatus instinctus, cum stupore regis sine noxa discurrit, ut intelligeret nõ tam oppidanis ꝑcendo, q̃ exercitui suo se consuluisse. Inde montes Dædalos, regnaq; Cleophidis reginæ petit. quæ cum se dedidisset eius cõcubitu redẽptum regnum ab Alexandro recepit, illecæ=

bris consecuta, quod armis non potuerat. filiumq; ab eo genitum Alexandrum nominauit. qui postea regno Indorum potitus est. Cleophis regina propter prostratam pudicitiã scortum regũ exinde appellata est ab Indis. Peragrata India cum ad saxum miræ altitudinis & asperitatis, in quod multi populi confugerant, peruenisset, cognoscit Herculem ab expugnatione eiusdem saxi terræmotu prohibitum. captus itaq; cupidine Herculis acta superare, cum summo labore ac periculo potitus saxo eius omnes loci gentes in deditionem accipit. Vnus ex regibus Indorum fuit Porus nomine, uiribus corporis & animi magnitudine pariter insignis. qui bellum iampridem, audita Alexandri opinione, in aduentũ eius parabat. Cõmisso itaq; prælio exercitum suum inuadere Macedonas iubet, sibi regem eorũ priuatum hostem deposcit. nec Alexander moram pugnæ fecit. sed prima congressione uulnerato equo, cum præceps in terram cecidisset, concursu satellitum seruatus est. Porus multis uulneribus obrutus capitur. qui uictum se adeo doluit, ut cum ueniam ab hoste iuenisset, neq; cibum sumere uoluerit, neq; uulnera curari passus sit. ægreq; sit ab eo obtentum, ut uellet uiuere. quem Alexander ob honorem uirtutis incolumem in regnũ remisit. Duas ibi urbes condidit, unam Niceam, alteram ex nomine equi Bucephaliam uocauit. Inde Andrestas, Assacenos, Prasios, Gandarias, Cæsis eorum exercitibus expugnat. Cum ad Euphites uenisset, ubi eum CC. milibus equitum hostes operiebantur, omnis exercitus non minus uictoriarum numero q̃ laboribus fessus lachrymis eum deprecatur, ut finem tandẽ

belli faceret, aliquando patriæ reditusq; meminisset, respiceret militum annos, quibus uix ætas ad reditum sufficeret, ostendere alius caniciem, alius uulnera, alius ætate consumpta corpora, alius cicatricibus exhausta. Solos se esse, q duorum regum Philippi Alexandriq; continuam militiam pertulerint. Tandem orare ut reliquias saltem suas paternis sepulchris reddat, quorũ non studijs deficiatur sed annis. at si non militibus, uel ipsi sibi parcat, ne fortunam suam nimis onerando fatiget. Motus his tam iustis precibus uelut in finem uictoriæ castra solito magnificentiora fieri iussit, quorum molitionibus & hostis terreretur, & posteris admiratio sui relinqueretur. Nullum opus milites lætius fecere. Itaq; cæsis hostibus cum gratulatione in eadem reuerterunt. Inde Alexãder ad amnem Acesinem pergit, p hũc ad oceanum deuehitur. Ibi Gesonas Sibasq;, quos Hercules condidit, in deditionem accepit, hinc ad Mallos & Oxydracas nauigat, quæ gentes cum armatis LXXX. milibus peditum & LX. milibus equitum excipiunt. Cum prælio uictor esset, ad urbem eorum exercitum ducit. quam desertam à defensoribus cũ de muro, quem primus ceperat, animaduertisset, in urbis planiciem sine ullo satellite desilijt. Itaq; cum eum hostes solum conspexissent, clamore edito undiq; concurrunt, si possint in uno capite orbis bella finire, & ultionem tot gentibus dare. Nec minus Alexander constanter resistit, & unus aduersus tot milia præliatur. Incredibile dictu est, ut eum non multitudo hostium, non magna telorum uis, non tantus lacessentiũ clamor terruerit, solus tot milia ceciderit ac fugauerit. Vbi uero se

obrui multitudine uidit trunco se, qui propter murum stabat, applicuit, cuius auxilio tutus cum diu agmen sustinuisset, tandem cognito periculo eius amici ad eum desiliunt. Ex quibus multi cæsi, præliumq; tam diu anceps fuit, quoad omnis exercitus muris deiectis i auxilium ueniret. In eo prælio sagitta sub mamma traiectus cum sanguinis fluxu deficeret, genu posito tam diu præliatus est, donec eum, à quo uulneratus fuerat, occideret. Curatio uulneris grauior ipso uulnere fuit. Itaq; ex magna desperatione tandem saluti redditus Polyperconta cum exercitu Babylonem mittit. Ipse cũ lectissima manu nauibus conscensis oceani litora peragrat. Cũ uenisset ad urbẽ Ambiani regis, oppidani inuictum ferro audientes, sagittas ueneno armant. atq; ita gemino mortis uulnere hostem à muris summouẽtes plurimos interficiunt. Cum inter multos letaliter uulneratus esset Ptolemæus, moriturusq; iã uideretur, p quietem regi monstrata in remedia ueneni herba est. Qua in potu accepta statim periculo est liberatus, maiorq; pars exercitus hoc remedio seruata. Expugnata deinde urbe reuersus in naues oceano libamenta dedit, prosperum in patriam reditum precatus, ac uelu ti curru circa metam acto positis imperij terminis, qua sinus aut terrarum solitudines prodire passæ sunt, aut mare nauigabile fuit, secundo æstu hostio fluminis Indi inuehitur. Ibi in monumenta rerum à se gestarũ urbem Barcem condidit, arasq; statuit, relicto ex numero amicorum litoralibus Indis præfecto. Inde iter terrestre facturus, cum arida loca medij itineris dicerentur, puteos opportunis locis fieri præcepit. qbus ingẽ

ti dulci

& dulci aqua inuenta, Babyloniã redit. Ibi multæ de uictæ gentis præfectos suos accusauerũt, quos sine respe ctu amicitiæ Alexander in conspectu legatorum neca ri iussit. Post hæc Darij regis filiã Statiram in matri monium recepit. Sed & optimatibus Macedonum le= ctas ex omnibus gentibus nobilissimas uirgines tradi- dit, ut cõmuni facto crimen regis leuaretur. hinc ad cõ cionem exercitum uocat, & promittit se æs alienum omniũ propria ĩpensa soluturum, ut prædã præmiaq; integre domũ ferãt. Insignis hæc munificentia nõ sum= ma tantũ, uerum etiam titulo muneris fuit, nec à debi toribus magis, q̃ à creditoribus gratius accepta, quoniã utrisq; exactio pariter, ac solutio difficilis erat. Tria et uiginti milia talentorũ in hos sumptus expẽsa. Dimissis ueteranis exercitum ex iunioribus supplet. Sed retenti ueteranorũ discessum ægre ferentes missionem & ipsi flagitabant, nec annos sed stipendia sua numerari iu- bebant, pariter in militiã lectos, pariter sacramento solui æquũ censentes, nec iã precibus, sed conuicio age= bant, iubentes eum solum cum patre suo Ammone fi- nire bella, quatenus milites suos fastidiat. Contra ille nunc castigare milites, nunc lenibus uerbis monere, ne gloriosam militiam seditionibus infuscarent. ad postre- mum cum nihil proficeret uerbis ad corripiendos sedi tionis authores è tribunali in cõcionem armatã iner- mis ipse desilijt. & nemine prohibente. XIII. correptos manu sua ipse ad supplicia duxit, tãtã uel illis moriẽ di patiẽtiã metus regis, uel huic exigendi supplicia cõ- stantiã disciplina militaris dabat. Inde se patim auxi- lia Persarũ in concionem alloquitur. laudat perpetuã

illorum tum in se, tum in pristinos reges fidem. sua in illos beneficia memorat, ut nunquam quasi uictos, sed ueluti uictoriæ socios habuerit. deniq; se in illorum, nõ illos in gentis suæ mores transisse, affinitatibus connubiorum uictos uictoribus commiscuisse. nunc quoq; ait, custodiam corporis sui non Macedonibus tantum se, uerum etiã illis crediturum. Atq; ita mille ex his iuuenes in numerum satellitum legit. Auxiliorum quoque portionem formatam in disciplinam Macedonum exercitui suo miscet. Quam rem ægre Macedones tulerũt, iactantes hostes suos in officium suum à rege subactos. Tunc uniuersi flentes regem adeunt & orant, ut supplicijs suis potius saturet se, quàm contumelijs. qua modestia obtinuerunt ut XI. milia militum ueteranorum exauthoraret. Sed ex amicis dimissi senes Polypercon, Clytos, Gorgias, Polydamas, Antigonus. dimissis his Craterus præponitur iussus præesse Macedonibus in Antipatri locum. Antipatrumq; cum supplemento Tyronum in locum eius euocat. stipendia reuertentibus, ueluti militantibus data. Dũ hæc aguntur, unus ex amicis eius Ephæstion decedit dotibus primo formæ, pueritiæq;, mox obsequijs regi percarus. quem contra decus regium Alexander diu luxit, tumulumq; ei duodecim milia talentorum fecit, eumq; post mortem coli ut deum iussit. Ab ultimis litoribus oceani. Babylonem reuertenti nunciatur legationes Carthaginensium, cæterarumq; Africæ ciuitatum, sed & Hispaniarum, Siciliæ, Galliæ, Sardiniæ, nonnullas quoq; ex Italia eius aduentum Babylone operiri. adeo uniuersum terrarũ orbem nominis eius terror inuaserat, ut cunctæ gentes ueluti

tes ueluti destinato sibi regi adularentur. Hac igitur ex causa Babylonem festinanti, uelut conuentum terrarum orbis acturo, quidam ex magis prædixit, ne urbem introiret, testatus hunc locum ei fatalem fore. Ob hoc omissa Babylone in Borsippam urbem trans Euphratem desertam olim concessit. Ibi ab Anaxarcho philosopho compulsus est rursum magorum prædicta contemnere, ut falsa, ut incerta, & si fatis constent, ignota mortalibus, at si naturæ debeantur, immutabilia. Reuersus igitur Babylonem, multis diebus otio datis, intermissum olim conuiuium solēniter instituit, totus'q; in lætitiam fusus cum diei noctem peruigilando iunxisset, recedētem iam è conuiuio Midius Thessalus instaurata commessatione & ipsum, & sodales eius inuitat. Accepto poculo media potione repente ueluti telo Alexander confixus ingemuit. elatus'q; è conuiuio semianimis tanto dolore cruciatus est, ut ferrum in remedia posceret, tactum'q; hominum uelut uulnera indolesceret. Amici causam morbi intemperiem ebrietatis disseminauerunt. Re autem uera insidiæ fuerunt, quarum infamiam successorum potentia oppressit. Author insidiarum Antipater fuit, qui carissimos amicos eius interfectos uideret, Alexandrum Lyncisten generum suum occisum, se magnis rebus in Græcia gestis non tam gratum apud regem, quàm inuidiosum esse, à matre quoq; eius Olympiade uarijs se criminationibus uexatum. Huc accedebant ante paucos dies supplicia in præfectos deuictarum nationum crudeliter habita. Ex q̄bus rebus se quoq; à Macedonia non ad societatem militiæ, sed ad pœnam euocatum arbitrabatur. Igitur

ad occupandum regem Cassandrum filium dato ueneno subornat, qui cum fratribus Philippo & Iolla ministrare regi solebat. Cuius ueneni tãta uis fuit, ut nõ ære, nõ ferro, nõ testa contineretur, nec aliter ferri nisi in ungula eq potuerit, præmonito filio ne alij, q̃ Thessalo et fratribus crederet. Hac igitur ex cã apud Thessalũ paratũ repetitũq; cõuiuiũ est. Philippus et Iollas tempare & prægustare potũ regis soliti in aqua frigida uenenũ habuerunt, quã prægustatæ iã potioni supmiserunt. Quarto die Alexander indubitatam mortẽ sentiens agnoscere se fatũ domus maiorum suorum ait. nam plerosq; Aeacidarum intra trigesimum annum defunctos. Tumultuantes deinde milites insidijsq; perisse regem suspicantes ipse sedauit, eosq; omnes, cum prolatus in editissimum urbis locum esset, ad conspectum suum admisit, osculandamq; dexteram suam flentibus porrexit. Cum lachrymarent omnes, ipse non sine lachrymis tantum, uerum etiam sine ullo tristioris mentis argumento fuit, ut quosdam impatientius dolentes consolatus sit. quibusdam mandata ad parentes eorum dedit, adeo sicut in hostem, ita & in mortem inuictus animus fuit. Dimissis militibus amicos circunstantes percunctatur, uideantur ne similem sibi reperturi regem, tacentibus cunctis tunc ipse, ut hoc nesciat, ita illud scire uaticinariq; se, ac penè oculis uidere, dixit. quantum sit in hoc certamine sanguinis fusura Macedonia, quantisque cædibus, quo cruore mortuo sibi parentatura. ad postremum corpus suum in Ammonis templo condi iubet. Cum deficere eum amici uiderent, quærunt quem imperij faciat hære-

dem, respondit dignissimum. tanta illi magnitudo animi fuit, ut cum Herculem filium, cum fratrem Aridæum, & cum Rhoxanen uxorem prægnantem relinqueret, oblitus necessitudinum dignissimum nuncuparet hæredem. Prorsus quasi nefas esset uiro forti alium, quàm uirum fortem succedere, aut tanti regni opes alijs, q̃ probatis relinqui. Hac uoce ueluti bellicum inter amicos cecinisset, aut malum discordiæ misisset, ita omnes in æmulationem consurgunt, & ambitione uulgi tacitum fauorem militum quærunt. Sexto die præclusa uoce exemptum digito annulum Perdiccæ tradidit. quæ res gliscentem amicorum dissensionem sedauit. nam & si non uoce nuncupatus hæres, indicio tamen electus esse uidebatur. Decessit Alexander mensem unum, annos tres, & XXX. natus, uir supra humanam potentiam magnitudine animi præditus. qua nocte eum mater Olympias concepit, uisa per quietem est cum ingenti serpente uoluptuari. nec decepta somnio est. nam profecto maius humana mortalitate opus utero tulit. Quam cum Aeacidarum gens ab ultima seculorum memoria, & regna patris, fratris, mariti, ac deinceps maiorum omnium illustrauerit, nullius tamen nomine, quàm filij clarior fuit. Prodigia magnitudinis eius in ipso ortu nonnulla apparuerunt. nam ea die, qua natus est, duæ aquilæ tota die præpetes supra culmen domus patris eius sederunt, omen duplicis imperij Europæ Asiæq; præferentes. eademq; die nuncium pater eius duarum uictoriarum accepit. alterius belli illyrici, alterius certaminis olympiaci, in quod quadrigarum currus mise-

20 ãno
24 cũ Re
gnare ce
pisset

rat, quod omen uniuersarum terrarum uictorias infanti portendebat. Puer acerrimus literarum studijs eruditus fuit. Exacta pueritia per quinquennium sub Aristotele doctore inclyto omnium philosophorum creuit. Accepto deinde imperio regem se terrarum omnium ac mundi appellari iussit. tantamq; fiduciam suis militibus fecit, ut illo præsente nullius hostis arma nec inermes timuerint. Itaque cum nullo hostium unquam congressus est, quem non uicerit. nullam urbem obsedit, quam non expugnauerit. nullam gentem adijt, quam non calcauerit. uictus deniq; est ad postremum, non uirtute hostili, sed insidijs suorum et fraude ciuili.

LIBER DECIMVSTERTIVS.

Xtincto in ipso ætatis ac uictoriarum flore Alexandro magno triste apud omnes tota Babylonia silentium fuit. Sed nec deuictæ gentes fidem nuntio habuere, quod ut inuictum regem sic immortalem eum crediderant. recordantes quoties præsenti morti ereptus esset, quàm sæpe pro amisso repente se non sospitem tantum suis, uerum etiam uictorem obtulisset. Vt uero mortis eius fides affuit, omnes barbaræ gentes pauloante ab eo deuictæ non ut hostem eum, sed ut parentem luxerunt. Mater quoq; Darij regis, quam amisso filio à fastigio tantæ maiestatis in captiuitatem redactam, indulgentia uictoris, in eam diem uitæ non pœnituerat, audita morte Alexandri, mortem sibi ipsa consciuit, non quod hostem fi-

lio præferret, sed quod pietatem filij in eo, quem ho stem timuerat, experta esset. Contra Macedones uersa uice non ut ciuem, ac tantæ maiestatis regem, uerum ut hostem amisissent, gaudebant, seueritatem nimiam, & assidua belli pericula execrantes. Huc accedebat, quod principes regnum & imperia, uulgus militum thesauros, & grande pondus auri, uelut inopinatam præ dam, spectabant. Illi successionem regni, hi opum ac diuitiarum hæreditatem cogitantes. Erant enim in thesauris. L. milia talentorum, & in annuo uectigali tributo triginta milia. Sed nec amici Alexandri frustra regnum expectabant. nam eius uirtutis erant ac uenerationis, ut singulos reges putares. quippe ea formæ pulchritudo & proceritas corporis et uirium ac sapientiæ magnitudo in omnibus fuit, ut qui eos ignoraret, non ex una gente, sed ex toto terrarum orbe ele ctos iudicaret. neque enim unquam antea Macedonia, uel ulla gens alia tam clarorum uirorum prouentu floruit, quos primum Philippus, mox Alexander tanta cura legerant, ut non tam ad societatem belli, quàm in successionem regni electi uiderentur. Quis igitur miretur talibus ministris orbē terrarum uictum, cum exercitus Macedonum à tot non ducibus, sed regibus regeretur, qui nunquam sibi reperissent pares, si non inter se concurrissent? multosq; Macedonia pro uno Alexandros habuisset, nisi fortuna eos ex æmulatione uirtutis in perniciem mutuam armasset. Cæterum occi so Alexandro non ut læti, ita et securi fuere, omnibus in unum locum competentibus, nec minus milites inter se timebant, quorum & libertas solutior, & fa=

uor incertus erat. Inter ipsos uero æqualitas discordiã augebat, nemine tantum cæteros excedẽte, ut ei aliquis summitteretur. Armati itaq; in regiam coëunt ad formandum rerum præsentium statum. Perdiccas censet Rhoxanes expectari partum, quæ exacto mense octauo matura iam ex Alexandro erat, & si puerum peperisset, hunc dari successorem patri. Meleager negat differenda in partus dubios consilia, nec esse expectandum, dum reges sibi nascerentur, cum iam genitis uti liceret, seu puer illis placeat, esse Pergami filium Alexandri natum ex Barsine nomine Herculem, seu mallent iuuenem, esse in castris fratrem Alexãdri Aridæum comitem, & cunctis non suo tantum, uerum et patris Philippi nomine acceptissimum. Cæterum Rhoxanen esse originis persicæ, nec esse fas, ut Macedonibus ex sanguine eorum, quorum regna deleuerint, reges cõstituantur, quod nec ipsum Alexandrum uoluisse dicit. Denique morientem nullam de eo mentionem fecisse. Ptolemæus recusat regem Aridæum non propter maternas modo sordes, quod ex Larissæo scorto nasceretur, sed etiam propter ualitudinem maiorem, quam patiebatur, ne ille nomen regis, alius imperium teneret, & melius etiam ex his legi, qui pro uirtute regi suo proximi fuerint, qui prouincias regant, quibus bella mandentur, quàm sub persona regis indignorum subijciantur imperio. Vicit Perdiccæ sententia ex consensu uniuersorum. Placuit itaq; Rhoxanes expectari partum, & si puer natus fuisset, tutores Leonnatum & Perdiccam & Craterum & Antipatrum constituunt, confestimq; in tutorum obsequia iurant. Cum equites quoq;

idem fecissent, pedites indignati nullas sibi consiliorum partes relictas, Aridæum Alexandri fratrem regem appellant, satellitesq; illi ex tribu sua legunt, & nomine Philippi patris uocari iubent. Quæ cum nuntiata equitibus essent, legatos ad mitigandum eorum animos duos ex proceribus Attalum & Meleagrum mittunt, qui potentiam ex uulgi adulatione quærentes, omissa legatione militibus consentiunt. statim & seditio creuit, ubi caput & consilium habere cœpit. tunc ad delendum equitatum cuncti armati in regiam irrumpunt. quo cognito equites trepidi ab urbe discedunt, castrisq; positis & ipsi pedites terrere cœperunt. Sed nec procerum inter se odia cessabant. Attalus ad interficiendum Perdiccam ducem alterius partis mittit, ad quem armatum & ultro prouocantem cum accedere percussores ausi non fuissent, tanta constantia Perdiccæ fuit, ut ultro ad pedites ueniret, et in concionem euocatos edoceret, quod facinus molirentur, respicerent, contra quos arma sumpsissent, non illos Persas, sed Macedonas, non hostes, sed ciues esse. Plerosq; etiam cognatos eorum, certe commilitones eorundem castrorum, & periculorum socios. edituros deinde egregium hostibus suis spectaculum, ut quorum armis uictos se doleant, eorum mutuis cædibus gaudeant, parentaturosq; sanguine suo manibus hostium à se interfectorum. Hæc cum pro singulari facundia sua Perdicca perorasset, adeo mouit pedites, ut probato consilio eius dux ab omnibus legeretur. Tum etiam equites in concordiam reuocati, in Aridæum regem consentiunt. Seruata est portio regni Alexandri filio, si natus esset. Hoc age-

bant posito in medio corpore Alexandri, ut maiestas eius testis decretorum esset. His itaq; compositis Macedoniæ et Græciæ Antipater præponitur. Regiæ pecuniæ custodia Cratero traditur. Castrorum exercitus & rerum cura Meleagro et Perdiccæ assignatur, iubeturq; Aridæus corpus Alexandri in Ammonis templum deducere. Tunc Perdicca infensus seditionis authoribus repente, ignaro collega, lustrationem castrorum propter mortem regis, in posterum edicit. Posteaq̃ armatum exercitum in campo constituit consentiētibus uniuersis euocatos duntaxat de singulis manipulis seditiosos supplicio tradi occulte iubet. Reuersus deinde inter principes prouincias diuisit, simul ut remoueret æmulos, & munus imperij beneficij sui faceret. Primo Ptolemæo Aegyptus & Africæ Arabiæq; pars sorte uenit, quem ex gregario milite Alexander uirtutis causa prouexerat, cui ad tradendam prouinciam Cleomenes q Alexandriam ædificauerat datur. Confinem huic prouinciæ Syriam Laomedon mytylenæus, Ciliciam Philotas cum Philoxeno & Illyrio accipiunt. Mediæ maiori Atropatus, minori Alceta frater Perdiccæ præponitur. Susiana gens Cino, Phrygia maior Antigono Philippi filio assignatur. Lyciam & Pamphiliam Nearcus, Cariam Cassander, Lydiam Menander sortiuntur. Leonnato minor Phrygia euenit. Thracia et regiones pontica maris Lysimacho, Cappadocia cū Paphlagonia Eumeni datur. Summus castrorum tribunatus Seleuco Antiochi filio cessit. Stipatoribus regijs satellitibusq; Cassander filius Antipatri præficitur. In Bactriana ulteriore, & Indiæ regionibus priores præ-

fecti

fecti retenti. Seres inter amnes duos Hydaspem & Indum Taxilles habebat. In colonias in Indis conditas Phyton Agenoris filius mittitur. Paropamisadas et fines Caucasi montis Axiarches accepit. Arachosij, Gedrosijq;, Sybirtio traduntur. Drangas & Arios Stasanor, Bactrianos Amyntas sortitur. Sogdianos Scythæus. Nicanor Parthos, Philippus Hyrcanos, Phrataphernes Armēios, Neoptolemus Persas, Peucestes Babylonios, Arthous Pelasgos, Archesilaus Mesopotamiā adepti sunt. Hæc diuisio cum ueluti fatale munus singulis contigisset, ita magna incrementorum materia plurimis fuit. si quidem non magno post tempore quasi regna, non præfecturas diuisissent, sic reges ex præfectis facti magnas opes non sibi tantum parauerunt, uerū & posteris reliquerunt. Dū hæc in oriente aguntur, in Græcia Athenienses & Aetoli bellum, quod iam uiuo Alexandro mouerāt, summis uiribus īstruebant. Causæ belli erāt, quod reuersus ab India Alexander epistolas in Græciam scripserat, quibus omnium ciuitatum exules præter cædis damnatos restituebantur. Quæ recitatæ, præsente uniuersa Græcia, in mercato olympiaco magnos motus fecerant, quod plurimi nō legibus pulsi patria, sed per factionem principum fuerant, uerentibus ijsdem principibus, ne reuocati potentiores in republica fierent. Palam igitur iam tunc multæ ciuitates libertatem bello uindicandam fremebant. principes tamen omnium Athenienses & Aetoli fuere. Quod cum nunciatum esset Alexandro, mille naues longas socijs imperari præceperat, quibus in occidente bellū gereret, excursurusq; cū ualida manu fuerat ad

Athenas delendas. Igitur Atheniẽses contracto XXX. milium militum exercitu, & CC. nauibus, bellum cum Antipatro, cui Græcia sorte euenerat, gerunt, eumq; detrectantem prælium, & Heracleæ urbis mœnibus tuentem se obsidione cinxerunt. Eodem tempore Demosthenes atheniẽsis orator pulsus patria ob crimen accepti ab Harpalo auri, qui crudelitatem Alexãdri fugerat, quod ciuitatem in eiusdem Alexandri bellum impelleret, forte Megaris exulabat, qui ut missum ab Atheniensibus Hyperidem legatum cognouit, qui Peloponnenses in societatem armorum sollicitaret, secutus eum Sycionem, Argos, & Corinthum, cæterasq; ciuitates eloquentia sua Atheniensibus iunxit. ob quod factum missa ab Atheniensibus obuiam naui ab exilio reuocatur. Interim in obsidione Antipatri Leosthenes dux Atheniensium telo è muris in transeuntem iacto occiditur, quæ res tantum animorum Antipatro dedit, ut etiam uallum rescindere auderet. Auxilium deinde à Leonnato petit per legatos. qui cum uenire nunciaretur cum exercitu, obuij ei Athenienses cum instructis copijs fuere, ibiq; equestri prælio graui uulnere ictus extinguitur. Antipater tametsi auxilia sua uideret deuicta, morte tamen Leonnati lætatus est. quippe & æmulum sublatum, & uires eius accessisse sibi gratulabatur. statim igitur exercitu eius recepto, cum par hostibus etiam prælio uideretur, solutus obsidione in Macedoniam concessit. Græcorum quoque copiæ à finibus Græciæ hoste pulso in urbes dilapsæ sunt. Interea Perdicca bello innoxio Ariarathi regi Cappadocum illato, prælioq; uictor nihil præmij præter uulne-

ra et pericula retulit. quippe hostes ab acie in urbem recepti, occisis coniugibus & liberis, domos quisque suas cum omnibus copijs incenderunt. eodem congestis etiam seruitijs semetipsos præcipitant, ut nihil hostis uictor suarum rerum, præterq̃ incendij spectaculo frueretur. Inde ut uiribus authoritatem regiã acquireret, ad nuptias Cleopatræ sororis Alexandri magni, & alterius Alexandri quondam uxoris, nõ aspernãte Olympiade matre eius, intendit. sed prius Antipatrum sub affinitatis obtentu capere cupiebat. Itaq; fingit se in matrimonium filiam eius petere, quo facilius ab eo supplementum tyronum ex Macedonia obtineret. quem dolum præsentiente Antipatro, dum duas eodem tempore uxores quærit, neutrã obtinuit. Post hæc bellum inter Antigonum & Perdiccam oritur. Antigono Craterus, & Antipater auxilium ferebant. qui facta cum Atheniensibus pace Polyperconta Græciæ & Macedoniæ præponunt. Perdicca alienatis rebus Aridæum, et Alexandri magni filium in Cappadocia, quorum cura illi mandata fuerat, de summa belli in consilium adhibet. Quibusdam placebat bellum in Macedoniam trãsferri ad ipsum fontem, et caput regni, ubi & Olympias esset mater Alexãdri, non mediocre momentũ partium & ciuiũ fauor propter Alexãdri Philippiq; noĩa. Sed in rem uisum est ab Aegypto incipere, ne in Macedoniã profectis Asia à Ptolemæo occuparetur. Eumeni præter prouĩcias, quas accepat, Paphlagõia, et Caria, et Lycia et Phrygia adijciũtur. Ibi Craterũ et Antipatrũ oppiri iubẽtur. adiutores ei dãtur cũ exercitibus suis frater Perdiccæ Alcetas, et Neoptolemus. Clito cura classis tra

ditur. Cilicia Philotæ adempta Philoxeno datur. Ipse Perdicca Aegyptum cum ingenti exercitu petit. Sic Macedonia in duas partes discurrentibus ducibus in sua uiscera armatur, ferrumq; ab hostili bello in ciuilem sanguinem uertit, exemplo furentium, manus ac membra sua ipsa cæsura. Sed Ptolemæus in Aegypto soller ti industria magnas opes parabat. quippe & Aegyptios insigni moderatione in fauorem sui sollicitauerat, & reges finitimos beneficijs obsequijsq; deuinxerat. terminos quoq; imperij acquisita Cyrene urbe ampliauerat. factusq; iam tantus erat, ut non tam timeret hostes, q̃ timendus ipse hostibus esset. Cyrene autem condita fuit ab Aristæo, cui nomẽ Batto propter linguæ obligationem fuit. Huius pater Cyrenus rex Theræ insulæ cum ad oraculum Delphos propter dedecus adolescentis filij nondum loquentis deum deprecaturus uenisset, responsum accepit, quo iubebatur filius eius Battus Africam petere, & urbem Cyrenen condere, usum linguæ ibi accepturus. Cum responsum ludibrio simile uideretur propter solitudinem Theræ insulæ, ex qua coloni ad urbem condendam in Africam tam longinquæ regionis proficisci iubebantur, res omissa est. Interiecto deinde tempore uelut contumaces pestilentia deo parere compelluntur. quorum tam insignis paucitas fuit, ut uix unam nauem complerent. Cum uenissent in Africam pulsis accolis montem Cyram, & propter amœnitatem loci, & propter fontis ubertatem, occupauere. Ibi Battus dux eorum linguæ nodis solutis loqui primum cœpit. quæ res animos eorum, ex promissis dei iam parte percepta, in reliquam spem condendæ

urbis

urbis accendit. Positis igitur castris opinionem ueteris fabulae accipiunt, Cyrenen eximiae pulchritudinis uirginem à Thessaliae monte Pelio ab Apolline raptam, perlatamq; in eiusdem montis iuga, cuius collem occupauerant, à deo repletam quatuor pueros peperisse, Nomium, Aristaeum, Autuchum, Agreum. Missos à patre Hypseo rege Thessaliae, qui perquirerent uirginē, loci amoenitate captos in iisdem terris cum uirgine resedisse. Ex his pueris tres adultos in Thessaliam reuersos auita regna cepisse. Aristaeum in Arcadia late regnasse, eumq; primum & apum & mellis usum, & lactis coagulandi hominibus tradidisse solsticialesq; ortus & syderum primum inuenisse. quibus auditis Battus uirginis nomine ex dei responsis agnito, urbem Cyrenen condidit. Igitur Ptolemaeus huius urbis auctus uiribus bellum in aduentum Perdiccae parabat. Sed Perdiccae plus odium arrogantiae, quàm uires hostium nocebant. quam exosi etiam socij ad Antipatrum gregatim confugiebant. Neoptolemus in auxilium Eumeni relictus non solum transfugere, uerum etiam prodere partium exercitum uoluit. quam rem cum praesensisset Eumenes cum proditore decernere praelio necesse habuit. Victusq; Neoptolemus ad Antipatrum & Polypercontā profugit. hisq; persuadet, ut continuatis mansionibus laeto ex uictoria, & securo fuga sua Eumeni superueniant. Sed res Eumenem non latuit. Itaq; insidiae in insidiatores uersae, & qui securum aggressuros se putabant, securis itinere & peruigili noctis fatigatis occursum est. In eo praelio Polypercon occiditur. Neoptolemus quoque cum Eumene congressus diu

mutuis uulneribus acceptis colluctatus, & in summa uictus occumbit. Victor igitur duobus prælijs continuis Eumenes afflictas partes, transitione sociorum paululum sustentauit. ad postremum tamen Perdicca occiso, ab exercitu hostis cum Phyloxeno & Illyrio & Alceta fratre Perdiccæ appellatur, bellumq; aduersus eos Antigono decernitur.

LIBER DECIMVSQVARTVS.

e Vmenes ut Perdiccam occisum, se hostem a' Macedonibus iudicatum, bellumq; Antigono decretum cognouit, ultro ea militibus suis indicauit, ne fama aut rem in maius extolleret, aut militum animos rerum nouitate terreret, simul ut, an contra se animati essent, cognosceret, sumpturus consilium ex motu uniuersorum. constanter tamen præfatus est, si cui hæc terrori essent, habere eum discedendi potestatem. Qua uoce adeo cunctos in studium partium suarum induxit, ut ultro illum omnes hortarentur, rescissuros'que se ferro decreta Macedonum affirmarent. Tunc exercitu in Aetoliam promoto, pecunias ciuitatibus imperat, recusantes dare hostiliter diripit. Inde Sardis profectus est ad Cleopatram sororem Alexandri magni, ut eius uoce centuriones principales'que confirmaret, existimaturos ibi maiestatem regiam uerti, unde soror Alexandri staret. tanta ueneratio magnitudinis Alexandri erat, ut etiam per uestigia mulie-

rum fauor sacrati eius nominis quæreretur. Cum reuersus in castra esset, epistolæ totis castris abiectæ inueniuntur, quibus ijs, qui Eumenis caput ad Antigonum detulissent, magna præmia definiebantur. Iis cognitis Eumenes uocatis ad concionem militibus primo gratias agit, quod nemo inuentus sit, qui spem cruenti præmij fidei sacramento anteponeret, tum deinde callide subnectit confictas à se has epistolas, ad experiẽdos suorum animos, esse. cæterum salutem suam in omnium potestate esse, nec Antigonum, nec quẽquam ducum sic uelle uincere, ut ille in se exemplum pessimum statuat. Hoc facto & in præsenti labantium animos retinuit, & in futurum prouidit, ut si quid simile accidisset, non se ab hoste corrumpi, sed à duce tentari milites arbitrarentur. Omnes igitur operam suam certatim ad custodiam salutis eius offerunt. Interim Antigonus cum exercitu superuenit, castris'que positis postera die in aciem procedit. Nec Eumenes moram prælio fecit. qui uictus in munitum quoddam castellum confugit. ubi cum uideret se fortunam obsidionis subiturum, maiorem exercitus partem dimisit, ne aut consensu multitudinis hosti traderetur, aut obsidio ipsa multitudine grauaretur. Legatos deinde ad Antipatrum, qui solus par Antigoni uiribus uidebatur, supplices mittit. à quo cum auxilia Eumeni missa Antigonus didicisset, ab obsidione recessit. Erat quidem solutus ad tempus metu mortis Eumenes, sed nec salutis dimisso exercitu magna spes erat. omnia igitur circunspicienti optimum uisum est, ad Alexandri magni Argyraspidas inuictum exercitum, & tot uictoriarum præ-

fulgentem gloria decurrere. Sed Argyraspides post Alexandrum omnes duces fastidiebant, sordidam militiam sub aliis post tanti regis memoriam existimantes. Itaque Eumenes blandimentis agere, singulos suppliciter alloqui, nunc commilitones suos, nunc patronos appellans, nunc periculorum & operum orientalium socios, nunc refugia salutis suae & unica praesidia commemorans solos esse, quorum uirtute oriens sit domitus. solos, qui militiā Liberi patris, qui Herculis monumenta superauerint. p hos Alexandrū magnum factum, p hos diuinos honores & immortalem gloriā consecutum. orat, ut nō tam ducem se, q̄ cōmilitonē recipiant, unūq; ex corpore suo esse uelint. receptus hac lege paulatim imperium, primum monendo singulos, mox quae perperā facta erant, blāde corrigendo, usurpat. nihil in castris sine illo agi, nihil administrari sine sollertia eius poterat. Ad postremum cum Antigonum uenire cum exercitu esset nunciatum, compellit eos in aciem descendere. Ibi dū duces imperia cōtēnunt, hostiū uirtute superantur. In eo praelio nō gloriam tantum tot bellorū, uerū ēt cum coniugibus et liberis praemia longa militia parta pdiderunt. sed & Eumenes qui author cladis erat, nec aliam spem salutis reliquā habebat, uictos hortabatur. nam & uirtute eos superiores fuisse affirmabat, quippe ab his quinq; milia hostium caesa, & si in bello perstent, ultro hostes pacem petituros. Damna, quibus se putent uictos, duo milia mulierum, & paucos infantes, & seruitia esse, quae melius uincendo possint reparare, q̄ deserendo uictoriā. Porro Argyraspides neq; fugam se tentaturos dicunt

post

post dãna patrimoniorũ, & post cõiuges amissas, neq; bellum gesturos contra liberos suos. ultroq; eum cõuiciis agitant, quod se post tot annos emeritorũ stipendiorũ redeũtes domum cũ præmiis tot bellorum ab ipsa amissione rursus in nouam militiã, immensaq; bella reuocauerit, & à laribus iam quodãmodo suis, & ab ipso limine patriæ abductos inanibus promissis deceperit, nunc quoq; amissis oĩbus felicis militiæ quæstibus, ne uictos quidem in misera & inopi senecta quiescere sinat. Ignaris deinde ducibus cõfestim ad Antigonum legatos mittunt, petentes, ut sua reddi iubeat. Is redditurũ se pollicetur, si Eumenem sibi tradant, q̃bus cognitis Eumenes cũ paucis fugere tentauit, sed retractus desperatis rebus, cũ concursus multitudinis factus esset, petit ut postremum sibi alloqui exercitum liceret. iussus ab uniuersis dicere, facto silentio laxatisq; uinculis, prolatam manum, sicut erat chatenatus ostendit, cernite milites (inquit) habitum atque ornamenta ducis uestri, quæ non hostium quisq̃ imposuit. Nam hoc etiam solatio foret, uos me ex uictore uictum, uos me ex imperatore captiuum fecistis, quater intra hunc annum in mea uerba iureiurando obstricti estis, & ista mitto (neq; enim miseros conuicia decent) unum oro, si propositorum Antigoni in meo capite summa consistit, inter uos me uelitis mori. nam neq; illius interest, quẽadmodũ, aut ubi cadã, & ego fuero ignominia mortis liberatus. Hoc si impetro, soluo uos iureiurando, quo toties uos sacramento mihi deuouistis, aut si ipsos pudet roganti uim adhibere, ferrum huc date, & permittite, quod uos facturos pro imperatore iurastis,

imperatorem pro uobis sine religione iurisiurandi facere. cum non obtineret, preces in iram uertit. At uos (ait) deuota capita respiciant dij periuriorum uindices, talesq; uobis exitus dent, quales uos ducibus uestris dedistis. nempe uos ijdem paulo ante & Perdiccæ sanguine estis aspersi, & in Antipatrum eadẽ moliti. Ipsum deniq; Alexandrum, si fas fuisset eũ mortali manu cadere, interempturi, qđ maximũ erat, seditionibus agitastis. ultima nũc ego perfidorum uictima, has uobis diras atq; inferias dico, ut inopes extorresq; omne æuum in hoc castrensi exilio agatis, deuorentq; uos arma uestra, quibus plures uestros, quàm hostiũ duces absumpsistis. Plenus deinde iræ custodes suos procedere ad Antigoni castra præcepit. Sequitur exercitus prodito imperatore suo & ipse captiuus triumphum de se ipso ad uictoris sui castra ducit. omnia auspicia regis Alexandri, & tot bellorum palmas laureasq; unà secum uictori tradens, & ne quid deesset pompæ, elephanti quoq; & auxilia orientalia subsequuntur. Tãto pulchrior hæc Antigono, q̃ Alexandro tot uictoriæ fuerunt, ut cũ ille orientẽ uicerit, hic eos, à qbus oriẽs uictus fuerat, superauerit. Igitur Antigonus domitores illos orbis exercitui suo diuidit, redditis quæ in uictoria ceperat. Eumenem uero uerecũdia prioris amicitiæ in conspectum suum uenire prohibitum assignari custodibus præcepit. Interea Eurydice uxor Aridæi regis, ut Polyperconta à Græcia redire in Macedoniã cognouit, et ab eo accersitã Olympiada, muliebri æmulatione perculsa, abutens ualitudine uiri, cuius officia sibi uindicabat, scribit regis nomine Polyperconti,

Cassandro exercitum tradat, in quem regni administrationem rex transtulerit. eadem & in Asia Antigono per epistolas nunciat. quo beneficio deuinctus Cassander nihil nó ex arbitrio muliebris audaciæ gessit. Deinde profectus in Græciam, multis ciuitatibus bellum infert. Quarum excidio, ueluti uicino incendio, territi Spartani urbem, quam semper armis non muris defenderant, tunc contra responsa fatorum & ueterũ maiorum gloriam, armis diffisi murorum præsidio includunt. Tantum eos degenerasse à maioribus, ut cum multis sæculis murus urbis ciuium uirtus fuerit, tunc ciues saluos se fore non existimauerint, nisi intra muros laterent. Dum hæc aguntur, Cassandrum à Græcia turbatus Macedoniæ status domum reuocauit. Namque Olympias mater Alexandri magni regis, cum ab Epiro in Macedoniam prosequente Aeacida rege Molossorum ueniret, prohiberiq; finibus ab Eurydice & Aridæo rege cœpisset, seu memoria mariti, seu magnitudine filij, & indignitate rei moti Macedones ad Olympiada transiere, cuius iussu & Eurydice occiditur, & rex Aridæus sex annis post Alexandrum potitus regno. Sed nec Olimpias diu regnauit, nam cum principum passim cædes muliebri magis quàm regio more fecisset, fauorem suum in odium uertit. Itaque audito Cassandri aduentu diffisa Macedonibus cum nuru Roxane & nepote Hercule in Pydnam urbem conscendit. Proficiscenti Deidamia Aeacidæ regis filia, & Thessalonica priuigna, & ipsa clara Philippi patris nomine, multæq; aliæ principum matronæ, speciosus

magis, quàm utilis grex, fuere comites. Hæc cum nunciata Cassandro essent, statim citato cursu Pydnam uenit, & urbem obsidione cinxit, cum fame ferroq; urgeretur Olympias, longæ obsidionis tedio pacta salute, uictori se tradit. Sed tunc Cassander ad concionem uocato populo sciscitaturus quid de Olympiade fieri uellet, subornat parentes interfectorum, qui sumpta lugubri ueste crudelitatem mulieris accusarent. à quibus accensi Macedones sine respectu pristinæ maiestatis occidendam decernunt. immemores prorsus, quod per filium eius, uirumq; non solum uitam ipsi inter finitimos tutam habuissent, uerum etiam tantas opes imperiumq; orbis quæsissent. Sed Olympias ubi obstinatos uẽire ad se armatos uidit, ĩ ueste regali duabus ancillis ĩnnixa ultro obuiam procedit. qua uisa percussores attoniti, fortuna maiestatis prioris, & tot in eam memoriæ occurrentibus regum suorum nominibus, substiterunt, donec à Cassandro missi sunt, qui eam confoderent non refugientem gladium, nec ante uulnera muliebriter uociferantem. sed uirorum more fortium pro gloria ueteris prosapiæ morti succumbentem, ut Alexandrum posses etiam in moriente matre conspicere. Insuper expirans capillis & ueste crura contexisse fertur, ne quid posset in corpore eius indecorum uideri. Post hæc Cassander Thessalonicen regis Aridæi filiam uxorem duxit. Filium Alexandri cum matre in arcem Amphipolitanam custodiendos mittit.

P Erdicca & fratre eius Alceta, Eumene, ac Polyperconte, cæterisq; ducibus diuersæ partis occisis, finitum certamẽ inter successores Alexandri magni uidebatur, cum repente inter ipsos uictores nata discordia. Quippe postulantibus Ptolemæo, et Cassandro, & Lysimacho ut pecunia in præda capta prouinciæq; diuiderentur, Antigonus negauit se in eius belli prædam socios admissurum, in cuius periculum solus descenderat. Et ut honestum aduersus socios bellum suscipere uideretur, diuulgat se Olympiadis mortem à Cassandro interfectæ ulcisci uelle, & Alexandri regis sui filium cum matre obsidione Amphipolitana liberare. His cognitis Ptolemæus & Cassander, inita cum Lysimacho & Seleuco societate, bellum terra mariq; enixe instruũt. Tenebat Ptolemæus Aegyptum cum Africæ parte maiore, & Cypro & Phœnice, Cassandro parebat Macedonia cum Græcia. Asiam et partem orientis occupauerat Antigonus, cuius filius Demetrius prima belli congressione à Ptolemæo apud calamã uincitur. In quo prælio maior Ptolemæi moderationis gloria, quàm ipsius uictoria fuit. Siquidem & amicos Demetrij non solum cum suis rebus, uerum etiam additis insuper muneribus dimisit, & ipsius Demetrij priuatum omne instrumentum ac familiam reddidit, adiecto honore uerborum, non se propter prædam, sed propter dignitatem iniisse bellum, indignatum, quod Antigonus, deuictis diuersæ factionis ducibus, solus ui-

ctoriæ cõmunis præmia corripuisset. Dum hæc aguntur, Cassander ab Appollonia rediens incidit in Abderitas, q propter ranarũ murumq; multitudinem relicto patrio solo, sedes quærebant, ueritus ne Macedoniam occuparent, facta pactione in societatem eos recipit, agrosq; ijs in ultimis Macedõiæ finibus assignat. Deinde ne Hercules Alexandri filius, qui annos XIIII. excesserat, fauore paterni nominis in regnum Macedoniæ uocaretur, occidi eum tacite cum matre Barsine iubet, corporaq; eorum terra obrui, ne cædes sepultura proderetur. & quasi parum facinoris in ipso primum rege, mox in matre eius Olympiade ac filio admisisset. alterum quoq; filium cum matre Rhoxane pari fraude interficit. scilicet quasi regnum Macedoniæ, qđ affectabat aliter cõsequi, q̃ scelere nõ posset. Interea Ptolemæus cum Demetrio naualiprælio iterato congreditur, & amissa classe, hostiq; concessa uictoria in Aegyptum refugit. Demetrius filium Ptolemæi Leontichum & fratrem Menelaum, amicosq; eius cum priuati instrumenti ministerio prouocatus pari antea munere Aegyptum remittit. Et ut appareret eos non odij sed dignitatis gloria accensos, donis muneribusq; inter ipsa bella contendebant. tanto honestius tũc bella gerebantur, quanto nunc amicitiæ coluntur. Hac uictoria elatus Antigonus regem se cum Demetrio filio appellari à populo iubet. Ptolemæus quoque, ne minoris apud suos authoritatis haberetur, rex ab exercitu cognominatur. Quibus auditis Cassander & Lysimachus & ipsi regiam sibi maiestatem uindicauerunt. Huius honoris ornamentis tamdiu omnes absti-

ruerunt, q̄diu filij regis sui superesse potuerunt. tanta in illis uerecundia erat, ut cum opes regias haberent, regum tamen nominibus æquo animo caruerint, quoad Alexandro iustus hæres fuit. Sed Ptolemæus & Cassander, cæteriq; factiõis alterius duces, cum carpi se singulos ab Antigono uiderent, dum priuatum singulorum non commune uniuersorum bellum ducunt, nec auxilium ferre alter alteri uolunt, quasi uictoria unius non omnium foret, per epistolas se inuicem confirmãtes, tempus locumq; coeundi condicunt, bellumq; communibus uiribus instruunt. cui cum Cassander interesse propter finitimũ bellum non posset, Lysimachum cũ ingentibus copijs in auxilium socijs mittit. Erat hic Lysimachus illustri quidem Macedoniæ loco natus, sed uirtutis experimentis omni nobilitate clarior. quæ tanta in illo fuit, ut animi magnitudine, philosophia ipsa, uiriumq; gloria omnes, per quos oriens domitus est, uicerit. quippe cum Alexander magnus Callisthenem philosophum, propter salutationis persicæ interpellatum morem, insidiarum, quæ sibi paratæ fuerant, conscium fuisse iratus finxisset, eumq; truncatis crudeliter membris, abscissisq; auribus, ac naso labijsq;, deforme ac miserandum spectaculum reddidisset, insuper cũ cane in cauea clausum ad metum cæterorum circunferret. tunc Lysimachus audire Callisthenem, & præcepta ab eo recipere uirtutis solitus, miseratus tanti uiri, non culpæ sed libertatis pœnas pẽdentis, uenenum ei in remedium calamitatum dedit. quod adeo ægre Alexander tulit, ut eum obijci ferocissimo leoni iuberet. sed cum ad conspectum eius con-

citatus leo impetum fecisset, manum amiculo inuolutam Lysimachus in os leonis immersit, abreptaq; lingua feram exanimauit. quod cum nunciatum regi esset, admiratio in satisfactionem cessit, cariorem'q; eum propter constantiam tantæ uirtutis habuit. Lysimachus quoq; magno animo regis ueluti parentis tulit contumeliam. Deniq; omni ex animo huius facti memoria exturbata, postea in India insectanti regi quosdam palantes hostes, cum à satellitum turba equi sui celeritate desertus esset, solus ei per imensas arenarũ moles cursus comes fuit. qđ idẽ antea Philippus frater eius cum facere uoluisset, inter manus regis expirauerat. Sed Lysimachum desiliens equo Alexander hastæ cuspide ita in fronte uulnerauit, ut sanguis aliter claudi non posset, quàm diadema sibi demptum rex alligandi uulneris causa capiti eius imponeret, quod auspicium primum regalis maiestatis Lysimacho fuit. sed & post mortem Alexandri, cum inter successores eius prouinciæ diuiderẽtur, ferocissimæ ei gentes quasi omniũ fortissimo assignatæ sunt. adeo etiam consensu uniuersorum palmam uirtutis inter cæteros tulit. Prius q̃ bellum inter Ptolemæum socios'q; eius aduersus Antigonum committeretur, repente ex Asia maiore digressus Seleucus nouus Antigono hostis accesserat. Huius quoq; & uirtus clara & origo admirabilis fuit. Siquidem mater eius Laodice, cum nupta esset Antiocho claro inter Philippi duces uiro, uisa est sibi per quietem ex concubitu Apollinis concepisse, grauidamq; factam munus concubitus annulum à deo accepisse, cuius gemma anchora sculpta esset. Iussam'q; donum id

filio

filio, quem peperisset, dare. admirabile fecit hoc uisum & annulus, qui postera die eiusdem sculpturæ in lecto inuentus est, & figura anchoræ, quæ in femore Seleuci nata cum ipso paruulo fuit. Quam ob rem Laodice annulum Seleuco eunti cum Alexandro magno ad persicam militiã edocto de origine sua dedit. Vbi post mortẽ Alexandri, occupato regno orientis, urbẽ cõdidit. Ibiq; geminæ originis memoriã cõsecrauit. nam et urbem ex Antiochi patris nomine Antiochiam uocauit, & campos uicinos urbi Apollini dicauit. Originis eius argumentum etiam posteris mansit. siquidem filij nepotesq; eius anchorã in femore, ueluti notam generis naturalem, habuere. Multa in oriente post diuisionẽ inter socios regni macedonici bella gessit. Principio Babylonem cepit. Inde auctis ex uictoria uiribus Bactrianos expugnauit, transitum deinde in Indiam fecit, quæ post mortem Alexandri ueluti à ceruicibus iugo seruitutis excusso præfectos eius occiderat. Author libertatis Sandrocotus fuerat. sed titulum libertatis post uictoriam in seruitutem uerterat. siquidem occupato regno populum, quẽ ab externa dominatione uindicauerat, ipse seruitio premebat. Fuit hic quidem humili genere natus, sed ad regni potestatem maiestate numinis impulsus, quippe cum procacitate sua Alexandrum regem offendisset, interfici à rege iussus, salutem pedum celeritate quæsierat. ex qua fatigatione, cum somno captus iaceret, leo ingentis formæ ad dormientem accessit, sudoremq; profluentem lingua ei detersit, expergefactumq; blande reliquit. Hoc prodigio primum ad spẽ regni impulsus contractis latronibus Indos ad no-

uitatem regni sollicitauit, molienti deinde bellum aduersus præfectos Alexandri elephantus ferus infinitæ magnitudinis ultro se obtulit, & ueluti domita mansuetudine eum tergo excepit. duxq; belli et præliator insignis fuit. Sic acquisito regno Sandrocotus ea tempestate, qua Seleucus futuræ magnitudinis fundamenta iaciebat, Indiam possidebat, cum quo facta pactione Seleucus, compositisq; in oriente rebus, in bellum Antigoni descendit. Adunatis igitur omnium sociorum copijs prælium committitur. In eo Antigonus occiditur. Demetrius filius eius in fugam uertitur. Sed socij, profligato hostili bello, denuo in semetipsos arma uertunt, & cum de præda non conuenirent, iterum in duas factiones diducuntur. Seleucus Demetrio, Ptolemæus Lysimacho iungitur. Cassandro defuncto Philippus filius succedit, sic quasi ex integro noua Macedoniæ bella nascuntur.

LIBER DECIMVSSEXTVS.

P Ost Cassandri regis filijq; eius Philippi continuas mortes, Thessalonice regina uxor Cassandri non magno post tempore ab Antipatro filio, cum uitam etiam per ubera materna deprecaretur, occiditur. Causa parricidij fuit, quod post mortem mariti in diuisione inter fratres regni propensior fuisse Alexandro uidebatur. Quod facinus eo grauius omnibus uisum est, quod nullum maternæ fraudis uestigium fuit. quãquam in par

ricidio nulla satis iusta causa ad sceleris patrocinia prætexi potest. Ob hæc igitur Alexander in ultionem maternæ necis gesturus cum fratre bellum, auxiliũ à Demetrio petit. Nec Demetrius spe inuadendi Macedonici regni moram fecit. cuius aduentum uerẽs Lysimachus persuadet genero suo Antipatro, ut malit cum fratre in gratiam reuerti, quàm paternum hostem in Macedonia admitti. Inchoatam igitur inter fratres reconciliationem cum præsensisset Demetrius, per insidias Alexandrum interficit. occupatóq; Macedoniæ regno, cædem apud exercitum excusaturus, in concionem uocat. Ibi priorem se petitum ab Alexandro allegat, nec fecisse se, sed occupasse insidias. regem autem se Macedoniæ uel ætatis experimentis, uel causis iustiorem esse. patrem enim suum & Philippo regi, & Alexandro magno socium in omni militia fuisse. liberorum deinde Alexandri ministrum, & ad persequẽdos defectores ducem extitisse. Contra Antipatrum auum horum adolescentium amariorem semper ministrum regni, quàm ipsos reges fuisse. Cassandrum uero patrem extinctorem regiæ domus, non fœminis, non pueris pepercisse. nec cessasse, quoad omnem stirpẽ regiæ sobolis deleret. Horum scelerum ultionem, quia nequisset ab ipso Cassandro exigere, ad liberos eius translatam. Quam ob rem etiam Philippũ et Alexandrum (siquis manium sensus est) non interfectores suos ac stirpis suæ, sed ultores eorum Macedoniæ regnũ tenere malle. Per hæc mitigato populo, rex Macedoniæ appellatur. Lysimachus quoq; cũ bello Dromichetis regis Thracum premeretur, ne eodem tempore et aduer-

sus Demetrium dimicare necesse haberet, tradita ei altera parte Macedoniæ, quæ Antipatro eius genero euenerat, pacem cum eo fecit. Igitur Demetrius totis Macedonici regni uiribus instructus cum Asiã occupare statuisset, iterato Ptolemæus, Seleucus, & Lysimachus experti priore certamine quantæ uires essent concordiæ, pacta societate, adunatisq; exercitibus, bellum aduersus Demetrium transferunt in Europam. His comitem se & belli socium iungit Pyrrhus rex Epiri, sperans non difficilius Demetrium Macedoniã amittere posse, q̃ acquisiuerat. nec spes frustra fuit. quippe exercitu eius corrupto, ipsoq; in fugam acto, regnum Macedoniæ occupauit. Deinde dum hæc aguntur, Lysimachus generum suum Antipatrum, regnum Macedoniæ ademptũ sibi, soceri fraude, querentem interficit, filiamq; suam Eurydicem querelarum sociam in custodiam tradit. Atq; ita uniuersa Cassandri domus Alexãdro magno, seu necis ipsius, seu stirpis extinctæ pœnas, partim cæde, partim supplicio luit. Demetrius quoq; à tot exercitibus circumuentus, cum posset honeste mori, turpiter se dedere Seleuco maluit. Finito bello, Ptolemæus cũ magna rerũ gestarum gloria moritur. Is contra ius gentiũ minimo natu ex filijs ante infirmitatem regnũ tradiderat, eiusq; rei populo rationem reddiderat, cuius nõ minor fauor in accipiendo, q̃ patris in tradẽdo regno fuerat. Inter cætera patris et filij mutuæ pietatis exẽpla etiam ea res amorem parem populi iuueni conciliauerat, quod pater regno ei publice tradito priuatus officiũ regi inter satellites fecerat, omniq; regno pulchrius regis esse patrẽ duxerat. Sed inter Lysimachũ

et Pyrrhũ regem socios pauloante aduersus Demetriũ, assiduum inter pares discordia malum bellum moue- rat. Victor Lysimachus pulso Pyrrho Macedoniam oc= cupauerat. Inde Thraciæ, ac deinceps Heracliæ, bellũ intulerat. cuius urbis & initia & exitus mirabilis fuere. quippe Bæotijs pestilentia laborantibus oraculũ Delphis responderat, coloniam in ponti regione sacrã Herculi conderent. Cum propter metum lõgæ & peri culosæ nauigationis mortem in patria omnibus præo= ptantibus res omissa esset, bellum his Phocenses intule runt. quorum cũ aduersa prælia paterẽtur, iterato ad oraculum decurrũt. responsum, idem belli, q̃d pestilen= tiæ remediũ fore. Igitur conscripta colonorũ manu in Metapontũ delati urbẽ Heracliam condiderũt. & quoniã fatorũ auspicijs in eas sedes delati erãt, breui post tpe magnas opes parauere. multa deinde huius ur bis aduersus finitimos bella, multa etiã domesticæ dis- sensionis mala fuere. Inter cætera magnifica uel præ cipue illud memorabile fuit. Cum rerum potirentur Athenienses, uictisq; Persis Græciæ, & Asiæ tributũ in tutelam classis descripsissent, oĩbus cupide ad præsidiũ salutis suæ conferentibus, soli Heraclienses ob amicitiã regum psicorum collationem abnuerant. Missus itaq; ab Atheniensibus Lamachus cum exercitu ad extor- quendum, q̃d negabatur, dũ relictis in litore nauibus agros Heracliẽsiũ populatur, classem cũ maiore parte exercitus naufragio repentinæ tẽpestatis amisit. Itaq; cũ neq; mari possent amissis nauibus, neq; terra aude rent cũ parua manu inter tot ferocissimas gentes re- uerti, Heracliẽses honestiorem beneficij, q̃ ultionis oc=

casionem rati, instructos commeatibus, auxiliisq; dimittunt, bene agrorũ suorum populationem existimantes, si quos hostes habuerant, amicos reddidissent. Passi sunt inter plurima mala etiam tyrannidem, si quidem cũ plebs & nouas tabulas & diuisionem agrorum diuitum impotenter flagitarent, diu re in senatu tractata, cum exitus rei non inueniretur, ad postremum aduersus plebem nimio ocio lasciuientem auxilia à Timotheo Atheniensium duce, mox ab Epaminunda Thebanorum petiuere. utrisq; negantibus, ad Clearchum, quẽ ipsi in exilium egerant, decurrunt. tanta calamitatum necessitas fuit, ut cui patriam interdixerant, eum ad tutelam patriæ uocarent. Sed Clearchus exilio facinorosior redditus, & dissensionem populi occasionem inuadendæ tyrannidis existimans, primo tacite cum Mithridate ciuium suorum hoste colloquitur, & inita societate paciscitur, ut reuocatus in patriam prodita ei urbe præfectus eius constitueretur. Postea autem insidias, quas ciuibus parauerat, in ipsum Mithridatem uertit. Nanq; cum uelut arbiter ciuilis discordiæ de exilio reuersus esset, statuto tempore, quo urbem Mithridati traderet, ipsum cum amicis suis cœpit, captumq; accepta ingenti pecunia dimisit. Atq; ut illi subitum se ex socio fecit hostem. sic ex defensore senatoriæ causæ, repente patronus plebis euasit, & aduersus authores potentiæ suæ, à quibus reuocatus fuerat in patriam, per quos in arce collocatus fuerat, non solum plebem accendit, uerum etiam nefandissima quæq; tyrãnicæ crudelitatis exercuit. Igitur populo ad concionem uocato, neq; se affuturum amplius grassanti in populum se

natui

natui ait, et intercessurũ etiam si in pristina sæuitia perseueret. quod si parẽ se crudelitati senatorũ arbitraretur, abiturum cum militibus suis, neq; ciuilibus discordijs interfuturum. Sin uero diffidant uiribus proprijs, uindicem se ciuiũ non defuturum. Proinde consulant sibi ipsi, iubeant abire se, an malint socium causæ popularis remanere. His uerbis sollicitata plebs summum ad eum imperium defert, & dũ senatus potentiæ irascitur, in seruitutẽ se tyrannicæ dominationis cũ coniugibus & liberis tradit. Igitur Clearchus. LX. senatores comprehensos (nam cæteri in fugam dilapsi erãt) in uincula compingit. Lætatur plebs, qđ à duce potissimũ senatorũ senatus deleretur, uersáq; uice auxilium eorum in exitiũ conuersum eẽt, quibus dum mortem passim oibus minatur, cariora eorum precia facit. Siqdem Clearchus magna pecunia, quasi minis populi occulte eos subtracturus, accepta, spoliatos fortunis, uita quoq; spoliauit. Cognito deinde, qđ bellũ sibi ab ijs, qui profugerant, misericordia in auxiliũ sollicitatis ciuitatibus, pararetur, seruos eorum manumittit. et ne qd mali afflictis honestissimis domibus deesset, uxores eorum filiasq; nubere seruis suis, proposita recusantibus, morte compellit, ut eos sibi fidiores, & dominis infestiores redderet. Sed matronis tam lugubres nuptiæ grauiores repẽtinis funeribus fuere. Itaq; multæ se ante nuptias, multæ in ipsis nuptijs, occisis prius nouis maritis, iterficiunt, & se tam funestis calamitatibus uirtute ingenui pudoris eripiunt, prælium deinde cõmittitur. Quo uictor tyrãnus captiuos senatores in triumphi modũ per ora ciuium trahit. Reuersus in urbẽ aliosuincit, tor-

quet alios, alios occidit, nullus locus urbis à crudelita te tyranni uacat. Accedit sæuitiæ insolentia, crudelitati arrogantia. Interdum ex successu continuæ felicitatis obliuiscitur se hominem. Interdum Iouis filium se dicit. Eunti per publicum aurea aquila uelut argumẽtum generis præferebatur. ueste purpurea, & cothurnis regum tragicorum, & aurea corona utebatur. filium quoque suum Ceraunon uocat, ut deos non mendacio tantum, uerum etiam nominibus illudat. Hæc illum facere duo nobilissimi iuuenes Chion & Leonides indignantes patriam liberaturi in necem tyranni conspirant. Erant hi discipuli Platonis philosophi, qui uirtutem ad quam cotidie præceptis magistri erudiebantur, patriæ exhibere cupientes quinquaginta cognatos ueluti clientes in insidijs locant. Ipsi more iurgantium ad tyrannum ueluti ad regem in arcem contendunt, qui iure familiaritatis admissi, dum alterum priorem dicentem intentus audit tyrannus, ab altero obtruncatur. Sed ipsi, socijs tardius auxilium ferentibus, à satellitibus obruuntur. Quare factum est, ut tyrannus quidem occideretur, sed patria non liberaretur. Nam frater Clearchi Satyrus eadem uia tyrãnidem inuadit, multisq; annis per gradus successionis Heraclienses regnum tyrannorum fuere.

LIBER

p

Er idem fermè tempus Hellesponti & Chersonnesi regionibus terræmotus fuit. Maxime tamẽ urbs Lysimachia ante duos & XX. annos à Lysimacho condita euersa est. quod portenti dira Lysimacho stirpiq; eius, ac ruinam regni cum clade uexatarum regionum portendebat. Nec ostentis fides defuit. nam breui post tempore Agathoclem filium suum, quem in successionem regni ordinauerat, per quẽ multa bella prospere gesserat, non solum ultra patrium, uerum etiam humanum ultra morem perosus, ministra Arsinoë nouerca ueneno interfecit. hæc illi prima mali labes, hoc initium impendentis ruinæ fuit. nam parricidium principum secutæ cædes sunt, luentium supplicia, quod occisum iuuenem dolebant. Itaq; et hi qui exercitibus præerant, certatim ad Seleucum deficiebant, eumq; pronum iam ex æmulatione gloriæ bellũ Lysimacho inferre compellunt. Vltimum hoc certamen commilitonũ Alexandri fuit, et uelut ad exemplum fortunæ par reseruatum. Lysimachus quatuor et LXX. annos natus erat, Seleucus septem, et LXX. Sed in hac ætate uterq; animos iuueniles seruabant, imperijq; cupiditatem insatiabilẽ gerebant. quippe cum orbem terrarum duo soli tenerent, angustis sibi metis inclusi uidebantur, uitæq; finem non annorũ spacio, sed imperij terminis metiebantur. In eo bello Lysimachus, amissis antea uarijs casibus quindecim liberis, nõ strenue moriens postremus domus suæ ruinæ cumulus ac-

cessit. Lætus tanta uictoria Seleucus, & (quod maius uictoria putabat) solum se de cohorte Alexãdri mansisse, uictoremq; uictorum extitisse, non humanum opus esse, sed diuinum munus gloriatur, ignarus prorsus non multo post fragilitatis humanæ seipsum exemplum futurum. Quippe post menses admodum .VII. à Ptolemæo, cuius sororem Lysimachus in matrimonio habuerat, per insidias circumuentus occiditur. regnumq; Macedoniæ, quod Lysimacho eripuerat, cum uita pariter amittit. Igitur Ptolemæus cum & in gratiam memoriæ magni Ptolemæi patris, & in fauorem ultionis Lysimachi ambitiosus ad populares esset, primo Lysimachi filios conciliare sibi statuit, nuptiasq; Arsinoës sororis suæ matris eorum petit, puerorum adoptione promissa, ut cum in locum patris eorum successisset, nihil illi moliri, uel uerecundia matris, uel appellatione patris auderent. Fratris quoque regis Aegypti concordiam per epistolas deprecatur, professus deponere se offensam ereptæ partis paterni regni, neque amplius à fratre quæsiturum, quod honestius à paterno hoste percæperit. omniq; arte adulatur Eumeni & Antigono Demetrij filijs, & Antiocho filio Seleuci, cum quibus bellum habiturus erat, ne tertius sibi hostis accederet. Sed nec Pyrrhus rex Epiri omissus ingens momentum futurus, utri parti socius accessisset. qui & ipse spoliare singulos cupiens, omnibus se partibus uendicabat. Itaque Tarentinis aduersus Romanos laturus Auxilium, ab Antigono naues ad exercitum in Italiam deportandum mutuo petit. ab Antiocho pecuniam, qui opibus quàm

militibus instructior erat. à Ptolemæo Macedonum militum auxilia. sed Ptolemæus, cui nulla dilationis ex infirmitate uirium uenia esset, quinque milia peditum, equitum quatuor milia, elefantos. L. non amplius quàm in biennij usum dedit. Ob hæc Pyrrhus filia Ptolemæi in matrimonium accepta, uindicem eum regni reliquit, pacificatus cum omnibus finitimis, ne abducta in Italiam iuuentute, prædæ hostibus regnum relinqueret. Sed quoniam ad Epiri mentionem uentum est, de origine regni eius pauca narranda sunt. Molossorum primum in ea regione regnum fuit. post Pyrrhus Achillis filius, amisso per absentiam troianis temporibus paterno regno, in his locis consedit, qui Pyrrhidæ primo, postea Epirotæ dicti sunt. Sed Pyrrhus cum in templum Dodonæi Iouis ad consulendum uenisset, ibi Lanassã neptem Herculis rapuit. Ex cuius matrimonio octo liberos sustulit. Ex his nonnullas uirgines nuptum finitimis regibus tradidit, opesq; affinitatum auxilio magnas parauit. Atq; ita Heleno filio Priami regis, ob industriam singularem uaticinandi, regnum Chaonum, & Andromachã Hectoris, è matrimonio suo quam ipse in diuisione troianæ prædæ acceperat, uxorem reddidit. breuiq; post tempore Delphis, insidijs Orestæ filij Agamemnonis, inter altaria dei interijt. Successor huic Pielus filius fuit. Per ordinẽ deinde regnum ad Arymbam descendit. cui quoniam pupillus & unicus ex gente nobili superesset, intentiore omnium cura seruandi eius educandiq;, publice tutores constituuntur. Athenas quoque erudiendi gratia missus, quanto do-

ctior maioribus suis, tanto & gratior populo fuit. Primus itaque & leges, & senatum, annuosq; magistratus, & Reip. formam composuit, & ut à Pyrrho sedes, sic uita cultior populo ab Arymba statuta. Huius filius Neoptolemus fuit. Ex quo nata est Olympias mater Alexandri magni, & Alexander, qui post eum regnum Epiri tenuit, & in Italia bello gesto in Brutijs interijt. Post eius mortem frater Aeacides regno successit. qui assiduis aduersus Macedonas bellorum certaminibus populum fatigando offensam ciuium contraxit. ac propterea in exilium actus Pyrrhum filium bimum admodum paruulum in regno reliquit. qui et ipse cum à populo propter odium patris ad necem quæreretur, furtim subtracto in Illyrios defertur, traditusq; est Beroæ Glauciæ regis uxori nutriẽdus, quæ & ipsa generis Aeacidarum erat. Ibi eum, seu misericordia fortunæ eius, seu infantilibus blandimentis inductus rex, aduersum Cassandrum Macedoniæ regem, qui eum sub belli comminatione deposcebat, diu protexit, addito in auxilium etiam adoptionis officio. Quibus rebus moti Epirotæ, odio in misericordiam uerso, annorum. XI. eum in regnum reuocauerunt, datis tutoribus, qui regnum usque in adultam eius ætatem tuerentur. Adolescens deinde multa bella gessit, tantusq; rerum successu haberi cœptus est, ut Tarentinos solus aduersus Romanos tueri posse uideretur.

i Gitur Pyrrhus rex Epiri, cum iterata Tarentinorũ legatione, additis Samnitium & Lucanorum precibus, et ipsis auxilium aduersus Romanos pollicentibus, fatigaretur, non tam supplicum precibus, quàm spe inuadendi Italiæ imperij inductus uenturum se cum exercitu pollicetur. In quam rẽ inclinatum semel animum præcipitem agere cœperãt exempla maiorum, ne aut inferior patruo suo Alexandro uideretur, quo defensore ijdem Tarentini aduersus Brutios usi fuerant, aut minores animos magno Alexandro habuisse, qui tam longè à domo militia orientem subegit. Igitur relicto custode regni filio Ptolemæo annos XV. nato exercitũ in portu Tarentino exponit, duobus paruulis filijs Alexandro & Heleno in solatia longinquæ expeditionis secum adductis. Cuius audito aduẽtu consul Romanus Valerius Leuinus festinans, ut prius cum eo congrederetur, quàm auxilia sociorum conuenirent, exercitum in aciem deducit. Nec rex, tam & si numero militum inferior esset, certamini moram fecit. Sed Romanos uincentes iam inusitata ante elephantorum forma stupere primo, mox cedere prælio coëgit, uictoresq; iam noua Macedonum monstra repente uicerunt, nec hostibus incruenta uictoria fuit. Nam & ipse Pyrrhus grauiter uulneratus est, et magna pars militum eius cæsa, maioremq; gloriã eius uictoriæ, quàm lætitiam habuit. Huius pugnæ euentum multæ ciuitates secutæ Pyrrho se tradunt. Inter

cæteros etiam Locri, prodito præsidio romano, ad Pyrrhum deficiunt. Ex ea præda Pyrrhus. CC. captiuos milites gratis Romam remisit, ut cognita uirtute eius, Romani cognoscerent etiam liberalitatem. Interiectis deinde diebus cum sociorum exercitus superuenisset, iterato prælium cum Romanis facit, in quo par fortuna priori bello fuit. Interea Mago dux Carthaginensium in auxilium Romanorũ cum CXX. nauibus missus, senatum adijt. ægre tulisse Carthaginenses affirmans, quod bellum in Italia à peregrino rege paterentur. ob quam causam missum se, ut quoniam externo hoste oppugnarentur, externis auxilijs iuuarentur. Gratiæ à senatu Carthaginensibus actæ, auxiliaq; remissa. Sed Mago punico igenio post paucos dies tacitus, quasi pacificator Carthaginensium, Pyrrhum adijt, speculaturus consilia eius de Sicilia, quo eum accersiri fama erat. nã Romanis eadem causa mittendi auxilia Carthaginensibus fuerat, ut Romano bello, ne in Siciliã Pyrrhus trãsire posset, in Italia detineretur. Dum hæc aguntur, legatus à senatu Romano Fabricius Luscinius missus, pacem cum Pyrrho componit. ad quam cõfirmandam Cineas Romam cum ingentibus à Pyrrho donis missus, neminem, cuius domus muneribus pateret, inuenit. Huic continentiæ Romanorum simile exemplum ijsdem ferme temporibus fuit. Nam missi à senatu in Aegyptum legati cum ingentia sibi à Ptolemæo rege missa munera spreuissent, interiectis diebus ad cœnam inuitatis aureæ coronæ missæ sunt, quas illi honoris causa receptas postera die statuis regis imposuerunt. igitur Cineas, cum turbatam cum Romanis pacem ab

Appio Claudio renunciasset, interrogatus a Pyrrho, qualis Roma esset, respondit regum urbem sibi uisam. Post hæc legati Siculorum superueniunt, tradentes Pyrrho totius insulæ imperium, quæ assiduis Carthaginensium bellis uexabatur. Itaque relicto Locris Alexandro filio, firmatisq; sociorum ciuitatibus ualido præsidio, in Siciliam exercitum traiecit. Et quoniam ad Carthaginensium mentionem uentum est, de origine eorum pauca dicenda sunt, repetitis Tyriorum paulo altius rebus, quorum casus etiam dolendi fuerant. Tyriorum gens condita a Phœnicibus fuit. qui terræmotu uexati, relicto patriæ solo, assyrium stagnum primo, mox mari proximum litus incoluerunt, condita ibi urbe, quam a piscium ubertate Sidona appellauerunt. nam piscem Phœnices sidō uocant. Post multos deinde annos a rege Ascaloniorum expugnati, nauibus appulsi Tyron urbem ante annum troianæ cladis condiderunt. Ibi Persarum bellis diu uarieq; fatigati uictores quidē fuere, sed attritis uiribus a seruis suis multitudine abundantibus indigna supplicia perpessi sunt. qui conspiratione facta, omnem liberū populum cum dominis interficiunt. atq; ita potiti urbe, lares dominorum occupant. remp. inuadunt, coniuges ducunt, et (quod ipsi non erant) liberos procreant. Vnus ex tot milibus seruorum fuit, qui miti ingenio senis domini paruuliq; filij eius fortuna moueretur, dominosq; nō truci feritate, sed pia misericordia ac humanitate respiceret. Itaq; cum uelut ocisos alienasset, seruisq; de statu reip. deliberantibus placuisset regem ex suo corpore creari, eumq; potissimum, quasi acceptissimum dijs, qui

ſolem orientem primus uidiſſet, rẽ ad Stratonem (hoc enim ei nomen erat) dominum occulte latentem detulit. ab eo informatus, cum medio noctis omnes in unũ campum proceſſiſſent, cæteris in orientẽ ſpectantibus, ſolus occidentis regionem intuebatur. Id primum alijs uideri furor, in occidente ſolis ortum quærere. ubi uero dies aduentare cœpit, editiſſimisq; culminibus urbis oriens ſplendere, expectantibus alijs, ut ipſum ſolem aſpicerent, hic primus omnibus fulgorem ſolis in ſummo faſtigio ciuitatis oſtendit. Non ſeruilis ingenij ratio uiſa, requirentibusq; authorem de domino confitetur. Tũc intellectum eſt quãtũ ingenua ſeruilibus ingenia præſtarent, malitiaq; ſeruos, nõ ſapientia uincere. Igitur uenia ſeni filioq; data eſt, & uelut numine quodã reſeruatos arbitrantes regem Stratonem creauerunt. Poſt cuius mortem regnum ad filiũ, ac deinde ad nepotes tranſit. Celebre hoc ſeruorum facinus, metuendumq; exemplum toto orbe terrarum fuit. Itaq; Alexander magnus, cũ interiecto tempore in oriente bellũ gereret, uelut ultor publicæ ſecuritatis expugnata eorum urbe omnes, qui prælio ſuperfuerant, ob memoriam ueteris cædis crucibus affixit. genus tantũ Stratonis inuiolatum ſeruauit, regnumq; ſtirpi eius reſtituit, ingenuis & innoxijs incolis inſulæ attributis, ut extirpato ſeruili germine, genus urbis ex integro conderetur. Hoc igitur modo Tyrij Alexandri auſpicijs conditi, parſimonia & labore quærendi cito coaluere. Ante cladem dominorum cum & opibus & multitudine abundarent, miſſa in Africam iuuentute Vticam condidere, cum interim rex Tyro decedit, filio Pygmalione, &

lione, &

lione, & Elisa filia insignis formæ uirgine hæredibus. Sed populus Pygmalioni admodum puero regnum tradidit. Elisa quoq; Aceruæ auunculo suo sacerdoti Herculis, qui honos secundus à rege erat, nupsit. Huic magnæ, sed dissimulatæ opes erant, aurumq; metu regis non tectis, sed terræ crediderat. quam rem & si homines ignorabant, fama tamen loquebatur. Qua incensus Pygmalion, oblitus iuris humani auunculũ suum eundemq; generũ sine respectu pietatis occidit. Elisa diu fratrem propter scelus auersata, ad postremum, dissimulato odio mitigatoq; interim uultu, fugã tacite molitur. assumptisq; qbusdã principibus in societatem, in quibus par odium in regem esse, eandemq; fugiẽdi cupiditatem arbitrabatur, tunc fratrem dolo aggreditur. fingit se ad eum migrare uelle, ne amplius ei mariti domus cupidæ obliuionis grauem luctus imaginẽ renouet, neˊ ue ultra amara admonitio oculis eius occurrat. Non inuitus Pygmalion uerba sororis audiuit, existimans cum ea et aurũ Acerua ad se uẽturum. Sed Elisa ministros migrationis à rege missos nauibus cũ opibus suis prima uespera imponit. Prouectaq; in altum compellit eos onera arenæ pro pecunia inuolucris inuoluta in mare deijcere. Tũc deflens ipsa lugubriq; uoce Aceruã ciet orãs, ut libens opes suas recipiat, quas reliquerat, habeatq; inferias, quas habuerat cãm mortis. Tunc ipsos ministros aggreditur. Sibi qdem ait optatam olim mortem, sed illis acerbos cruciatus & dira supplicia imminere, qui Aceruæ opes, quarum spe parricidium rex fecerat, auaritiæ tyranni subtraxerint. Hoc metu omnibus iniecto, comites fugæ ac-

cepit. iunguntur & senatorum in ea nocte praeparata agmina, atq; ita sacris Herculis, cuius sacerdos Acerbas fuerat, repetitis, exilio sedes quaerunt. Primus illis appulsus terrae Cyprus insula fuit. ubi sacerdos Iouis cum coniuge & liberis dei monitu comitem se Elisae, sociumq; fortunae offert. pactus sibi posteris'q; perpetuum honorem sacerdotij. Conditio pro manifesto omine accepta. Mos erat Cyprijs, uirgines ante nuptias statutis diebus dotalem pecuniam quaesituras in quaestum ad litus maris mittere, pro reliqua pudicitia libamenta Veneri soluturas. Harũ igitur ex nũero LXXX. admodum uirgines rapi, & nauibus imponi Elisa iubet, ut & iuuentus matrimonia, & urbs sobolem habere posset. Dum haec aguntur, Pygmalion cognita sororis fuga, cum impio bello fugientem persequi pararet, aegre precibus matris, & deorum minis uictus quieuit, cum inspirati uates canerent, nõ impune laturum, si incrementa urbis toto orbe auspicatissimae interpellasset. & hoc modo spacium respirandi fugientibus datum. Itaq; Elisa delata in Africae sinus incolas loci eius aduentu peregrinorum, mutuarum'q; rerum commercio gaudentes, in amicitiam sollicitat. Deinde empto loco, qui corio bouis tegi possit, in quo fessos longa nauigatione socios, quoad proficisceretur, reficere posset, corium in tenuissimas partes secari iubet, atque ita maius loci spacium, quàm petierat, occupat. unde postea ei loco Byrsae nomen fuit, confluentibus deinde uicinis locorum, qui spe lucri multa hospitibus uenalia inferebãt, sedes'q; ibi statuentibus, ex frequentia hominum uelut instar ciuitatis effectum est. Vticensium quoque legati

dona

dona ut consanguineis attulerunt, hortatiq; sunt ut urbem conderent, ubi sedes sortiti essent. Sed & Afros detinendi aduenas amor cepit. Itaque consentientibus omnibus Carthago conditur, statuto annuo uectigali pro solo urbis. In primis fundamentis caput bubulum inuentum est. quod auspicium fructuosæ quidem, sed laboriosæ, perpetuoq; seruæ urbis fuit. propter quod in alium locum urbs translata. ibi quoq; caput equi repertum, bellicosum potentemq; populum futurum significans, urbi auspicatam sedem dedit. Tunc ad opinionẽ nouæ urbis concurrentibus gentibus, breui & populus & ciuitas magna facta est. Cum successu rerum florentes Carthaginis opes essent, rex Mauritanorum Hiarbas, decem pœnorum principibus ad se accersitis, Elisæ nuptias sub belli denunciatione petit. quod legati reginæ referre metuentes punico cum ea ingenio egerunt, nunciantes regem aliquẽ poscere, qui cultiores mores uictusq; eum Afrosq; perdoceat. sed quẽquam inueniri non posse, qui ad barbaros, & ferarum more uiuentes transire à consanguineis uelit. Tunc à regina castigati, si pro salute patriæ asperiorem uitam recusarent, cui etiam ipsa uita, si res exigat, debeatur, regis mandata a puere, dicentes, quæ præcipiat alijs, ipsi faciẽda esse, si uelit urbi consultum esse. Hoc dolo capta, diu Acerbæ uiri nomine cum multis lachrymis et lamentatione flebili inuocato, ad postremũ iturã se, quo sua & urbis fata uocarent, respondit. In hoc triũ mensiũ sumpto spacio Pyra in ultima parte urbis extructa, uelut placatura uiri manes, inferiasq; ante nuptias missura, multas hostias cædit, & sumpto gladio Pyram conscen=

dit, atq; ita ad populum respiciens, ituram se ad uirũ (sicut præceperat) dixit, uitamq; gladio finiuit. Quam diu Carthago inuicta fuit, pro dea culta est. Cõdita est urbs hæc. LXXII. ãnis ante, q̃ Roma. cuius uirtus sicut bello clara fuit, ita domi status uarijs discordiarũ casi bus agitatus est, cũ inter cætera mala ẽt peste laborarẽt, cruenta sacrorũ religione, & scelere, pro remedio usi sunt. qppe hoĩes ut uictimas immolabant, et ĩpuberes, quæ ætas ẽt hostiũ misericordiã prouocat, aris admouebant. pacem deorũ sanguine eorũ exposcentes, pro quorũ uita dij rogari maxime solent. Itaq; aduersis tãto scelere numinibus, cũ in Sicilia diu infeliciter dimicassent, translato in Sardiniã bello, amissa maiore exercitus parte, graui prælio uicti sunt. Propter quod ducem suum Mazæum, cuius auspicijs & Siciliæ partem domuerant, & aduersus Afros magnas res gesserant, cum parte exercitus, quæ superfuerat, exulare iusserunt. quam rem ægre ferentes milites legatos Carthaginem mittunt, qui reditum primo ueniamq; infelicis militiæ petant, tum denuncient, quod precibus nequeãt, armis se consecuturos. Cum preces & minæ legatorũ spretæ essent, interiectis diebus conscensis nauibus armati ad urbem ueniunt. ibi deos hominesq; testati, non se expugnatum, sed recuperatum patriam uenire, ostensurosq; ciuibus suis non uirtutem sibi priore bello, sed fortunam defuisse, prohibitis commeatibus obsessaq; urbe, in summam desperationem Carthaginenses adduxerunt. Interea Cartalo Mazæi ducis exulis filius, cũ præter castra patris à Tyro, quo decimas Herculis ferre ex præda Siciliensi, quam pater eius ceperat, à Car

thaginensibus

thaginensibus missus fuerat, reuerteretur, accersitusq; à patre esset, publicæ se prius religionis officia executurum, q̃ priuatæ pietatis respondit. quam rem & si ægre ferret pater, nõ tamen uim afferre religioni ausus est. Interiectis deinde diebus Cartalo, petito cõmeatu à populo, cum reuersus ad patrem esset, ornatusq; purpura & infulis sacerdotij omnium se oculis ingereret, tum in secretum pater adducto ait, ausus ne es, nefandissimum caput, ista purpura & auro ornatus in conspectum tot miserorum ciuium uenire, et mœsta ac lugentia castra circumfluentibus quietæ felicitatis insignibus uelut exultabundus intrare? Nusquam ne te alijs iactare potuisti? Nullus locus aptior, q̃ sordes patris & exilij infelicis erumnæ fuerunt? Quid quod pauloante uocatus, non dico patrem, ducem certe ciuium tuorum superbe spreuisti? Et quid porrò tu i purpura ista coronisq; aliud, quàm uictoriarũ mearum titulos geris? Quoniam igitur tu in patre nihil, nisi exulis nomen agnoscis, ego quoq; imperatorem me magis, q̃ patrem indicabo, statuamq; in te exemplum, ne qs post hac infelicibus miserijs patris illudat, atq; ita eũ cũ ornatu suo in altissimã crucem ĩ cõspectu urbis affigi iussit. Post paucos deinde dies Carthaginem capit. euocatoq; populo ad concionem, exilij iniuriam queritur, belli necessitatem excusat, contentusq; uictoria sua, punitis authoribus, miserorum ciuium iniuriosi exilij omnibus se ueniam dare dicit. Atque ita decem senatoribus interfectis urbem legibus suis reddidit. Nec multo post tempore affectati regni accusatus, duplicis, & in filio, & in patria parricidij pœnas dedit.

Huic Mago imperator successit. cuius industria & opes Carthaginensium, & imperij fines, & bellicæ gloriæ laudes creuerunt.

LIBER DECIMVSNONVS.

M Ago Carthaginensium imperator, cũ primus omniũ ordinata disciplina militari imperium Pœnorum condidisset, uiresq; ciuitatis non minus bellandi arte, q̃ uirtute firmasset, defungitur, relictis duobus filijs, Hasdrubale & Hamilchare. qui per uestigia paternæ uirtutis decurrentes, sicuti generi, ita & magnitudini patris successerunt. Iis ducibus Sardiniæ bellum illatum. Aduersus Afros quoque uectigal pro solo urbis multorum annorum repetentes dimicatum. sed Afrorum sicuti causa iustior, ita & fortuna superior fuit, bellumq; cum his solutione pecuniæ, non armis finitum. In Sardinia quoq; Hasdrubal grauiter uulneratus, imperio Hamilchari fratri tradito, interijt. cuius mortem tum luctus ciuitatis, tum et dictaturæ undecim, & triumphi quatuor insignem fecere. Hostibus quoq; creuere animi, ueluti cũ duce Pœnorum uires concidissent. Itaq; Siciliæ populis, propter assiduas Carthaginiensium iniurias, ad Leonidam fratrem regis Spartanorum concurrentibus graue bellũ natũ. In quo & diu & uaria uictoria præliatum fuit. Dũ hæc aguntur, legati à Dario Persarũ rege Carthaginem uenerunt, afferentes edictũ, quo Pœni humanas hostias imolare, et canina uesci prohibebãtur. mortuorũq; corpora cremare potius, q̃ terra obruere à rege

iubebantur,

iubebātur, petentes simul auxilia aduersus Græcos, qui bus illaturus bellum Darius erat. Sed Carthaginenses auxilia negantes propter assidua finitimorum bella, cæteris, ne ꝑomnia cōtumaces uiderentur, cupide paruere. Interea Hamilchar bello Siciliēsi interficitur, re lictis tribus filijs. Amilcone, Hānone, Gisgone. Hasdru bali quoq; par numerus filiorum fuit Hannibal, & Hasdrubal, & Sapho. Per hos res Carthaginensium ea tempestate regebantur. Itaq; & Mauris bellum illatum, & aduersus Numidas pugnatum, & Afri com pulsi stipendium urbis conditæ Carthaginensibus remittere. Deinde cum familia tanta imperatorum grauis liberæ ciuitati esset, omniaq; ipsi agerent simul & iudicarent, centum ex numero senatorū iudices deligun tur. qui reuersis à bello ducibus, rationem rerum gestarum exigerent, ut hoc metu ita in bello imperia cogitarent, & domi iudicia legesq; respicerent. In Sicilia in locum Hamilcharis imperator Amilco succedit. qui cum nauali terrestriq; bello secunda prælia fecisset, multasq; ciuitates cepisset, repente pestilentis syderis ui exercitum amisit. quæ res cum nunciata Carthagini esset, mœsta ciuitas fuit, omnia ululatibus non secus, ac si ipsa urbs capta esset, personabant, clausæ priuatæ domus, clausa deorum templa, intermissa omnia sacra, omnia priuata officia damnata. Cuncti deinde ad portum congregantur, egredientesq; paucos è nauibus, qui cladi superfuerant, de suis percunctantur. ut uero dubia antea spe, et suspenso metu, in certa orbitatis expectatione, casus suorum miseris eluxit, tunc toto litore plangentiū gemitus, tunc infelicium matrum

et ululatus, et querelæ flebiles audiebantur. Inter hæc procedit inops è naui sua imperator Amilco sordida seruiliq; tunica discinctus, ad cuius conspectum plangentium agmina iunguntur. Ipse quoq; manus ad cœlum tendens, nunc sortem suam, nunc publicam fortunam deflet, nunc deos accusat, qui tanta belli decora, & tot ornamenta uictoriarum, quæ ipsi dederant abstulerint. qui, captis tot urbibus, totiesq; hostibus terrestri naualiq; prælio uictis, exercitum uictorem non bello, sed peste deleuerint. Deferre se tamen ciuibus suis non modica solatia, quod malis eorum hostes gaudere, non gloriari possent. quippe neq; eos, qui mortui sunt, à se occisos, neq; eos, qui reuersi sunt, à se fugatos possint dicere. Prædã quã relictis à se castris abstulerint, non esse talem, quam uelut spoliũ uicti hostis ostentent, sed quam possessione uacua fortuitis dominorum mortibus, sicuti caducã, occupauerint. Quod ad hostes pertinet, uictores se recessisse, quod ad pestem, uictos. Nihil tamen se grauius ferre, q̃ quod inter fortissimos uiros mori non potuerit, seruatusq; sit, non ad uitæ iucunditatem, sed ad ludibrium calamitatis, quãquam ubi miseras copiarum reliquias Carthaginem reduxerit, se quoq; secuturum commilitones suos, ostensurumq; patriæ, non ideo se in eam diem uixisse, quoniam uelit uiuere, sed ne hos, quibus nefanda lues pepercerat, inter hostium exercitus relictos morte sua proderet. Tali uociferatione per urbem ingressus, ut ad limina domus suæ uenit, prosecutam multitudinem uelut postremo alloquio dimisit. obseratisq; foribus, ac nemine ad se, ne filijs quidem admissis, mortem sibi consciuit.

LIBER

d Ionysius ex Sicilia pulsis Carthaginensibus, occupatoq; totius insulæ imperio graue otium regno suo, periculosamq; desidiam tanti exercitus ratus, copias in Italiam traiecit, simul ut militum uires continuo labore acuerentur, & regni fines proferrentur. Prima illi militia aduersus Græcos, qui proxima Italici maris litora tenebant fuit. quibus deuictis finitimos quosque aggreditur, omnesq; græci nominis Italiam possidentes hostes sibi destinat, quæ gentes non partem sed uniuersam fermè Italiam ea tempestate occupauerant. Denique multæ urbes adhuc post tantam uetustatem uestigia græci moris ostentant. nanq; Thuscorum populi, qui oram inferi maris possident à Lydia uenerunt. Et Venetos, quos incolas superi maris uidemus, capta & expugnata Troia Antenore duce misit. Adria quoque Illyrico mari proxima, quæ & Adriatico mari nomen dedit, græca urbs est, & Arpos Diomedes exciso Ilio naufragio in ea loca delatus condidit. Sed & Pisæ in Liguribus Græcos authores habent. Et in Thuscis Tarquinij à Thessalis & Spinambris. Perusini quoque originem ab Achæis ducunt. Quid Cære urbem dicam? Quid latinos populos, qui ab Aenea conditi uidentur? Iam Phalisci, Nolani, Abellani, nonne Chalcidensium Coloni sunt? Quid tractus omnis Campaniæ? Quid Brutij, Sabinique? Quid Samnites? Quid Tarentini, quos Lacedæmone profectos, Spuriosq; uocatos accepimus? Thu-

riorum urbẽ condidisse Philocteten ferunt, ibiq; adhuc monumẽtũ eius uisitur. Et Herculis sagittæ in Apollinis tẽplo, quæ fatum Troiæ fuere. Metapontini quoq; in tẽplo Mineruæ ferramẽta, quibus Epeus, à quo conditi sunt, equũ troianum fabricauit, ostentant. propter quod omnis illa pars Italiæ maior Græcia appellatur. Sed principio originum Metapontini cum Sybaritanis & Crotoniensibus pellere cæteros Græcos Italia statuerunt. Cum primum urbem Sirim cœpissent in expugnatione eius quinquaginta iuuenes amplexos Mineruæ simulacrum, sacerdotemq; deæ uelatum ornamentis deorum inter ipsa altaria trucidauerunt. ob hoc cum peste et seditionibus uexarentur, priores Crotonienses delphicum oraculum adierunt. responsum his est, finem mali fore, si uiolatum Mineruæ numen & interfectorum manes placassent. Itaque cum statuas iuuenibus iustæ magnitudinis, & in primis Mineruæ, fabricare cœpissent, Metapontini cognito oraculo eorum occupandam manium & deæ pacem rati, iuuenibus modica et lapidea simulacra ponunt, deã panificijs placant. atq; ita pestis utrobiq; sedata est, cũ alteri magnificentia, alteri uelocitate certassent. Recuperata sanitate non diu Crotonienses quieuere. Itaq; indignantes in oppugnatione Siris auxilium contra se à Locrensibus latum, bellum his intulerunt. quo metu territi Locrenses ad Spartanos decurrunt, auxiliũ supplices deprecantur. Illi longinqua militia grauati, auxilium à Castore & Polluce petere eos iubent. Neq; legati sociæ urbis responsum spreuerunt. profectiq; in proximum templum, facto sacrificio, auxilium deorũ

implorant, litatis hostijs, obtentoq; (ut rebantur) quod petebant, haud secus læti, q̃ si deos ipsos secum aducturi essent, puluinaria ijs in naui componunt, faustisq; profecti omnibus solatia suis pro auxilijs deportant. Iis cognitis Crotonienses & ipsi legatos ad oraculum Delphos mittunt, uictoriæ facultatem, belliq; prosperos euentus deprecantes. responsum prius uotis hostes, q̃ armis uincendos. Cum uouissent Apollini decimas prædæ, Locrenses, & uoto hostium, & responso dei cognito, nonas uouerunt, tacitamq; eam rem habuere, ne uotis uincerentur. Itaq; cum in aciem processissent, & Crotoniensium. C. XX. milia armatorum constitissent, Locrenses paucitatem suam circunspicientes (nam sola. XV. milia militum habebant) omissa spe uictoriæ in destinatam mortem conspirant. tantusq; ardor ex desperatione singulos cœpit, ut uictores se putarent, si non inulti morerentur. Sed dum mori honeste quærunt, felicius uicerunt. nec alia causa uictoriæ fuit, quàm quod desperauerunt. Pugnantibus Locris aquila à facie nunquam recessit, eosq; tam diu circunuolauit, quo ad uincerent. In cornibus quoque duo iuuenes diuerso à cæteris armorum habitu eximia magnitudine ex albis eqs coccineis chlamydibus paludati, pugnare uisi sunt. nec ultra apparuerunt, quàm pugnatum est. Hanc admirationem auxit incredibilis famæ uelocitas, nam eadem die, qua in Italia pugnatum est, & Corinthi, & Athenis, & Lacedæmone nunciata est uictoria. Post hæc Crotoniensibus nulla uirtutis exercitatio, nulla armorum cura fuit. oderant enim quæ infeliciter sumpserant, mutassentq; uitam luxuria, ni

Pythagoras philosophus fuisset. Hic Sami Demarato locuplete negociatore patre natus, magnisq; sapientiæ incrementis ornatus, Aegyptum primo, mox Babyloniam, ad perdiscendos syderum motus, originemq; mundi spectandam, profectus, summam scientiam consecutus erat. Inde regressus Cretam & Lacædemona ad cognoscendas Minois & Lycurgi inclytas ea tempestate leges contenderat, quibus omnibus instructus Crotonem uenit, populũq; in luxuriam lapsum authoritate sua ad usum frugalitatis reuocauit. Laudabat cotidie uirtutem, et uitia luxuriæ, casusq; ciuitatum hac peste perditarum enumerabat, tantumq; studium ad frugalitatem multitudinis prouocauit, ut aliquos ex his luxuriatos in optimam frugem conuersos fuisse incredibile uideretur. Matronarum quoque separatam a uiris doctrinam, & puerorum a parentibus, frequenter habuit. docebat nunc has pudicitiam & obsequia in uiros, nunc illos modestiam & literarum studium. Inter hæc uelut genitricem uirtutum frugalitatem omnibus ingerebat, consecutusq; assiduitate disputationum erat, ut matronæ auratas uestes, cæteraq; dignitatis suæ ornamenta, uelut instrumenta luxuriæ, deponerent. eaq; omnia delata in Iunonis ædem ipsi deæ consecrarent, præ se ferentes uera ornamenta matronarum pudicitiam non uestes esse. In iuuentute quoq; quantum profectum sit, uicti fœminarum contumaces animi manifestabant. Sed CCC. ex iuuenibus cum sodalitij iure sacramento quodã nexi separatam a cæteris ciuibus uitam exercerent, quasi cætum clandestinæ coniurationis haberent, ciuitatem in se conuerterunt, quæ eos, cum in

unam domum conuenissent, cremare uoluerit. In quo
tumultu LX. fermè homines periere, cæteri in exilium
profecti. Pythagoras autem cum annos XX. Crotone
egisset, Metapontium migrauit. Ibiq; decessit, cuius tan
ta admiratio fuit, ut ex domo eius templum facerent,
eumq; pro deo colerent. Igitur Dionysius tyrãnus, quẽ
supra à Sicilia exercitum in Italiam traiecisse, bellũq;
Græcis intulisse memorauimus, expugnatis Locris, Cro
tonienses uix uires longo otio ex prioris belli clade re=
sumentes aggreditur, qui fortius cum paucis tanto exer
citui eius, quàm antea cum tot milibus Locrẽsium pau
citati, restiterunt. tantum uirtutis paupertas aduersus
insolẽtes diuitias habet, tantoq; insperata interdum spe
rata uictoria certior est. Sed Dionysium gerentem bel-
lum legati Gallorum, qui ante mensem Romam incen-
derunt, societatem amicitiamq; petentes adeunt, gen-
tẽq; suã inter hostes eius positam esse, magnoq; usui ei
futuram uel ante in acie, uel de tergo intentis in præ-
lium hostibus, affirmant. Grata legatio Dionysio fuit.
Ita pacta societate & auxilijs Gallorum auctus bel=
lum uelut ex integro restaurat. Iis autem Gallis causa
in Italiam ueniendi, sedesq; nouas quærendi intestina
discordia, & assiduæ domi dissensiones fuere, quarum
tedio cum in Italiam uenissent, sedibus Thuscos expu=
lerunt, & Mediolanium, Comum, Brixiam, Veronam,
Bergomum, Tridentum, Vicentiam condiderunt. Thu=
sci quoque duce Rheto auitis sedibus amissis alpes occu
pauere, & è nomine ducis gentem Rhetorum condi-
derunt. Sed Dionysium in Siciliam aduentus Cartha-
giniensium reuocauit, qui reparato exercitu bellum,

quod lue deseruerant, auctis uiribus repetebant. Dux belli Hanno Carthaginensis erat, cuius inimicus Suniacus potentissimus ea tempestate Pœnorũ cum odio eius græcis literis Dionysio aduentum exercitus, & segnitiam ducis familiariter prænunciasset, comprehensis epistolis proditionis reus damnatur, facto senatusconsulto, ne quis postea Carthaginensis aut literas græcas, aut sermonem studeret, ne aut loqui cum hoste, aut scribere sine interprete posset. Nec multo post Dionysius, quẽ paulo ante non Sicilia, non Italia capiebat, assiduis belli certaminibus uictus fractusq;, ad postremũ insidijs suorum interficitur.

LIBER VIGESIMVSPRIMVS.

e Xtincto in Sicilia Dionysio tyranno, in locum eius milites maximum natu ex filijs eius nomine Dionysium suffecere, & maturam ætatem eius secuti. & quod firmius futurum esse regnum, si penes unum remansisset, q̃ si portionibus inter plures diuideretur, arbitrabantur. Sed Dionysius inter initia regni auunculos fratrum suorum uelut æmulos imperij, hortatoresq; puerorum ad diuisionem regni tollere gestiebat. Quare paulisper dissimulatum animum prius ad fauorem popularium cõciliandum intendit, excusatius facturus, quod statuerat, si probatus ante omnibus foret. Igitur nexorum tria milia è carcere dimittit, tributa populo per triẽniũ remittit, fratres reuocat, & quibuscunq; delinimentis potest, animos omni-

um sollicitat. Tunc ad destinatum facinus conuersus, nō cognatos tantum fratrum, sed etiam ipsos fratres interficit, ut quibus consortium regni debebat, ne spiritus quidem consortium relinqueret, tyrannidem in suos prius, quàm in exteros auspicatus. Sublatis deide æmulis, in segnitiem lapsus, saginam corporis ex nimia luxuria, oculorumq; ualitudinem contraxit, adeo ut nō solem, nō puluerem, non denique splendorē ferre lucis ipsius posset. propter quæ, dum contemni se putat, sæuitia crassatur, nec (ut pater) carcerem nexis, sed cædibus ciuitatem replet, ob quæ non contemptior omnibus, q̃ inuisior fuit. Itaque cum bellum aduersus eum Syracusani decreuissent, diu dubitauit, imperium deponeret, an bello resisteret, sed à militibus prædam urbisq; direptionem sperantibus, descendere in prælium cogitur. Victus cum iterato non felicius fortunam tentasset, legatos ad Syracusanos mittit, spondens se depositurum tyrannidem, si mitterent ad eum, cum quibus de pace conueniret. in quam rem missos primores in carcere retinet, atq; ita incautis omnibus, nec quicquam hostile metuentibus, exercitum ad delendam ciuitatem mittit. fit igitur in ipsa urbe anceps prælium, in quo oppidanis multitudine superātibus Dionysius pellitur, qui cū obsidionem arcis timeret, cum omni regio apparatu in Italiā profugit tacitus exul. à Locrensibus socijs acceptus, uelut iure regnaret, arcē occupat, solitamq; sibi sæuitiā exercet. coniuges principum ad stuprū rapi iubebat, uirgines ante nuptias abducebat, stupratasq; spōsis reddebat. locupletissimos quosque aut ciuitate pellebat, aut occidi im pabat, bonaq; eorū inuadebat. Deinde cū

rapinæ occasio deesset, uniuersam ciuitatem callido com mēto circumuenit. Cū Rheginorum tyranni Leophonis bello Locrenses premerentur, uouerant, si uictores forent, ut die festo Veneris uirgines suas prostituerent. quo uoto intermisso, cum aduersa bella cum Lucanis gererent, in concionem eos Dionysius uocat, hortatur ut uxores filiasq; suas in templum Veneris, q̄ possint, ornatissimas mittant. ex quibus sorte centum ductæ uoto publico fungantur, religionisq; gratia uno stent in lupanari mense, omnibus ante iuratis uiris, ne quis ullam attaminet, quæ res ne uirginibus uoto ciuitatem soluentibus fraudi esset, decretum facerent, ne qua uirgo nuberet prius, q̄ illæ maritis traderentur. probato consilio, quo & superstitioni & pudicitiæ uirginum consulebatur, certatim omnes fœminæ impensius exornatæ in templū Veneris conueniunt. quas omnes Dionysius immissis militibus spoliat, ornamentaq; matronarum in prædam suam uertit. quarundam uiros ditiores interficit, quasdam ad prodendas uirorum pecunias torquet. Cū his artibus per annos sex, regnasset conspiratione Locrorum ciuitate pulsus in Siciliam redit. Ibi Syracusas securis omnibus post longam intercapedinem pacis per proditionem recipit. Dum hæc in Sicilia geruntur, interim in Africa princeps Carthaginensium Hanno opes suas, quibus reipu. superabat uires, ad occupandam dominationem intendit, regnumque inuadere interfecto senatu conatus est. cui sceleri solemnem nuptiarum diem filiæ suæ legit, ut religione uotorum nefanda commenta facilius tegerentur. Itaque plebi epulas in publicis porticibus, senatui

in domo

in domo sua parat, ut poculis ueneno infectis secretius senatum & sine arbitris interficeret, orbamq; rẽ publicam facilius inuaderet. Qua re magistratibus per ministros prodita, scelus declinatum, non uindicatum est, ne in uiro tam potenti plus negotij faceret res cognita q̃ cogitata. Constanter itaque communi decreto modum nuptiarum sumptibus statuunt, idq́; obseruari non ab uno sed ab uniuersis iubent, ne persona designata, sed uitia correpta esse uiderentur. Hoc consilio præuentus iterum seruitia concitat, statutaq; rursus cædiũ die, cum denuo se proditum uideret timens iudicium, munitum quoddam castellum cum uiginti milibus seruorum armatis occupat. Ibi dum Afros regemq; Mauritanorum concitat, capitur. uirgisq; cæsus effossis oculis, et manibus cruribusq; fractis, uelut à singulis mẽbris pœnæ exigerentur, in conspectu populi occiditur, corpus uerberibus lacerum in cruce figitur. Filij quoq;, cognatiq; omnes, etiam innoxij. supplicio traduntur, ne quisquã aut ad imitandũ facinus, aut ad mortem ulciscendã, ex tam nefaria domo superesset. Interea Dionysius Syracusis receptus, cum grauior crudeliorq; in dies ciuitati esset, iterata conspiratione obsidetur. tunc deposito imperio arcem Syracusanis cum exercitu tradit, receptoq; priuato instrumento Corinthũ in exiliũ proficiscitur. Ibi humillima quæq; tutissima existimans in sordidissimum uitæ genus descendit. nõ contentus in publico uagari, sed potare, nec conspici in popinis lupanaribusq́;, sed totis diebus residere. cũ perditissimo quoq; de minimis rebus disceptare, pannosusq; & squallidus incedere, risum libẽtius præbere, q̃ captare, in macello

pstare, quæ emere non poterat, oculis deuorare, apud ædiles aduersus lenones iurgari, omniáq; ista facere, ut contēnendus magis, q̃ metuēdus uideretur. Nouissime se ludi magistrum professus pueros in triuio docebat, ut aut à timentibus semper i publico uideretur, aut à nó timentibus facilius cōtemneretur. nam licet tyrannicis uitijs semper abundaret, tamen simulatio hæc uitiorum non naturæ erat, magisq; hæc arte, q̃ amisso regali pudore faciebat, expertus q̃ inuisa tyrannorum forent, ēt sine opibus nomina. Laborabat itaq; inuidiam præteritorū contemptu præsentiū demere, neq; honesta sed tuta consilia circunspiciebat. Inter has tamen dissimulationum artes ter insimulatus est affectatæ tyrannidis, nec aliter, q̃ dum contemnitur, liberatus est. Inter hæc Carthaginenses tanto successu rerū Alexandri magni exterriti, uerentes ne persico regno & Africam uellet adiungere, mittunt ad speculandos eius animos Hamilcharem cognomento Rhodanum uirū sollertia facundiáq; præter cæteros insignem. augebant enim metum & Tyrus urbs auctor originis suæ capta, & Alexandria æmula Carthaginis in terminis Africæ & Aegypti condita, & felicitas regis, apud quē nec cupiditas, nec fortuna ullo modo terminabantur. Igitur Hamilchar, per Parmenionem aditu regis obtento, profugisse se ad regē expulsum patria fingit, militēq; se expeditionis offert. Atq; ita cōsilijs eius exploratis i tabellis ligneis cæra desup uacua inducta ciuibus suis oīa pscribebat. Sed Carthaginēses post mortē regis reuersum i patria quasi urbē regi uēditasset, nó īgrato tātū, uerū etiam inuido & crudeli animo necauerunt.

LIBER

AGathocles Siciliæ tyrannus, qui magnitudini prioris Dionysij successit ad regni maiestatẽ ex humili & sordido genere peruenit. quippe in Sicilia patre Figulo natus nõ honestiorem pueritiam, q̃ principia originis habuit. siquidem forma & corporis pulchritudine egregius diu uitam stupri patiẽtem exhibuit. annos deinde pubertatis egressus, libidinem à uiris ad fœminas transtulit. Post hæc apud utrunq; sexum famosus uitam latrocinijs mutauit. Interiecto tempore, cum Syracusas concessisset, ascitus'q; in ciuitate inter incolas esset, diu sine fide fuit, quoniam nec in fortunis quod amitteret, nec in uerecundia quod inquinaret, habere uidebatur. In summa gregariam militiam sortitus, non minus tunc seditiosa, q̃ antea turpi uita in omne facinus promptissimus erat. nam & manu strenuus, & in concionibus perfacundus habebatur. Breui itaq; centurio, ac deinceps tribunus militũ factus est. Primo bello aduersus Aetnæos magna experimenta sui Syracusanis dedit. sequenti Campanorum tantam de se spem omnibus fecit, ut in locum demortui ducis Damascenis sufficeretur. cuius uxorem adulterio cognitam, post mortem uiri in matrimonium recepit. nec contentus, quod ex inope repente diues factus esset, piraticam aduersus patriam exercuit. saluti ei fuit, quod socij capti tortiq; de illo negauerunt, bis occupare imperium Syracusarum uoluit, bis in exiliũ actus est. A Murgantinis, apud quos

exulabat, odio Syracusanorũ primo prætor, mox dux creatur, in eo bello & urbem Leõtinorum cæpit, & patriam suam Syracusas obsidere cœpit, ad cuius auxilium Hamilchar dux pœnorum imploratus, depositis hostilibus odijs, præsidia militum mittit. Ita uno eodem tempore Syracusæ & ab hoste ciuili amore defensæ, et à ciue hostili odio impugnatæ sunt. Sed Agathocles, cum uideret fortius defendi urbem, q̃ oppugnari, precibus per internuncium Hamilcharem exorat, ut inter se & Syracusanos pacis arbitria suscipiat, peculiaria in ipsum officia sui repromittens, qua spe impletus Hamilchar societatem cum eo metu potentiæ eius iungit, ut quantum uirium Agathocli aduersus Syracusanos dedisset, tantum ipse ad incrementa domesticæ potẽtiæ reciperet. Igitur non pax tantum Agathocli conciliatur, uerum etiam prætor Syracusis constituitur. Tunc Hamilchari expositis ignibus cæreis tactisq; in obseq̃a pœnorum iurat. Deinde acceptis ab eo quinq; milibus Afrorum, potentissimos quosq; ex pricipibus interficit, atq; ita ueluti reipu. statum formaturus populum in theatrum ad concionem uocari iubet, contracto in gymnasio senatu, quasi quædam prius ordinaturus. Sic compositis rebus, immissis militibus populum obsidet, senatum trucidat. cuius peracta cæde ex plebe locupletissimos & promptissimos quosq; interficit. his ita gestis, militem legit, exercitumq; conscribit. quo instructus, finitimas ciuitates nihil hostile metuentes, ex improuiso aggreditur. Pœnorum quoq; socios permittente Hamilchare fœde iniurijs uexat. Propter quod querelas Carthaginem socij non tam de Agathocle, quàm de

Hamilchare detulerunt, hunc ut dominū & tyrannum, illum ut proditorem arguentes, à quo infestissimo hosti fortunæ sociorum, interposita pactione, donatæ sint, cui ab initio Syracusæ in pignus societatis sint traditæ, urbs semper Pœnis infesta, & de imperio Siciliæ Carthaginis æmula, nunc insuper ciuitates sociorum eidem pacis titulo traditæ sint. Denunciare igitur se hæc breui ad ipsos redundatura, ac propediem sensuros, quantum mali non Siciliæ magis, q̃ ipsi Africæ attulerint. his querelis senatus in Hamilcharem accenditur. sed quoniā in imperio esset, tacita de eo suffragia tulerunt, & sententias prius, q̃ recitarentur, in urnam coniectas obsignari iusserunt, donec alter Hamilchar Gisgonis filius à Sicilia reuerteretur. Sed hæc callida commenta Pœnorum & sententias inauditas mors Hamilcharis præuenit, liberatusq; est fati munere, quem sui ciues per iniuriam inauditam dānauerant. Quæ res Agathocli aduersus Pœnos occasionem mouendi belli dedit. Prima igitur illi cum Hamilchare Gisgonis filio prælij congressio fuit. à quo uictus maiori mole re paraturus bellum Syracusas concessit. Sed secundi certaminis eadem fortuna, quæ & prioris fuit. Cum igitur uictores Pœni Syracusas obsidione cinxissent, Agathoclesq; se, nec uiribus parem, neque ad obsidionem ferendam instructum uideret, & super hæc à socijs crudelitate eius offensis desertus esset, statuit bellum in Africam transferre. mira prorsus audacia, ut quibus in solo urbis suæ par non erat, eorum urbi bellum inferret. & qua sua tueri non poterat, impugnaret aliena, uictusq; uictoribus insultaret. Huius

consilij non minus admirabile silentium, quàm commentum fuit, populo hoc solum professus inuenisse se uictoriæ uiam. animos illi tantum in breuem obsidionis patientiam firmarent, uel sicui status præsentis fortunæ displiceret dare se ei discedendi liberam potestatem. Cum mille sexcenti discessissent, cæteros ad obsidionis necessitatem frumento & stipendio instruit, quinquaginta tantum secum talenta ad præsentem usum affert, cætera ex hoste melius, quàm ex socijs paraturus. omnes deinde seruos militaris ætatis libertate donatos sacramento adegit, eosq; & maiorem partem fermè militū nauibus imponit, ratus ex æquata utriusq; ordinis conditione mutuam inter eos uirtutis æmulationem futuram, cæteros omnes ad tutelam patriæ relinquit. Septimo igitur imperij anno comitibus duobus adultis filijs Archagatho & Heraclida, nullo militum sciente, quo ueherentur, cursum in Africam dirigit. cum omnes aut in Italiam prædatum se, aut in Sardiniam ituros crederent, tum primo exposito in Africæ litore exercitu consilium suum omnibus aperit. quo in loco Syracusæ positæ sint, ostēdit, qbus aliud nullū auxilium superesset, q̃ ut hostibus faciant, quæ ipsi paterentur. quippe aliter domi, aliter foris bella tractari. domi ea sola auxilia esse, quæ patriæ uires subministrent, foris hostem etiam suis uiribus uinci, deficientibus socijs, & odio diuturni imperij externa auxilia circunspicientibus. huc accedere, qđ urbes castellaq; Africæ non muris cinctæ, non in montibus positæ sint. sed in planis campis, sine ullis munimētis, iaceant, quas omnes metu excidij facile ad belli societatem perduci posse.

posse. maius igitur Carthaginensibus ex ipsa Africa, q̃ ex Sicilia exarsurum bellum, coituraq; auxilia omniũ aduersus unam urbem nomine, q̃ opibus ampliorẽ, et, quas non attulerit, uires inde sumpturũ. nec in repẽti no Poenorum metu modicum momentũ uictoriæ fore, q tanta audacia hostium pulsi trepidaturi sint. Accessura & uillarum incendia, castellorum urbiumq; contumaciũ direptionẽ, tum ipsius Carthaginis obsidionem. quibus omnibus non sibi tantum in alios, sed & alijs in se sentirent patere bella. his non solũ Poenos uinci, sed & Siciliam liberari posse. nec. n. moraturos in eius obsidione hostes, cũ sua urgeantur. nusq̃ igitur alibi facilius bellũ, sed nec prædam uberiorẽ inueniri posse. nã capta Carthagine omnem Africã Siciliamq; præmiũ uictorum fore. gloriã certe tam honestæ militiæ tantã in omne æuũ futurã, ut terminari nullo tempore obliuione possit. Vt dicatur eos solos mortaliũ esse, qui bella, quæ domi ferre non poterãt, ad hostes transtulerint, ultroq; uictores insecuti sint, & obsessores urbis suæ obsederint. oĩbus igitur forti ac læto animo bellũ ineundũ, quo nullũ aliud possit aut præmiũ uictoribus uberius, aut uictis monimentum illustrius dari. his quidem adhortationibus animi militum erigebantur. sed terrebat eos portenti religio, quod nauigantibus eis sol defecerat. cuius rei rationem nõ minore cura rex, q̃ belli reddebat, affirmans si prius, quàm proficiscerentur, factum esset, crediturũ aduersum profecturos prodigium esset, nunc, quia egressis acciderit, illis, ad quos eatur, portendere. Porro defectus naturalium syderũ semp̃ præsentem rerũ statũ mutare, certũq; eẽ,

florentibus Carthaginensium opibus, aduersisq; rebus suis commutationem significari. Sic cõsolatis militibus, uniuersas naues consentiente exercitu incendi iubet, ut omnes scirent auxilio fugæ adempto, aut uincendum, aut moriendum esse. Deinde cum omnia, quæcunq; ingrederentur, prosternerent, uillas castellaq; incenderent. obuius his fuit cum XXX. milibus Pœnorũ Hanno dux, & prælio commisso duo de Siculis, tria milia de Pœnis cum ipso duce cecidere. Hac uictoria & Siculorum animi eriguntur, & Pœnorum franguntur. Agathocles uictis hostibus urbes castellaq; expugnat, prædas ingentes agit, hostium multa milia trucidat. castra deinde in quintum lapidem à Carthagine statuit, ut damna carissimarum rerum, uastitatemq; agrorum, incendia uillarum de muris ipsius urbis specularentur. Interea ingens tota Africa deleti Pœnorũ exercitus fama, occupatarumq; urbium, diuulgatur. Stupor itaq; omnes & admiratio incessit, unde tanto imperio tam subitum bellum, præsertim ab hoste iam uicto. admiratio deinde paulatim in contemptum Pœnorũ uertitur. nec multopost non Africæ tantum, uerum etiã tributariæ urbes nobilissimæ nouitatem secutæ ad Agathoclem defecere, frumentoq; & stipendio uictorẽ instruxere. His Pœnorum malis etiam deletus in Sicilia cum imperatore exercitus, uelut quidam ærumnarũ cumulus, accessit. nam post profectionem à Sicilia Agathoclis in obsidione Syracusarum Pœni segniores redditi, ab Antandro fratre regis Agathoclis occidione cæsi nunciabantur. Itaq; cum domi forisq; eadem fortuna Carthaginensium esset, iã non tributariæ tantum

ab his

ab his urbes, uerum etiam socij reges deficiebant, amicitiarum iura non fide, sed successu ponderantes. Erat inter cæteros rex Cyrenarum Opheltas, qui spe improba regnum totius Africæ amplexus societatem cũ Agathocle per legatos iunxerat, pactus'q; cum eo fuerat, ut Siciliæ illi, sibi Africæ imperium, uictis Carthaginensibus, cederet. Itaq; cum ad belli societatem cum ingenti exercitu ipse uenisset, Agathocles blando alloquio & humili adulatione cum sæpius simul cœnassent, adoptatus'q; filius eius ab Ophelta esset, incautum eum interficit, occupato'q; exercitu eius iterato Carthaginenses omnibus uiribus bellum cientes, magno utriusque exercitus sanguine, graui prælio superat. Hoc certaminis discrimine, tanta desperatio illata Pœnis est, ut nisi in exercitu Agathoclis orta seditio esset, transiturus ad eum Bomilchar dux Pœnorum cum exercitu fuerit. ob quam noxam in medio foro à Pœnis patibulo suffixus est, ut idem locus monumentum suppliciorum eius esset, qui ornamentum ante fuerat honorũ. Sed Bomilchar magno animo crudelitatem ciuium tulit, adeo ut de summa cruce, ueluti de tribunali, in Pœnorum scelera concionaretur, obiectans illis nunc Hannonem falsa affectati regni inuidia circumuentum, nũc Gisgonis innocentis exilium, nunc in Hamilcharem patruum suum tacita suffragia, quod Agathoclem socium illis facere, quàm hostem maluerit. Hæc cum in maxima populi concione uociferatus esset, expirauit. Interea Agathocles profligatis in Africa rebus tradito Archagatho filio exercitu in Siciliã recurrit. nihil actum in Africa existimans, si amplius Syracusæ obsiderẽtur.

nam post occisum Hamilcharem Gisgonis filium nouus eo à Pœnis missus exercitus fuerat. Statim igitur primo aduentu eius oẽs Siciliæ urbes auditis rebus, quas in Africa gesserat, certatim se ei tradunt, atq; ita pulsis è Sicilia Pœnis, totius insulæ imperium occupauit, in Africam deinde reuersus seditione militum excipitur. nam stipendiorum solutio in aduentum patris dilata à filio fuerat. Igitur ad concionem uocatos blandis uerbis permulsit, stipendia illis non à se flagitanda esse, sed ab hoste quærenda, communem uictoriam, communem prædam futuram. paululum modo annitterentur, dum belli reliquiæ peraguntur, cum sciant Carthaginem captam spes omnium expleturam. Sedato militari tumultu interiectis diebus ad castra hostium exercitum ducit. Ibi inconsultius prælium committendo maiorem partem exercitus perdidit. Cum itaque in castra fugisset, uersamq; in se inuidiam temere commissi belli uideret, pristinamq; offensam non depensi stipẽdij metueret, concubia nocte solus à castris cum Archagatho filio profugit, quod ubi milites cognouere, haud secus, quàm si ab hoste capti essent, trepidauerebis se à rege suo in medijs hostibus relictos esse proclamantes. salutemq; suam desertam ab eo esse, quorũ ne sepultura quidem relinquenda fuerat. Cum perse qui regem uellent, à Numidis excepti in castra reuertuntur, comprehenso tamen reductoq; Archagatho, qui à patre, noctis errore, discesserat. Agathocles autem nauibus, quibus fuerat à Sicilia regressus, cum custodibus earundem Syracusas defertur. Exemplum flagitij singulare, rex exercitus sui desertor, filiorumq;

pater proditor. Interim in Africa post fugam regis milites pactione cum hostibus facta interfectis Agathoclis filijs Carthaginensibus se tradidere. Archagathus, cum occideretur ab Arcesilao amico antea patris, rogauit eum, quidnam liberis eius facturum Agathoclē putet, per quem ipse liberis careat. tunc respondit satis habere se, quod superstites eos esse Agathoclis liberis sciat. Post hæc pœni, ad persequendas belli reliquias, duces in Siciliam miserunt, cum quibus Agathocles pacem æquis conditionibus fecit.

LIBER VIGESIMVS TERTIVS.

A Gathocles rex Siciliæ pacificatus cum Carthaginensibus partem ciuitatum à se fiducia uirium dissidentium armis subegit. Deinde, quasi angustis insulæ terminis clauderetur, cuius imperij partem primis incrementis ne sperauerat quidem, in Italiam transcendit, exemplum Dionysij secutus, qui multas ciuitates Italiæ subegerat. Primi igitur hostes illi Brutij fuere, quia & fortissimi & opulentissimi uidebantur, simul & ad iniurias uicinorum prompti. nam multas ciuitates græci nominis Italia expulerant. authores quoque suos Lucanos bello uicerant, & pacem cum his æquis legibus fecerant. tanta feritas animorum erat, ut nec origini suæ parcerent. nanque Lucani ijsdem legibus liberos suos, quibus & Spartani, instituere soliti erant. quippe ab initio pubertatis in syluis

inter pastores alebantur sine ministerio seruili, sine ueste, quam induerent, uel cui incubarent, ut à primis annis duritiæ parsimoniæq;, sine ullo usu urbis, assuescerent. cibus his præda uenatica, potus mellis aut lactis aut fontium liquor erat. sic ad labores bellicos indurabantur. Horum igitur ex numero quinquaginta primo ex agris finitimorum prædari soliti, confluente deinde multitudine, sollicitati præda cum plures facti essent, infestas regiones reddebant. Itaq; fatigatus querelis sociorum Dionysius Siciliæ tyrannus sexcentos Afros ad compescendos eos miserat, quorum castellum proditum sibi per Brutiam mulierem expugnarunt, ibiq; ciuitatem, concurrentibus ad opinionem nouæ urbis pastoribus, statuerunt, Brutiosq; se ex nomine mulieris uocauerunt. Primum illis cum Lucanis originis suæ authoribus bellũ fuit. qua uictoria erecti cum pacem æquo iure fecissent, cæteros finitimos armis subegerunt, tantasq; opes breui consecuti sunt, ut perniciosi etiam regibus haberentur. Denique Alexander rex Epiri, cum in auxilium græcarum ciuitatum cum magno exercitu in Italiam uenisset, cum omnibus copijs ab his deletus est. quare feritas eorum successu felicitatis incensa diu terribilis finitimis fuit. Ad postremum imploratus Agathocles spe ampliandi regni à Sicilia in Italiam traiecit. Principio aduentus opinionis eius concussi legatos ad eum societatem amicitiamq; petentes miserunt. quos Agathocles ad cœnam inuitatos, ne exercitum traijci uiderent, & in posterum statuta his die, conscensis nauibus frustratus est. Sed fraudis haud lætus euentus fuit. siquidem reuerti eum in Siciliam

interiectis paucis diebus uis morbi coëgit. quo toto cor
pore comprehensus per omnes neruos articulosq; hu=
more pestifero crassante, uelut intestino singulorum mẽ
brorum bello, impugnabatur. ex qua desperatione bel
lum inter filium nepotemq; eius regnum iam quasi
mortui uindicantes oritur, occisoque filio regnum nepos
occupauit. Igitur Agathocles, cum morbi cura & æ-
gritudo grauiores essent, & inter se alterum alterius
malo cresceret, desperatis rebus uxorẽ suam Theoge
nam, genitosq; ex ea duos paruulos cum omni pecunia
& familia, regaliq; instrumento, quo præter illum ne=
mo regum ditior fuit, nauibus impositos Aegyptum,
unde uxorem acceperat, remittit, timens ne prædonem
regni sui hostem paterentur. quãquam uxor diu, ne ab
ægro diuelleretur, deprecata est, ne discessus suus adiũ
gi nepotis parricidio posset, & tam cruente hæc dese=
ruisse uirum, quàm ille impugnasset auum, uideretur.
nubendo se non prosperæ tantum, sed omnis fortunæ
inisse societatem, nec inuitam piculo spiritus sui emptu
ram, ut extremos uiri spiritus exciperet. & exequia-
rum officium, in quod profecta se nemo sit successurus,
obsequio debitæ pietatis impleret. Discedentes paruu=
li flebili ululatu amplexi patrem tenebant. Ex alte-
ra parte uxor maritum non amplius uisura osculis fa
tigabat. Nec minus senis lachrymæ miserabiles erãt.
Flebant ij morientem patrem, ille exules liberos. Hi
discessũ suo solitudinem patris senis ægri, ille in spem
regni susceptos relinqui in egestate lugebat. Inter hæc
regia omnis assistentium fletibus tam crudelis dissidij
impleta resonabat. Tandem lachrymis finem necessi-

tas profectionis imposuit, & mors regis proficiscentes filios insecuta est. Dũ hæc aguntur Carthaginenses, cognitis, quæ in Sicilia agebantur, occasionem totius insulæ occupandæ datam sibi existimantes, magnis uiribus eo traijciunt, multasq; ciuitates subigunt. Eo tempore & Pyrrhus aduersus Romanos bellum gerebat. qui imploratus à Siculis in auxilium (sicuti dictum est) cum Syracusas uenisset, multasq; ciuitates subegisset, rex Siciliæ, sicut Epiri, appellabatur. quarum rerum felicitate lætatus Heleno filio Siciliæ, uelut auitum, nam susceptus ex filia Agathoclis regis erat, Alexandro autẽ Italiæ regnum destinat. Post hæc multa secũda prælia cum Carthaginensibus facit. Interiecto deinde tempore legati ab Italicis socijs uenere, nunciantes Romanis resisti non posse, deditionemq; futuram, nisi subueniat. Anxius tam ambiguo periculo, incertusq; quid ageret, uel quibus primum subueniret, in utrunq; pronus consultabat. quippe, instantibus hinc Carthaginẽsibus, inde Romanis, piculosum uidebatur exercitum in Italiam non traijcere, periculosius à Sicilia deducere, ne aut illi non lata ope, aut ij deserti amitterentur. In hoc æstu periculorum tutissimus portus consiliorũ uisus est, omnibus uiribus decertare in Sicilia, & profligatis Carthaginensibus uictorem exercitum transponere in Italiam. Itaque conserto prælio, cum superior fuisset, quoniam tamen à Sicilia abiret, & pro uicto fugere uisus est, ac propterea socij ab eo defecerunt. & imperium Siciliæ tam cito amisit, quàm facile quæsierat. Sed nec in Italia meliore felicitate usus in Epirum reuertitur. Admirabilis utriusq; rei casus in exemplum

fuit. nam sicut ante secunda fortuna rebus supra uota fluentibus Italiæ Siciliæq; imperium, & tot de Romanis uictorias astruxerat, ita nunc aduersa uelut in ostentationem fragilitatis humanæ destruens, quæ cumulauerat, Sicilensi ruinæ naufragium maris, & fœdam aduersus Romanos pugnam, turpemq; ab Italia discessum adiecit. Post profectionẽ à Sicilia Pyrrhi magistratus Hiero creatur, cuius tanta moderatio fuit, ut consentiente omnium ciuitatum fauore dux aduersus Carthaginenses primum, mox rex crearetur. Huius futuræ maiestatis ipsa infantilis educatio quasi prænuncia fuit. quippe genitus erat patre Hyerodito nobili uiro, cuius origo à Gelo antiquo Siciliæ tyranno manabat. sed maternum illi genus sordidum, atque adeo pudendum fuit. nam ex ancilla natus, ac propterea à patre, uelut dehonestamentum generis, expositus fuerat. sed paruulum & humanæ opis indigentem apes, congesto circa iacentem melle, multis diebus aluere. ob quam rem responso aruspicum admonitus pater, qui regnum infanti portendi canebant, paruulum recollegit, omnique studio ad spem maiestatis, quæ promittebatur, instituit. Eidem in ludo inter coæquales discenti lupus tabulam in turba puerorum repente conspectus eripuit. Adolescenti quoque prima bella ineunti aquila in clypeo, noctua in hasta consedit. quod ostentum & in consilio cautum, & manu promptum, regemq; futurum significabat. Deniq; aduersus prouocatores sæpe pugnauit, semper'que uictoriam reportauit. A Pyrrho rege multis militaribus donis donatus est. Pulchritudo ei corporis insignis,

uires quoq; in homine admirabiles fuere. In alloquio blandus, in negotio iustus, in i pio moderatus erat, prorsus, ut nihil ei regum deesse uideretur, præter regnū.

LIBER VIGESIMVS QVARTVS.

Vm hæc in Sicilia geruntur, interim in Græcia dissidentibus inter se bello Ptolemæo Cerauno, & Antiocho, & Antigono regibus, omnes fermè Græciæ ciuitates ducibus Spartanis, uelut occasione data, ad spem libertatis erectæ, missis inuicem legatis, per quos in societatis fœdera alligarentur, in bellum prorumpunt. Et ne cum Antigono, sub cuius regno erant, bellū cœpisse uiderētur, socios eius Aetolos Aggrediuntur, causas belli prætendentes, quod cōsensu Græciæ sacratū Apollini Cyrrhæū cāpum per uim occupassent. Huic bello ducem eligunt Aran, q adunato exercitu urbes sataq; depopulatur, quæ auferri non poterant, incendit. Quod cum è montibus conspicati Aetolorum pastores essent, congregati admodum quingenti sparsos hostes, ignorantes quanta manus esset, quoniam conspectum illis metus, & incendiorum fumus abstulerat, consectantur, trucidatisq; admodum nouem milibus, prædones in fugam uerterunt. Reparantibus deinde Spartanis bellum, auxiliū multæ ciuitates negauerunt, existimantes dominationem eos Græciæ, nō libertatē quærere. Interea inter reges bellū finitur. Nā Ptolemæus pulso Antigono, cū regnum totius Macedoniæ occupasset, pacem cum Antiocho facit, affi=

cit, affinitatemq; cum Pyrrho, data ei in matrimoniũ filia sua, iungit. Exinde externo metu deposito, impiũ & facinorosum animum ad domestica scelera conuertit, insidiasq; Arsinoe sororis suæ instruit, quibus & filios eius uita, & ipsam Cassandriæ urbis possessione priuaret. Primus ei dolus fuit simulato amore sororis matrimonium petere. aliter enim ad sororis filios, quorum regnum occupauerat, quàm concordiæ fraude peruenire non poterat. Sed nota scelerata Ptolemæi uoluntas sorori erat. itaq; non credenti mandat uelle se cum filiis eius regni consortium iungere, cum quibus non ideo se armis contendisse, quoniam eriperet his regnum, sed qđ id facere sui muneris uellet. In hæc mitteret arbitrum iurisiurandi, quo præsente apud deos patrios, quibus uellet obsecrationibus, se obligaret. Incerta Arsinoe quid ageret, si mitteret, decipi periurio, si non mitteret, prouocare rabiem fraternæ crudelitatis timebat. Itaq; plus liberis, q̃ sibi timens, quos matrimonio suo protecturam se arbitrabatur, mittit ex amicis suis Dionem. quo perducto in sanctissimum Iouis templum ueterrimæ Macedonum religionis, Ptolemæus, sumptis in manus altaribus, contingens ipsa simulacra & puluinaria deorum inauditis ultimisq; execrationibus adiurat, se syncera fide matrimonium sororis petere, nuncupaturumq; se eam reginam, neq; in contumeliam eius se aliam uxorẽ, alios ue, quàm filios eius, liberos habiturum. Arsinoe postq̃ & spe impleta est, & metu soluta, ipsa cum fratre colloquitur, cuius uultus & blandientes oculi cum fidem non minorem, q̃ iusiurãdum promitterent, reclamante Lysimacho filio

fraudem subesse in matrimonium fratris concedit. Nu ptiæ magno apparatu lætitiaq; omnium celebrantur. ad concionem quoq; uocato exercitu capiti sororis diadema imponit, reginamq; eam appellat. quo nomine in lætitiam effusa Arsinoe, quia quod morte Lysimachi prioris mariti amiserat, recepisset, ultro uirũ in urbẽ Cassandriam inuitat, cuius urbis cupiditate fraus struebatur. Prægressa igitur uirũ, diẽ festum urbi in ad uentum eius indicit. domos, templa, cæteraq; oĩa exornari iubet, aras ubiq;, hostiasq; disponi, filios quoq; suos Lysimachum. XVI. annos natũ, Philippũ triennio minorem, utrunq; forma insignem coronatos occurrere iubet. quos Ptolemæus ad cælandam fraudem cupide & ultra modũ ueræ affectionis amplexus osculis diu fatigat. ubi ad portam uẽtum est, occupari arcem iubet, pueros interfici. qui cum ad matrem confugissent, in gremio eius inter ipsa oscula trucidantur. Proclamante Arsinoe, quod tantum nefas aut nubendo, aut post nuptias contraxisset, pro filijs se sæpe percussoribus obtulit frequenter corpore suo puerorum corpora amplexata protexit, uulneraq; excipere, quæ liberis intendebantur, uoluit. Ad postremum spoliata etiam funeribus filiorum, scissa ueste, & crinibus sparsis cum duobus seruulis ex urbe protracta Samothraciam in exilium abijt, eo miserior, qđ mori cum filijs ei nõ licuit. Sed nec Ptolemæo inulta scelera fuerũt. quippe dijs immortalibus tot periuria, & tam cruẽta parricidia uindicantibus, breui post à Gallis spoliatus regno, captusq; uitam ferro (ut meruerat) amisit. Nanq; Galli abundanti multitudine cum eos non caperent terræ, quæ genuerant,

nuerant, trecenta milia hominum ad sedes nouas quærendas, uelut peregrinatum, miserunt. Ex ijs portio In Italia consedit, quæ & urbem Romam captam incendit, & portio Illyricos sinus ducibus auibus, (nam augurãdi studio Galli præter cæteros callẽt) p strages barbarorũ penetrauit, & in Pannonia consedit. Gẽs aspera, audax, bellicosa, quæ prima post Herculem, cui ea res uirtutis admirationem et immortalitatis fidem dedit, alpiũ inuicta iuga & frigore intractabilia loca transcẽdit. Ibi domitis Pannonijs per multos annos cum finitimis uaria bella gesserunt. Hortante deinde successu, diuisis agminibus, alij Græciam, alij Macedoniam, omnia ferro proterentes, petiuere. tantusq; terror gallici nõis erat, ut etiã reges non lacessiti ultro pacem ingenti pecunia mercarentur. solus rex Macedoniæ Ptolemæus aduẽtũ Gallorũ itrepidus audiuit. Isq; cũ paucis & incõpositis, quasi bella nõ difficilius, q̃ scelera patrarẽtur, parricidiorũ furijs agitatus occurrit. Dardanorũ quoq; legatiõnẽ uiginti milia armatorũ in auxiliũ offerentẽ spreuit, addita insup contumelia, actũ de Macedonia dicens, si cũ totũ orientẽ soli domuerint, nũc in uindictã finium Dardanis egeant. milites se habere filios eorũ, qui sub Alexandro rege stipendia toto orbe terrarũ uictores fecerint. quæ ubi Dardano regi nunciata sunt, inclytum illud Macedoniæ regnum breui immaturi iuuenis temeritate casurum dixit. Igitur Galli duce Belgio ad tentandos Macedonum animos legatos ad Ptolemæũ mittunt, offerentes pacem, si emere uelit. sed Ptolemæus inter suos belli metu pacem Gallos petere gloriatus est. nec minus ferociter se lega-

tis, q̄ inter amicos iactauit. aliter se pacem daturū negando, nisi principes suos obsides dederint, & arma tradiderint, non enim fidem se nisi inermibus habiturum. Renunciata legatione risere Galli undiq; acclamantes breui sensurum, sibi an illi consulentes pacem obtulerint. Interiectis diebus præliū conseritur. uictiq; Macedones cæduntur. Ptolemæus multis uulneribus saucius capitur, caput eius amputatum, & lancea fixū tota acie ad terrorē hostiū circunfertur. paucos ex Macedonibus fuga seruauit, cæteri aut capti aut occisi. Hæc cum nunciata per omnem Macedoniam essent, portæ urbium clauduntur. luctu omnia replentur, nunc orbitatem amissorum filiorum dolebant, nunc excidia urbium metuebant, nunc Alexādri Philippiq; regum suorum nomina, sicuti numina, in auxilium uocabāt, sub illis se non solum tutos, uerum etiam uictores orbis terrarum extitisse. ut tuerentur patriam suam, quam gloria rerum gestarum cælo proximam reddidissent, ut opem afflictis ferrent, quos furor & temeritas Ptolemæi regis perdiderat, orabant. Desperantibus omnibus non uotis agendū Sosthenes unus de Macedonum principibus ratus, contracta iuuentute, & Gallos exultantes uictoria compescuit, & Macedoniam ab hostili depopulatione defendit. ob quæ uirtutis beneficia multis nobilibus regnum Macedoniæ affectantibus ignobilis ipse præponitur. & cum rex ab exercitu appellatus esset, ipse non in regis, sed in ducis nomen iurare milites coegit. Interea Brennus, quo duce portio Gallorum in Græciam se effuderat, audita uictoria suorum, qui Belgio duce Macedonas uicerant, indignatus parta ui-

ctoria

ctoria opimam prædam, & orientis spolijs onustam tam facile relictam esse, ipse adunatis .C.L. milibus peditum, & .XV. milibus equitum in Macedoniam irrumpit. Cum agros uillasq; popularentur, occurrit ei cum instructo exercitu Macedonum Sosthenes, sed pauci à pluribus, trepidi à ualentibus facile uincuntur. Itaq; cum uicti se Macedones intra muros urbium condidissent, uictor Brennus nemine prohibente totius Macedoniæ agros deprædatur. Inde quasi terrena spolia sorderent, animum ad deorum immortalium templa conuertit, scurriliter iocatus, locupletes deos largiri hominibus oportere. Statim igitur Delphos iter uertit, prædam religioni, aurum offensæ deorum immortalium præferens, quos nullis opibus egere, ut q̃ eas largiri hominibus soleant, affirmabat. Templum autem Apollinis Delphis positum est in monte Parnasso in rupe undiq; impendente, ibi ciuitatem frequentia hominum fecit. qui admiratiõe maiestatis undiq; concurrentes in eo saxo consedere. atq; ita templum ciuitatemq; non muri, sed præcipitia, nec manu facta, sed naturalia præsidia defendunt, prorsus ut incertum sit, utrũ munimentum loci, an maiestas dei plus hic admirationis habeat. Media saxi rupes in formam theatri recessit. quam ob rem & hominũ clamor, & (si quando accidit) tubarum sonus, personantibus & respondentibus inter se rupibus, multiplex audiri, ampliorq;, q̃ editur, resonare solet. quæ res maiorem maiestatis terrorem ignaris rei & admirationem stupentibus plerunq; affert. In hoc rupis anfractu media fermè montis altitudine planities exigua est, atq; in ea pro-

fundum terræ foramen, quod in oracula patet. ex quo frigidus spiritus ui quadam uelut uēto in sublime expulsus mentes uatum in uecordiam uertit, impletasq; eo responsa consulentibus dare cogit. Multa igitur ibi & opulenta regum, populorumq; uisuntur munera, quæ magnificentia sui reddentium uota gratam uoluntatem, & deorum responsa manifestant. Igitur Brennus cum in conspectu haberet templum, diu deliberauit, an confestim rem aggrederetur, an uero fessis uia militibus noctis spacium ad resumendas uires daret, Eurydanus & Thessalonus duces, qui se ad prædæ societatem iunxerant amputari moras iubent, dum imparati hostes, & recens aduentus sui terrori esset. inter iecta nocte & animos hostibus forsitan, et auxilia accessura, & uias, quæ tunc pateant, obstructum iri. Sed Gallorum uulgus ex lōga inopia ubi primum uino cæterisq; commeatibus referta rura inuenit, non minus abundantia quàm uictoria lætum per agros se sparserat, desertisq; signis ad occupanda omnia pro uictoribus uagabantur. quæ res dilationem Delphis dedit. prima nanq; opinione aduentus Gallorum prohibiti agrestes oraculis fuerant messes uinaq; uillis efferre. cuius rei salutare præceptum non prius intellectum est, q̃ uini cæterarumq; copiarum abundantia, uelut mora Gallis obiecta, auxilia finitimorum conuenere. Prius itaq; urbem suam Delphi aucti uiribus sociorum permuniuere, quàm Galli uino uelut prædæ incubantes ad signa reuocarentur. Habebat Brēnus lecta ex omni exercitu peditum LXV. milia Delphorum, sociorumq; non nisi. XV. milia militum erant, quorum contemptu

Brennus

Brennus ad acuendos suorum animos prædæ ubertatem omnibus ostendebat, statuasq; cum quadrigis, quarum ingens copia procul uisebatur solido auro fusas esse, plusq; in pondere quàm in specie habere prædæ affirmabat. Hac asseueratione incitati Galli simul & hesterno mero saucij sine respectu periculorum in bellum ruebant. Contra Delphi plus in deo, quàm in uiribus spem ponentes cum contemptu hostiũ resistebant, scandentesq; Gallos è summo montis uertice partim saxis, partim armis obruebant. In hoc partium certamine repente uniuersorũ templorũ antistites, simul & ipsi uates, sparsis crinibus, cum insignibus atque infulis pauidi, uecordesq; in primam pugnantium aciem procurrunt, aduenisse deum clamant, eumq; se uidisse desilientem in templũ per culminis aperta fastigia. dum omnes opem dei suppliciter implorant, iuuenem supra humanum modum insignis pulchritudinis, comitesq; ei duas armatas uirgines ex propinquis duabus Dianæ Mineruæq; ædibus occurrisse, nec oculis tantum hæc se perspexisse, sed audisse etiam stridorem arcus, ac strepitum armorum. Proinde, ne cunctarentur dijs antesignanis hostem cædere, & uictoriæ deorum socios se adiungere, summis obsecrationibus monebant. Quibus uocibus incensi omnes certatim in prælium prosiliunt. præsentiam dei & ipsi statim sensere. nam et terræmotu portio montis abrupta Gallorum strauit exercitum, & confertissimi cunei non sine uulneribus hostium dissipati ruebant. Insecuta deinde tempestas est, quæ grandine et frigore saucios ex uulneribus absumpsit. Dux ipse Brennus cum dolorem uulnerũ fer=

re non posset, pugione uitam finiuit. alter ex ducibus, punitis belli authoribus, cum decem milibus sauciorum citato agmine Græcia excedit. Sed nec fortuna fugentibus commodior fuit. siquidem pauidis nulla sub tectis acta nox, nullus sine labore & periculo dies, assidui imbres, & gelu nix concreta, & fames, & lassitudo. et super hæc maximum peruigilij malum miseras infelicis belli reliquias obterebant. Gentes quoq;, nationes'q;, per quas iter habebant, gaudentes, uelut prædã, palantes sectabantur. Quo pacto euenit, ut nemo ex tanto exercitu, qui pauloante fiducia uiriũ etiam deos contemnebat, uel ad memoriã tantæ cladis, superesset.

LIBER VIGESIMVSQVINTVS.

INter duos reges Antigonum & Antiochum statuta pace, cum in Macedoniã Antigonus reuerteretur, nouus eidem repente hostis exortus est. quippe Galli, qui à Brẽno duce, cum in Græciam proficisceretur, ad terminos gentis tuendos relicti fuerant, ne soli desides uiderentur, peditum XV. milia, equitum tria milia armauerant, fugatis'q; Getarum, Triballorumq; copijs Macedoniæ imminentes legatos ad regem miserunt, qui pacem ei uenalem offerrent, simul & regis castra specularentur. quos Antigonus pro regali munificẽtia ingenti apparatu epularum ad cœnam inuitauit. Sed Galli expositum grande auri, argentiq; pondus admirantes, atque prædæ ubertate sollicitati infestiores, quàm uenerant, reuertuntur. quibus &

bus & elephantos ad terrorem, uelut inusitatas barbaris formas, rex ostendi iusserat, & naues onustas copijs demonstrari, ignarus, quod quibus ostentatione uirium metum se inijcere existimabat, eorum animos ut ad opimam prædam sollicitabat. Itaq; legati ad suos reuersi, omnia in maius extollentes opes pariter, & negligentiam regis ostendunt, referta auro & argento castra esse, & neque uallo fossa'ue munita, & quasi satis munimenti in diuitijs haberēt, ita eos omnia officia militaria intermisisse, prorsus quasi ferri auxilio non indigerent, quoniam abundarent auro. Hac relatione auidæ gentis animi satis ad prædam incitabantur. accedebat tamen & exemplum Belgij, qui non magno ante tempore Macedonum exercitum cum rege trucidauerat. Itaque consentientibus omnibus nocte castra regis aggrediuntur. qui præsentiens tantam tempestatem signum pridie dederat, ut omnibus rebus ablatis in proximam syluam taciti se occultarent. Neque aliter seruata castra, quàm quod deserta sunt. siquidem Galli, ubi omnia uacantia, nec sine defensoribus modo, uerū etiam sine custodibus uident, non fugam hostium, sed dolum arbitrantes, diu intrare portas timuerunt. Ad postremum integris & intactis munimentis scrutantes potius, quàm diripientes castra occupauerunt. tunc ablatis, quæ inuenerant, ad litus conuertuntur. Ibi dum naues incautius diripiunt, à remigibus & ab exercitus parte, quæ eò cum coniugibus & liberis confugerant, nihil tale metuentes trucidantur, tantaq; cædes Gallorum fuit, ut Antigono pacem huius uictoriæ opinio nō à Gallis tantum, uerum etiam à finitimorum

feritate præstiterit, q̃q̃ Gallorum ea tempestate tantæ fœcunditatis iuuentus fuit, ut Asiam omnem uelut exa mine aliquo implerent. Deniq; neq; reges orientis sine mercenario Gallorum exercitu ulla bella gesserint, neque pulsi regno ad alios, q̃ ad Gallos confugerint. Tantus terror gallici nominis siue armorum inuicta felicitas erat, ut aliter neq; maiestatem suam tutari, neque amissam recuperare se posse sine gallica uirtute arbitrarentur. Itaq; in auxilium à Bithyniæ rege inuocati, regnum cum eo parta uictoria diuiserunt, eamq; regionem Gallogræciam cognominauerunt. Dũ hæc in Asia geruntur, interim in Sicilia Pyrrhus à Pœnis nauali prælio uictus ab Antigono Macedoniæ rege supplementum militum per legatos petit, denuncians, ni mittat, redire se in regnum necesse habere, incrementa rerum, quæ de Romanis uoluerit, de ipso quæsiturum. quod ubi negatum legati retulerunt, dissimulatis causis repentinam fingit profectionem, socios interim parare bellum iubet, & arcis tarentinæ custodiam Heleno filio & amico Miloni tradit. Reuersus in Epirum statim fines Macedoniæ inuadit, cui Antigonus cum exercitu occurrit, uictusq; prælio in fugam uertitur. Atque ita Pyrrhus Macedoniã in deditionem accepit, et uelut dãna amissæ Siciliæ Italiæq; acquisito Macedoniæ regno pensasset, relictũ Tarenti filiũ & amicũ arcessit. Antigonus autem cum paucis equitibus fugæ comitibus repente fortunæ ornamentis destitutus, amissi regni speculaturus euentũ, Thessalonicam se recepit, ut inde cum conducta Gallorum mercenaria manu bellum repararet. Rursus à Ptolemæo Pyrrhi filio funditur. uictus cũ

septem comitibus fugiens non recuperandi regni spē, sed salutis latebras ac fugæ solitudines captat. Igitur Pyrrhus in tanto fastigio regni collocatus, iam nec eo, ad quod uotis perueniendum fuerat, contentus. Græciæ Asiæq; regna meditatur, nec illi maior ex imperio, q̄ ex bello uoluptas erat, nec quisq̄ Pyrrhum, qua tulisset impetum, sustinere ualuit. Sed ut ad deuincenda regna inuictus habebatur, ita deuictis acquisitisq; celeriter carebat, tanto melius studebat acquirere imperia, quàm retinere. Itaque cum copias Cheronneso transposuisset, legationibus Atheniensium & Achiuorū Messeniorumq; excipitur. Sed & Græcia omnis admiratione nominis eius simul, & rerum aduersus Romanos Pœnosq; gestarum attoniti aduentum eius expectabat. Primum illi bellum aduersus Spartanos fuit, ubi maiore mulierum, quàm uirorum uirtute exceptus, & Ptolemæum filium, & exercitus partem robustissimam amisit. quippe oppugnanti urbem ad tutelam patriæ tanta multitudo fœminarum concurrit, ut non fortius uictus, quàm uerecundius recederet. Porrò Ptolemæū filiū eius adeo strenuū & manu fortem fuisse tradunt, ut urbē Corcyram solus cum sexaginta ceperit. idem prælio nauali triremem ex scapha cum septem insiluerit, captamq; tenuerit. In oppugnatione quoque Spartanorum usque in mediam urbem cum equo procurrerit, ibiq; cōcursu multitudinis interfectus sit. cuius corpus ut relatū patri est dixisse Pyrrhū ferūt, aliquanto tardius eū, q̄ timuerit ipse, uel temeritas eius meruerit, occisū eē. Repulsus à Spartanis Pyrrhus Argos petit. Ibi dū Antigonum in urbe

clausum expugnare conatur, inter confertissimos uiolentissime dimicans, saxo de muris iactato occiditur. caput eius Antigono refertur. qui uictoria mitius usus filium eius Helenum cum Epirotis sibi deditum in regnum remisit. eiq; insepulti patris ossa in patriam referenda tradidit. Satis constans inter omnes authores fama est, nullum nec eius, nec superioris ætatis regem comparandum Pyrrho fuisse, raroq; non inter reges tantum, uerum etiam inter illustres uiros aut uitæ sanctioris, aut iustitiæ probatioris uisum fuisse. Scientiam certe rei militaris in illo uiro tantam fuisse, ut cum Lysimacho, Demetrio, Antigono tantis regibus bella gesserit, inuictus semper extiterit. Illyriorum quoque, Siculorum, Romanorumq;, & Carthaginensium bellis nunquam inferior, plerunque etiam uictor extiterit. qui patriam certe suam angustam ignobilemq;, fama rerum gestarum, & claritate nominis sui toto orbe illustrem reddiderit.

LIBER VIGESIMVS SEXTVS.

p Ost mortem Pyrrhi, nō in Macedonia tantum, uerum etiam in Asia Græciaq;, magni bellorum motus fuere. Nā & Peloponnesij per proditionem Antigono traditi, & uariante hominum partim dolore, partim gaudio, prout singulæ ciuitates aut auxilium de Pyrrho sperauerant, aut metus sustinuerant, ita aut cum Antigono societatem iungebant, aut mutuis inter se odijs in bellum ruebant. Inter hūc

turbatarum prouinciarum motum Epirotarum quoq; urbs ab Aristotimo principe per tyrannidem occupatur. à quo cum multi ex primoribus qui forte ad eum confugerant, occisi, plures in exilium acti essent, Aetolis per legatos postulantibus, ut coniuges liberosq; exulũ redderet, primo negauit, postea quasi poeniteret, proficiscendi ad suos omnibus matronis potestatem dedit, diemq; profectionis statuit. Illæ, quasi in perpetuum cũ uiris exulaturæ, præciosissima quæq; auferẽtes, cum ad portam, quasi uno agmine profecturæ, conuenissent, omnibus rebus expoliatæ in carcere recluduntur, occisis prius in gremijs matrũ paruulis liberis, uirginibusq; ad stuprum direptis. Hanc tam sæuam dominationem stupentibus omnibus, princeps eorum Hellanico senex & liberis orbus, ut qui nec ætatis, nec pignorum respectu timeret, conuocatos domũ fidissimos amicorum in uindictam patriæ hortatur. cũctantibus priuato periculo publicum finire, & deliberandi spacium postulantibus, accersitis seruis iubet obserari fores, tyrannoq; nunciari. mitteret, qui coniuratos apud se comprehenderet, obiectans singulis se, qui liberandæ patriæ author esse non possit, desertæ ultorem futurum. Tũc illi ancipiti periculo circumuenti honestiorem uiam eligentes coniurant in tyranni necem, atque ita Aristotimus quinto, posteaquam tyrannidem occupauerat, mense opprimitur. Interea Antigonus, cum multiplici bello & Ptolemæi regis, & Spartanorum premeretur, nouusq; illi hostis Gallogræciæ exercitus affluxisset, in speciem castrorum parua manu aduersus cæteros relicta, aduersus Gallos totis uiribus proficiscitur. Quibus

cognitis Galli, cum & ipsi se prælio pararent, in auspicia pugnæ hostias cædunt. quarum extis cum magna cædes interitusq; omnium prædiceretur, non in timorem sed in furorem uersi, sperantesq; deorum minas expiari cæde suorum posse, coniuges & liberos suos trucidant, auspicia belli à parricidio incipientes. tanta rabies feros animos inuaserat, ut non parcerent ætati, cui etiam hostes pepercissent, bellumq; internecinum cum liberis liberorumq; matribus gererent, pro quibus bella suscipi solent. Itaque quasi scelere uitam uictoriamq; redemissent, sicut erant cruenti ex recenti suorum cæde in prælium non meliore euentu, quàm omine proficiscuntur. siquidem pugnantes prius parricidiorum furiæ, quàm hostes circunuenere, obuersantibusq; ante oculos manibus interemptorum omnes occidione cæsi. tanta strages fuit, ut dij pariter cum hominibus consensisse in excidium parricidarum uiderentur. Post huius pugnæ euentum Ptolemæus & Spartani uictorem hostium exercitum declinantes in tutiora se recipiunt. Antigonus quoque ubi eorum discessum uidet, recenti adhuc ex priori uictoria militum ardore, bellum Atheniensibus infert. In quo cum occupatus esset, interim Alexander rex Epiri ulcisci mortem patris Pyrrhi cupiens, fines Macedoniæ depopulatur. aduersus quem cum reuersus à Græcia Antigonus esset, trãsitione militum destitutus, regnum Macedoniæ cum exercitu amittit. Huius filius Demetrius puer admodum absente patre reparato exercitu non solum amissam Macedoniam recepit, uerum etiam Epiri regno Alexandrum spoliat. tanta uel mobilitas militum, uel for-

tunæ uarietas erat, ut uicissim reges nunc exules, nunc reges uiderentur. Igitur Alexander cum exul ad Arcadas confugisset, non minore Epirotarum desiderio, quam sociorum auxilio, in regnum restituitur. Per idem tempus rex Cyrenarum Agas decedit, qui ante infirmitatem Berenicen unicam filiam ad finienda cum Ptolemæo fratre certamina filio eius desponderat. Sed post mortem regis mater uirginis Arsinoe, ut inuita se contractum matrimonium solueret, misit, qui ad nuptias uirginis regnumq; Cyrenarum Demetriũ fratrem regis Antigoni a Macedonia accersirent, qui & ipse ex filia Ptolemæi procreatus erat. Sed nec Demetrius moram fecit. Itaque cum secundante uento celeriter Cyrenas aduolasset, fiducia pulchritudinis, qua nimis placere socrui cœperat, statim a principio superbus, regiæ familiæ militibusq; impotens erat, studiumq; placendi a uirgine in matrem contulerat. quæ res suspecta primo uirgini, deinde popularibus militibusq; inuisa fuit. Itaque uersis omnium animis in Ptolemæi filium insidiæ Demetrio comparantur. cui, cũ in lectum socrus concessisset, percussores immittuntur. sed Arsinoe audita uoce filiæ ad fores stantis & præcipientis, ut matri parcerent, adulterum paulisper corpore suo protexit. quo interfecto Berenice & stuprum matris salua pietate ulta est, & in matrimonio sortiendo iudicium patris subsecuta.

LIBER VIGESIMVSSEPTIMVS.

m Ortuo Syriæ rege Antiocho, cum in locum eius filius Seleucus successisset, hortante matre Laodice, quæ inhibere debuerat, auspicia regni à parricidio cœpit. quippe Berenicen nouercam suam sororē Ptolemæi regis Aegypti cū paruulo fratre ex ea suscepto interficit. quo facinore perpetrato & infamiæ maculam subijt, & Ptolemæi bello se implicuit. Porrò Berenice cum ad se interficiendam missos didicisset Daphnæ se claudit. ubi cum obsideri eam cum paruulo filio nunciatum ciuitatibus Asiæ esset, recordatione paternæ maiorumq; eius dignitatis, casum tam indignæ fortunæ miserantes auxilia ei omnes mìsere. Frater quoque Ptolemæus periculo sororis excitus, relicto regno cum omnibus uiribus aduolat. Sed Berenice ante aduentum auxiliorum, cum ui expugnari non posset, dolo circumuenta trucidatur. Indigna res omnibus uisa. Itaque cum uniuersæ ciuitates, quæ defecerant, ingentem classem comparassent, repente exemplo crudelitatis exterritæ, simul & in ultionem eius, quā defensuri erāt, Ptolemæo se tradūt. q nisi i Aegyptū domestica seditiōe reuocatus eēt, totum regnum Seleuci occupasset. tantum uel illi odium parricidiale scelus, uel huic fauorem indigne interemptæ mors sororis attulerat. Post discessum Ptolemæi Seleucus, cum aduersus ciuitates, quæ defecerant, ingentem classem comparasset, repente, ueluti dijs ipsis parricidium uindicantibus, orta tempestate classem

naufragio

naufragio amittit, nec quicquam illi ex tanto apparatu, praeter nudum corpus, & spiritum, & paucos naufragij comites, residui fortuna fecit. misera quidem res sed optanda Seleuco fuit. siquidem ciuitates, quae odio eius ad Ptolemaeum transierant, uelut dijs arbitris satisfactum sibi esset, repentina animorum mutatione in naufragij misericordiam uersae imperio se eius restituunt. Laetus igitur malis suis, & damnis ditior redditus, uelut par uiribus, bellũ Ptolemaeo infert. Sed quasi ad ludibriũ tantum fortunae natus esset, nec propter aliud opes regni recepisset, q̃ ut amitteret, uictus praelio non multo, q̃ post naufragium, comitatior trepidus in Antiochiam confugit. Inde ad Antiochum fratrem literas fecit, quibus auxilium eius implorat, oblata ei Asia intra fines Tauri montis ĩ praemiũ latae opis. Antiochus autem, cum esset annos XIIII. natus, supra aetatem regni auidus occasionem non tam pio animo, q̃ offerebatur, arripuit, sed latronis more totum fratri eripere cupiens, puer sceleratam uirilemq; sumit audaciam. unde Hierax est cognominatus, quia non hominis, sed accipitris ritu in alienis eripiẽdis uitam sectaretur. Interea Ptolemaeus cũ audisset regem Antiochum in auxiliũ Seleuco uenire, ne cum duobus uno tẽpore dimicaret, in annos X. cum Seleuco pacem facit. sed pax ab hoste data interpellatur à fratre. qui conducto Gallorũ mercenario exercitu pro auxilio bellũ, pro fratre hostem se imploratus exibuit. In eo praelio uirtute Gallorũ uictor qdẽ Antiochus fuit, sed Galli arbitrantes Seleucum in praelio cecidisse, in ipsum Antiochũ arma uertunt, liberius depopulaturi Asiam, si omnem stirpẽ

regiam extinxissent. Quod ubi sentit Antiochus, uelut à prædonibus auro se redemit, societatemq; cum mercenarijs suis iũgit. Interea rex Bithyniæ Eumenes sparsis consumptisq; fratribus bello intestinæ discordiæ, quasi uacantem Asiæ possessionem inuasurus uictorem Antiochum Gallosq; aggreditur, nec difficile saucios adhuc ex superiore congressione integer ipse uiribus superat. ea nanque tempestate omnia bella in exitium Asiæ gerebantur, et uti quisq; fortior fuisset, Asiam, uelut prædam, occupabat. Seleucus & Antiochus fratres bellum propter Asiam gerebant. Ptolemæus rex Aegypti sub specie sororiæ ultionis Asiæ inhiabat. Hinc Bithynius Eumenes, inde Galli semper mercenaria manus Asiam depopulabantur. interea nemo defensor Asiæ inter tot prædones inueniebatur. Victo Antiocho cum Eumenes maiorem partem Asiæ occupasset, ne tunc quidem fratres perdito præmio, propter quod bellum gerebant, concordare potuerunt. sed omisso externo hoste in mutuum exitium bellum reparant. In eo Antiochus denuo uictus multorum dierum fuga fatigatus tandem ad socerum suũ Artamenem regem Cappadociæ peruehitur. à quo cum primum benigne susceptus esset, interiectis diebus cognito, quod sibi insidiæ pararentur, salutem fuga quæsiuit. Igitur cum profugo nusquam locus tutus esset ad Ptolemæum hostem, cuius fidem tutiorem, quàm fratris, existimabat, decurrit, memor uel quæ facturus fratri esset, uel quæ meruisset a fratre. Sed Ptolemæus non amicior ei dedito, q̃ hosti, factus, seruari eum arctissima custodia iubet. Hinc quoq; Antiochus opera cuiusdam meretricis adiutus,

iutus, quam familiarius cognouerat, deceptis custodibus, labitur, fugiensq; à latronibus interficitur. Seleucus quoque iisdem fermè diebus, amisso regno, equo præcipitatus finitur. sic fratres, quasi germanis casibus, exules ambo post regna, scelerum suorum pœnas luerunt.

LIBER VIGESIMVS OCTAVVS.

Lympias Pyrrhi Epirotæ regis filia, amisso marito eodemq; germano fratre Alexandro, cum tutelam filiorum ex eo susceptorũ Pyrrhi & Ptolemæi, regniq; administrationem ipsa recepisset, ab Aetolis partem Acarnaniæ, quam in portionem belli pater pupillorum acceperat, eripere uolẽtibus ad regem Macedoniæ Demetrium decurrit, eiq; habenti uxorem Antiochi regis Syriæ sororem filiam suam Pythiam in matrimoniũ tradidit, ut auxilium, quod misericordia non poterat, iure cognationis obtineret. Fiunt igitur nuptiæ, quibus & noui matrimonij gratia acquiritur, & ueteris offensa contrahitur. nam prior uxor, uelut matrimonio pulsa, sponte sua ad fratrem Antiochum discedit, eumq; in mariti bellum impellit. Acarnanes quoq; diffisi Epirotis aduersus Aetolos auxilium Romanorum implorantes, obtinuerunt à Romano senatu, ut legati mitterentur, q denunciarent Aetolis præsidia ab urbibus Acarnaniæ deducerent, paterenturq; esse liberos, qui soli quondam aduersus Troianos authores originis suæ auxilia Græcis non miserunt. Sed

Aetoli legationem Romanorum superbe audierunt, Pœnos illis & gallos, à quibus tot bellis uexati, toties occidione sint cæsi, exprobrantes, dicentesq; prius illis portas aduersus Carthaginenses aperiẽdas, quas clauserit metus punici belli, q̃ in Græciam arma transferenda. meminisse deinde iubent, quibus minentur aduersus Gallos urbem suam eos tueri non potuisse, captamq; non ferro defendisse, sed auro redemisse. quam gentem se aliquanto maiori manu Græciã ingressam non solum nullis externis uiribus, sed ne domesticis quidem totis adiutos uniuersam delesse, sedemq; sepulchris eorum præbuisse, quam illi urbibus ĩperioq; suo proposuerant. Contra Italiam trepidis ex recenti urbis suæ incendio Romanis uniuersam fermè à Gallis occupatam. Prius igitur illis Gallos Italia pellendos, q̃ minentur Aetolis, priusq; sua defendenda, quàm aliena appetenda. Quos autem homines Romanos esse, nempe pastores, qui latrocinio iustis dominis ademptum solum teneant, qui uxores, cum propter originis dehonestamenta non inuenirent, ui publica rapuerint, qui denique urbem suam parricidio condiderint, murorũq; fundamenta fraterno sanguine asperserint. Aetolos autem principes Græciæ semper fuisse, & sicut dignitate, ita & uirtute cæteris præstitisse. solos denique esse qui Macedonas imperio terrarum florentes semper contempserint, qui Philippum regem non timuerint, q Alexandri Magni post Persas Indosq; deuictos, cũ oẽs nomẽ eius horrerent, edicta spreuerint. Monere igitur se Romanos, contenti sint fortuna præsenti, nec prouocent arma, quibus & Gallos cæsos, &

Macedonas

Macedonas contemptos uideant. Sic dimissa legatione Romanorum, ne fortius locuti, quàm fecisse uiderentur, fines Epiri regni & Acarnaniæ depopulantur. Iam Olympias filijs regna tradiderat, & in locum Pyrrhi fratris defuncti Ptolemæus successerat. qui cum hostibus instructo exercitu obuius processisset, infirmitate correptus i itinere decedit. Olimpias quoq; gemino funerum uulnere afflicta, ægrum spiritum trahens, non diu filijs superuixit. Cum ex gente regia sola Nereis uirgo cũ Laodamia sorore supessent, Nereis nubit Geloni Siciliæ tyrãni filio. Laodamia autem, cũ in aram Dianæ confugisset, concursu populi interficitur. Quod facinus dij immortales assiduis cladibus gentis, & prope interitu totius populi uindicauerunt. nam sterilitatem famemq; passi, & intestina discordia uexati, externis ad postremum bellis penè consumpti sunt. Milo quoque Laodamiæ percussor in furorem uersus, nunc ferro, nunc saxo, in summa dentibus laceratis uisceribus. XII. die interijt. Is in Epiro gestis, interim in Macedonia Demetrius rex relicto filio Philippo paruulo admodum decedit. cui Antigonus tutor datus, accepta in matrimonium matre pupilli, regem se constituere laborat. Interiecto deinde tempore cum seditione minaci Macedonum clausus in regia teneretur, in publicum sine satellitibus procedit, proiectoq; in uulgus diademate ac purpura, dare hæc eos alteri iubet, qui aut imperare illis sciat, aut cui parere ipsi sciant, se adhuc inuidiosum illud regnum, non uoluptatibus, sed laboribus ac periculis sentire. commemorat deinde beneficia sua, ut defectionem sociorũ uindicauerit, ut Dar-

danos Thessalosq; exultantes morte Demetrij regis cō pescuerit, ut denique dignitatem Macedenum non solum defenderit, uerum etiam auxerit. quorum si illos pœniteat, deponere se imperium, & reddere illis manus suum, quia regem quærant, cui imperent. Cum populus pudore motus recipere eum regnum iuberet, tandiu recusauit, donec seditionis authores supplicio traderentur. Post hæc bellum Spartanis infert, qui soli, Philippi Alexandriq; bellis, & imperium Macedonum, & omnibus metuenda arma contempserant. Inter duas nobilissimas gentes bellum summis utrinq; uiribus fuit. cum hi pro uetere Macedonum gloria, illi nō solum pro illibata libertate, sed etiam pro salute certarent. uicti Lacedæmonij, nō ipsi tantum, sed ēt coniuges liberiq; magno aīo fortunam tulere. nemo qppe in acie saluti pepercit, nulla amissum coniugē fleuit. Filiorū mortē senes laudabant, patribus in acie cæsis filiæ gratulabantur. suā uicem oēs dolebant, qđ non et ipsi pro patriæ libertate cecidissent. Patentibus oēs domibus sancios excipiebant, uulneratos curabant, lapsos reficiebant. Inter hæc nullus in urbe strepitus, nulla trepidatio, magis omnes publicam, quàm priuatam fortunam lugebant. Inter hæc Cleomenes rex post multas hostium cædes toto corpore, suo pariter & hostiū cruore madens, superuenit. ingressusq; urbem non humi consedit, non cibum aut potum poposcit, non deniq; armorum onus deposuit, sed accliuis parieti, cum quatuor milia sola ex pugna superfuisse conspexisset, hortatur ut se ad meliora reipu. tempora reseruarent, tum cum coniuge & liberis Aegyptum ad Ptolemæum proficiscitur.

ficiscitur. à quo honorifice susceptus diu & in summa dignitate regis uixit. Postremo post Ptolemæi mortem à filio eius cum omni familia interficitur. Antigonus autē cæsis occidione Spartanis fortunam tantæ urbis miseratus, à direptione milites prohibuit, ueniamq; his, qui superfuerant, dedit. Præfatus bellum se cum Cleomene, non cum Spartanis, habuisse, cuius fuga, omnis ira eius finita sit, nec minori sibi gloriæ fore, si ab eo seruata Lacedæmon, à quo solo capta sit, proderetur. parcere igitur se solo urbis, ac tectis, quoniam hoies, qbus parceret, non supfuissent. nec multo post ipse decedit, regnūq; Philippo pupillo anno. XIIII. nato tradidit.

LIBER XXIX.

Isdem fermè temporibus propè uniuersi orbis imperia noua regum successione mutata sunt. nam in Macedonia Philippus, mortuo Antigono tutore, eodemq; uictrico, XIIII. annorum cū esset, regnum suscepit, & in Asia interfecto Seleuco impubes adhuc rex Antiochus constitutus est. Cappadociæ regnum quoq; Ariarathi puero admodum pater ipse tradiderat. Aegyptum, patre ac matre interfectis, occupauerat Ptolemæus, cui ex facinoris crimine cognomentum Pilopatori ex contrario fuit. Spartani in locum Cleomenis suffecerunt Lycurgum. Et, ne qua temporibus mutatio deesset, apud Carthaginenses ætate adhuc immatura dux Annibal constituitur, non penuria seniorū, sed odio Romanorum, quo

imbutum eum à pueritia sciebant. fatale non tam Romanis, quàm ipsi Africæ malum. His regibus pueris licet nulli senioris ætatis rectores erant, tamen in suorum quibusq; maiorum uestigia nitentibus, magna indoles uirtutis emicuit. Solus Ptolemæus sicut scelestus in occupando regno, ita & segnis in administrando fuit. Philippum Dardani cæteriq; finitimi populi, quibus uelut immortale odiū cum Macedonum regibus erat, contemptu ætatis assidue lacessebant. contra ille summotis hostibus non contentus sua defendisse, etiam Aetolis bellum inferre gestiebat. quæ agitantem illum Demetrius rex Illyriorum, nuper à Paulo Romano consule uictus, supplicibus precibus aggreditur, iniuriam Romanorum querēs, qui non contenti Italiæ terminis, imperium spe improba totius orbis amplexi, bellum cum omnibus regibus gerant. sic illos Siciliæ, sic Sardiniæ, Hispaniæq;, sic deinde totius Africæ imperium affectantes bellum cum Pœnis & Annibale suscepisse. sibi quoque non aliam ob causam, quàm quod Italiæ finitimus uidebatur, bellum illatum, quasi nefas esset aliquem regem iuxta imperij eorum terminos esse, sed & ipsi cauendum esse exemplum, cuius quanto propius nobiliusq; sit regnum, tanto sit Romanos acriores hostes habiturus. Super hæc cedere se illi regno, quod Romani occupauerint, profitetur, gratius habiturus, si in possessione imperij sui socium potius, quàm hostem uideret. Huiuscemodi oratione impulit Philippum, ut omissis Aetolis bellum Romanis inferret, minus negotij existimantem, quod iam uictos ab Annibale apud Thrasimenum lacum audierat. Itaque, ne multis bellis

eodem tempore grauaretur, pacem cum Aetolis fecit, non quasi alio bellum translaturus, sed ut Græciæ quieti consulturus, quam nunquam in maiori periculo fuisse affirmabat. siquidem consurgentibus ab occidente nouis Pœnorum & Romanorum imperijs, quibus una hæc à Græcia & Asia sit mora, dum inter se bello discrimen imperij faciunt, cæterum statim uictoribus transitum in orientem fore. uidere se itaq; ait consurgentem in Italia nubem illam trucis & cruenti belli, uidere tonantem ac fulminantem ab occasu procellam, quam in quascunq; terrarum partes uictoriæ tempestas detulerit, magno cruoris imbre omnia fœdaturam. Freque͂ter Græciam ingentes motus passam, nunc Persarum, nunc Gallorum, nunc Macedonum bellis, sed omnia illa ludum fuisse existimaturos, si ea, quæ nunc in Italia concurrat manus, extra terram illam se effuderit. cernere se q̃ cruenta & sanguinaria inter se bella utriq; populi, & uiribus copiarum & ducum artibus, gerant, quæ rabies solo finiri partis alterius interitu sine ruina finitimoru͂ non possit. Feros igitur animos uictorum minus quidem Macedoniæ, q̃ Græciæ timendos, qa remotior & in uindictam sui robustior sit. Scire tamen se eos, qui tantis uiribus concurrant, non cótentos hoc fine uictoriæ fore, metuendumq; sibi quoque certamen eoru͂, qui superiores extiteru͂t. Hoc prætextu, finito cum Aetolis bello, nihil aliud q̃ Pœnorum Romanorumq; bella respiciens singulorum uires ꝑpendebat. Sed nec Romani, quibus Pœni & Annibal in ceruicibus erant, soluti metu macedonico uidebantur. Nam terrebat eos & uetus Macedonum uirtus, et deuicti orie͂-

tis gloria, & Philippus studio Alexandri æmulationis incensus, quem promptum ad bella industriū'q; cognouerant. Igitur Philippus cum iterato prælio uictos à Pœnis Romanos didicisset, aperte hostem se his professus, naues, quibus in Italiam exercitum traijceret, fabricare cœpit. Legatum deinde ad Annibalem iungendæ societatis gratia cum epistolis mittit. q comprehensus, & ad senatum perductus incolumis dimissus est, non in honorem regis, sed ne dubius adhuc, indubitatus hostis redderetur. Postea uero cum Romanis nunciatum esset in Italiam Philippum copias traiecturum, Leuinium prætorem cum instructis nauibus ad prohibendum transitum mittunt. qui cum in Græciā uenisset, promissis multis impulit Aetolos bellum aduersus Philippum suscipere. Philippus quoque Achæos in Romanorum bella sollicitat. Interea & Dardani Macedoniæ fines uastare cœperūt, abductis'q;. XX. millibus captiuorum Philippum à Romano bello ad tuendum regnum reuocarunt. Dum hæc aguntur Leuinius prætor inita cum Attalo rege societate, Græciam populatur. quibus cladibus perculsæ ciuitates auxilium petentes Philippum legationibus fatigant, nec nō et Illyriorū rex lateri eorum hærens assiduis precibus promissa exigebat. Super hæc uastati Macedones ultionem flagitabant. Quibus tot tantis'q; obsessus rebus, cui rei primo occurreret ambigebat, omnibus tamen propediem auxilia se missurum pollicetur, non quia facere posset, quæ promittebat, sed ut spe impletos in societatis iure retineret. Prima tamen illi expeditio aduersus Dardanos fuit, qui absentiam eius aucupan-

tes maiore belli mole Macedoniæ imminebant. Cum Romanis quoque pacem facit contentus interim bellum macedonicum distulisse. Philopœmeni Achæorum duci, quem ad Romanos sociorum animos sollicitare di dicerat, insidias prætendit. quibus ille cognitis uitatisq;, discedere ab eo Achæos authoritate sua coegit.

LIBER XXX.

P. Hilippo in Macedonia magnis rebus intento, Ptolemæi in Aegypto diuersi mores erant. nam regno parricidio obtento, & ad necem utriusq; parentis cæde etiam fratris adiuncta, ueluti rebus feliciter gestis luxuriæ sese tradiderat, regisq; mores omnes secuta regio erat. Itaque non amici tantum præfectiq;, uerum etiam omnis exercitus, depositis militiæ studijs, ocio ac desidia corrupti marcebant. Quibus rebus cognitis Antiochus rex Syriæ, ueteri inter se regnorum odio stimulante, repentino bello multas urbes eius oppressit, ipsamq; Aegyptum aggreditur. Trepidat igitur Ptolemæus, legationibus missis, quibus uires paret, morari Antiochum. Magno deinde in Græcia exercitu conducto secundum prælium facit. spoliassetq; regno Antiochum, si fortunam uirtute iuuisset. Contentus recuperatione urbium, quas amiserat, factaq; pace auide materiam quietis arripuit. reuolutusque in luxuriam, occisa Euridice uxore eademq; sorore sua, Agathocleæ, meretricis illecebris capitur. atq; ita omnē magnitudi-

nem nominis ac maiestatis oblitus, noctes in stupris, dies in conuiuijs consumit. adduntur instrumenta luxuriæ tympana & crepundia, nec iam spectatur rex, sed magister nequitiæ neruorum oblectamenta modulatur. Hæc primo labentis regiæ tacita pestis & occulta mala fuere. Deinde crescente licentia, iam nec parietibus regiæ domus contineri meretricis audacia potest, quam proteruiorem sociata cum Agathocle fratre ambitiosæ pulchritudinis scorto cotidiana regis stupra faciebant. Accedebat & mater Euanthe, quæ geminæ sobolis illecebris deuinctum regem tenebat. Itaq; non contentæ rege, iam etiam regnum possident, iam in publico uisuntur, iam salutantur, iam comitantur. Agathocles regis lateri iunctus, ciuitatem regebat, tribunatus, præfecturas, & ducatus mulieres ordinabant, nec quisquā in regno suo minus, q̄ ipse rex poterat. Cum interim relicto quinquenni ex Eurydice sorore filio moritur, sed mors eius, dum pecuniam regiā mulieres rapiunt, & imperium, inita cum perditissimus societate, occupare conantur, diu occulta fuit. re tamen cognita concursu multitudinis Agathocles occiditur, & mulieres in ultionē Eurydices patibulis suffiguntur. Morte regis et supplicio meretricum uelut expiata regni infamia legatos Alexandrini ad Ro. miserunt orantes, ut tutelam pupilli susciperent, tuerenturq; regnum Aegypti, quod iā Philippum & Antiochum facta inter se pactione diuisisse dicebant. Grata legatio Romanis fuit causam belli quærentibus aduersus Philippum, qui insidiatus eis tēporibus punici belli fuerat. Huc accedebat, quod Pœnis & Annibale superato, nullius magis arma metue=

bant, reputantibus quantum motū Pyrrhus parua manu Macedonum in Italia fecisset, quantasq; res Macedones in oriēte gessissent. Mittuntur igitur legati, qui Antio cho & Philippo, ut à regno Aegypti abstineant, nunci ent. mittitur & M. Lepidus in Aegyptum, qui tutorio nomine regnū pupilli administraret. Dum hæc agun tur, interim legati Attali regis Pergami & Rhodiorū iniurias Philippi regis querentes Romam uenerunt. quæ res omnem cunctationem Macedonici belli senatui exemit. Statim prætextu ferendi auxilij socijs, bellum aduersus Philippū decernitur, legionesq; cum consule in Macedoniam mittuntur. nec multo post tempore tota Græcia, fiducia Romanorū, aduersus Philippū spe pristinæ libertatis erecta, bellum ei intulit. atq; ita cū rex undiq; urgeretur, pacem petere compellitur. Deinde cū expositæ conditiones pacis à Romanis essent repetere sua & Attalus, et Rhodij, et Achæi, et Aetoli cœpere. Contra Philippus adduci se posse, ut Romanis pareat, concedebat, cæterum indignum esse, Græcos à Philippo & Alexādro maioribus suis uictos, & sub iugum Macedonici imperij subactos, uelut uictores, leges pacis sibi dicere, q̄bus prius sit ratio seruitutis reddenda, q̄ libertas uindicanda. Ad postremum tamen eo petente, induciæ duorum mensium sunt datæ, ut pax, quæ in Macedonia non conueniebat, Romæ à senatu peteretur.

Eodē anno inter insulas Theramenen & Therasiā medio utriusq; ripæ & maris spacio terræmotus fuit. In quo cum admiratione nauigantiū repente ex profundo cum calidis aquis insula emersit. In Asia uero eodem die motus terræ Rhodum multasq; alias ciuitates graui

ruinarum labe concussit. quasdam solidas absorbuit: quo prodigio territis omnibus uates cecinere, oriēs Romanorum imperium uetus Græcorum ac Macedonū uoraturum. Interim à senatu repudiata pace Philippus in societatem belli Nabim tyrānum sollicitat. atque ita cum in aciem exercitum instructis è diuerso hostibus produxisset, hortari suos cœpit. Referendo Persas, Bactros, Indosq; & omnem Asiam orientis fine à Macedonibus pdomitam, tantoq; fortius hoc bellum, quàm illa, sustinendum, quanto sit libertas imperio carior. Sed & Flaminius Romanorum consul relatione rerū recentissime gestarum suos stimulabat in præliū, ostendendo hinc Carthaginem cum Sicilia, inde Italiā & Hispaniam Romana uirtute perdomitas, nec Annibalē Alexandro quidem magno postponendum, quo Italia pulso, Africam ipsam tertiam partem mundi superauerint. Sed nec Macedonas ueteri fama, sed præsentibus uiribus æstimandos, quia non cum Alexandro Magno, quem inuictum audierant, nec cum exercitu eius, qui totum orientem deuicerat, bellum gerant, sed cum Philippo puero immaturæ ætatis, q regni terminos aduersus finitimos ægre defendat, & cum ijs Macedonibus, qui non ita pridem Dardanis prædæ fuerunt. illos maiorum decora, se suorū militum commemorare. non. n. alio exercitu Annibalē et Pœnos & totum ferme occidentem, sed ijs ipsis, quos in acie habeat, militibus subactos. His adhortationibus utrinq; concitati milites prælio concurrunt, alteri orientis, alteri occidentis imperio gloriantes, ferentesq; in bellum alij maiorum suorum antiquam & obsoletam gloriā, alij uirētem recentibus

experimentis uirtutis florem. sed Macedonas romana fortuna uicit. Fractus itaq; bello Philippus pace à Flaminio consule petita nomen qdem regum retinuit, sed omnibus Græciæ urbibus, uelut regni membris, extra terminos antiquæ possessionis amissis, solam Macedoniam retinuit. Offensi tamen Aetoli quia non ex arbitrio eorum Macedonia quoq; adempta regi, & data sibi in præmium belli esset, legatos ad Antiochum mittunt, qui eum adulatione magnitudinis in Romana bella, spe societatis uniuersæ Græciæ, impellerent.

LIBER TRIGESIMVSPRIMVS.

m Ortuo Ptolemæo Philopatore rege Aegypti, contemptaq; paruuli filij eius ætate, qui in spem regni relictus præda etiã domesticis erat, Antiochus rex Syriæ occupare Aegyptũ statuit. Itaq; Phœnicen cæterasq; Syriæ quidem, sed iuris Aegypti ciuitates cum inuasisset, legatos ad eum senatus mittit, qui denunciarent ei, abstineret à regno pupilli postremis patris precibus fidei suæ traditi. quibus spretis interiecto tempore alia legatio superuenit, quæ, omissa pupilli persona, ciuitates iure belli factas populi Romani in integrum restitui iubebat. abnuenti bellum denunciatur. quod ille facile susceptum infeliciter gessit. Eodem tempore & Nabis tyrannus multas Græciæ ciuitates occupauerat. Igitur senatus, ne eodem tempore duplici bello Romanæ uires detinerentur, scripsit Flaminio, si ei uideatur, sicuti Ma-

cedoniam à Philippo, ita Græciam à Nabide liberaret. ob quam causam imperium ei prorogatum est. Terribile q̃ppe Antiochi bellũ Annibalis nomen faciebat, quẽ æmuli eius occultis mandatis cum Antiocho inisse societatem apud Romanos criminabantur, negantes eũ æquo aĩo sub legibus uiuere assuetum imperio, et immoderata licentia militari, semperq; tedio quietis urbanæ nouas belli causas circunspicere, quæ & si falsa nunciata fuissent, apud timentes tamen pro ueris habebantur. Deniq; senatus metu perculsus ad speculandos actus Annibalis legatum in Africam Gn. Seruilium mittit, eiq; tacitis mandatis præcipit, ut si posset eũ p̃ æmulos eius interficeret, metuq; inuisi nominis tãdẽ populum Romanum liberaret. Sed res Annibalem non diu latuit, uirũ ad prospicienda cauendaq; p̃icula peritum, nec minus in secundis aduersa, q̃ in aduersis secunda cogitantem. Igitur cum tota die in oculis principum legatiq; Romani in foro Carthaginensium obuersatus fuisset, in supremũ appropinquante uespere equũ conscendit, & rus urbanum, quod prope litus maris habebat, ignaris seruis iussisq; ad portũ diuertentem opperiri, contendit. Habebat ibi naues cum remigibus occulto sinu litoris absconditas. erat etiam grandis pecunia in eo agro præparata, ut cum res exegisset, nec facultas fugam, nec inopia moraretur. Lecta igitur seruorum iuuentute, quorum copiam Italicorum captiuorum numerus augebat, nauem conscendit, cursumq; ad Antiochum dirigit, postera autem die ciuitas principẽ suum, ac tum consulem in foro expectabat. Quem ut profectum nunciatum est, nõ aliter, q̃ si urbs capta eẽt,

omnes

omnes trepidauere, exitiosamq; sibi fugam eius omina ti sunt. Legatus uero Romanus quasi bellum iam illatum Italiæ ab Annibale esset, tacitus Romam reuertitur, trepiduq; nuncium refert. Interim Flaminius in Græcia iuncta cum quibusdam ciuitatibus societate Nabidem tyrannum duobus continuis prælijs subegit, & grauiter fractum, uelut exanguem, in regno reliquit. Sed libertate Græciæ restituta reductis ab urbibus præsidijs, cum Romanus exercitus in Italiam reportatus esset, uelut uacua rursus possessione sollicitatus, multas ciuitates repentino bello inuasit, quibus rebus exterriti Achæi, ne uicinum malum etiam ad se serperet, bellum aduersus Nabidem decernunt, ducemq; prætorem suum Philopœmenem insignis industriæ uirum constituunt. cuius in eo bello tanta uirtus enituit, ut opinione omnium compararetur Flaminio Romano imperatori. Eodem tempore Annibal, cum ad Antiochum peruenisset, uelut deorum munus excipitur. Tantusq; eius aduentu ardor aīo regis accessit, ut nō tam de bello, q̄ de præmijs uictoriæ cogitaret. Sed Annibal, cui nota Romana uirtus erat, negabat opprimi Romanos, nisi in Italia, posse. ad hoc sibi centum naues, & decem milia peditum, & mille equites poscebat. Promittens hac manu non minus bellum, quàm gesserit, Italiæ restauraturum, & in Asia regi sedenti aut uictoriam de Romanis, aut æquas pacis conditiones relaturum. Quippe & hispanis bello flagrantibus ducem tantum deesse, & Italiam notiorem sibi nunc, q̄ pridem fuisse. sed nec Carthaginem quieturam, sociamq; se sine mora præbituram. Cum

regi consilia placuissent, mittitur Carthaginem unus ex comitibus Annibalis, q in bellum cupidos hortetur, Annibalemq; cum copijs affuturum nunciet, nihil dicat patribus nisi animos Carthaginensium deesse, Asiā & uires belli & sumptum præbituram. Hæc cum relata Carthaginem essent, nuncius ipse ab inimicis Annibalis comprehenditur, & perductus in senatum, cū interrogaretur, ad quem missus esset, punico usus ingenio respondit, se ad uniuersum senatum missum. nec. n. hoc opus singulorum, sed uniuersorum esse. Dum multis diebus deliberant, an eum Romam ad purgandam publicam conscientiam mittant, tacitus conscensa naue ad Annibalem reuertitur. Quo cognito Carthaginenses statim rem Romam p legatum deferunt. Romani quoq; ad Antiochum legatos misere, qui sub specie legationis & regis apparatum specularentur, & Annibalem aut Romanis mitigarent, aut assiduo colloquio suspectū inuisumq; regi facerent. Itaq; legati, cum Ephesi conuenissent Antiochum, mandata ei senatus tradunt. dū responsum expectant, oībus diebus assidui cū Annibale fuerunt, dicentes timide eū à patria recessisse, cū pacē Romani non tam cum republica, q̄ cum eo factam summa fide custodiant, nec bella eum Romanorum magis odio, q̄ patriæ amore gessisse, cui ab optimo quoq; etiā spiritus ipse debeatur. has enim publicas inter populos, non priuatas inter duces, bellandi causas esse, inde res gestas eius laudare, quarum sermone lætus sæpius cupidiusq; cum legatis colloquitur, ignarus quod pro familiaritate Romana odium sibi apud Regem crearet. quippe Antiochus tam assiduo colloquio reconciliatam

cum

cum Romanis gratiam existimans, nihil ad eum (sicut solebat) referre, expertemq́; totius consilij & ueluti hostem proditoremq́; suum odisse cœpit. quæ res tantum apparatum belli, cessante imperatoria arte, corrupit. Senatus mandata fuerant, ut contentus terminis Asiæ esset, nec ipsis ingrediendi Asiam necessitatem imponeret. quibus spretis non accipiendum bellum statuit, sed inferendum. Dicitur cum frequenter de bello consilium habuisset remoto Annibale, tandem eum uocari iussisse, non ut ex sententia eius aliquid ageret, sed ne per omnia eum spreuisse uideretur, omnibusq́; perrogatis postremum interrogasse se, quo ille animaduerso intelligere se professus est, non quia egeat consilio, sed ad supplendum numerum sententiarum se uocatum, tamen & odio Romanorum, & amore Regis, apud quẽ solum tutum sibi exiliũ relictum sit, se uiã gerendi belli edissert urũ. ueniam deinde libertati præfatus, nihil se aut consiliorum aut cœptorũ præsentiũ probare ait, nec sedem belli Græciã sibi placere, cum Italia uberior materia sit. quippe Romanos uinci non nisi armis suis posse, nec Italiam aliter, q̃ italicis uiribus subigi. siqdẽ diuersum cæteris mortalibus esse illud & belli genus & hominũ, alijs bellis plurimum momenti habere priorẽ aliquã cepisse occasionẽ loci t pisq́;, agros rapuisse, urbes aliquas expugnasse, cũ Romano seu occupaueris prior aliqua ratione, seu uiceris, tamẽ etiam cũ uicto & iacente luctandum esse. quam ob rem siquis eos in Italia lacesseret, suis eos opibus, suis uiribus, suis armis posse uincere, sicut ipse fecerit. sin uero quis illis Italia uelut fonte uirium cesserit, perinde

falli, ac siquis amnes non ab ipsis fontium primordijs deriuare, sed concretis iam aquarum molibus auertere uel exsiccare uelit. Hoc et secreto se censuisse, ultróq; ministerium consilij sui obtulisse, & nunc præsentibus amicis ideo repetisse, ut scirent omnes rationem cum Romanis gerendi belli, eósq; foris inuictos, domi fragiles esse. prius nanq; eos urbe, q̃ imperio, prius Italia, q̃ prouincijs exui posse. quippe & à Gallis captos, & à se prope deletos esse, neq; se unq̃ uictum prius, q̃ terris eorũ cesserit, reuerso Carthaginem statim cum loco fortunam belli mutatam. Huic sententiæ obtrectatores amici regis erãt, non utilitatem rei cogitantes, sed uerentes, ne probato consilio eius, primum apud regẽ locum gratiæ occuparet. at Antiocho non tam consilium, quàm author, displicebat, ne gloria uictoriæ Annibalis, non sua, esset. Omnia igitur uarijs assentatorũ adulationibus corrumpebantur, nihil consilio uel ratione agebatur. Rex ipse per hyemẽ in luxuriam lapsus, nouis cotidie nuptijs deditus erat. Contra Acilius Romanus consul, qui ad hoc bellum missus erat, copias, arma, cæteráq; bello necessaria summa ope & industria parabat, ciuitates socias confirmabat, dubias illiciebat, nec alius exitus belli, q̃ apparatus utriusq; partis fuit. Itaq; prima belli congressione cum cedentes suos Rex cerneret, non laborantibus auxilium tulit, sed fugientibus se ducem præbuit, castráq; ditia uictoribus reliquit. Deinde cũ in Asiã præda Romanis occupatis fugiendo peruenisset, pœnitere neglecti consilij cœpit, reuocatóq; in amicitiã Annibale, omnia ex sentẽtia eius agere. Interim nunciatur ei Liuium Menemũ Romanũ

ducem cum octoginta rostratis nauibus in bellum nauale à senatu missum aduentare. quæ res illi restituendæ fortunæ spem dedit. Itaq; priusq̃ sociæ ciuitates ad hostes deficerent, decernere nauali prælio statuit, sperans cladem in Græcia acceptam noua posse uictoria aboleri. Annibali igitur tradita classe prælium cómittitur. Sed nec Asiani milites Romanis, neq; naues eorũ pares rostratis nauibus fuere. minor tamen clades ducis sollertia fuit. Romam nondum opinio uictoriæ uenerat, & iccirco in consulibus creandis suspensa ciuitas erat. sed aduersus Annibalem ducem quis melior q̃ Africani frater crearetur, cum uincere Pœnos opus Scipionum esset? Creatur igitur consul Lucius Scipio, eiq; datur legatus frater Africanus, ut itelligeret Antiochus non maiorem fiduciam, se in Annibale uicto, q̃ Romanos in uictore Scipione habere. Traijcientibus in Asiã Scipionibus exercitum, iam utrobiq; profligatum bellũ nunciatum est, uictumq; Antiochũ terrestri, Annibalẽ nauali bello inuenerunt. Primo igitur aduentu eorum legatos pacem petentes ad eos Antiochus mittit, peculiare donum Africano ferentes ipsius filium, quem rex paruo nauigio traijcientem ceperat. Sed Africanus priuata beneficia à rebus publicis segregata esse dixit, aliaq; esse patris officia, alia patriæ iura, quæ non liberis tantum, uerum etiam uitæ ipsi præponantur. proinde gratum se munus accipere, priuatoq; impendio munificentiæ regis responsurum. Quod ad bellũ pacemq; pertineat, nihil neque gratiæ dari, neque de iure patriæ decidi posse respondit. nam neque de redimendo filio unq̃ tractauit, nec senatum de eo agere

permisit, sed ut dignum maiestate eius erat, armis se recepturum filium dixerat. Post hæc leges pacis dicuntur. ut Asia Romanis cederet, contentus Syriæ regno esset, naues uniuersas, captiuos, et trãsfugas traderet, sumptum'que omnem belli Romanis restitueret. quæ cum nunciata Antiocho essent, nondum ita uictum se esse respondit, ut spoliari se regno pateretur, belliq; ea irritamenta, non pacis blandimenta esse. Igitur dum ab utroq; bellum pararetur, & ingressi Asiam Romani Ilion uenissent, mutua gratulatio Iliensium ac Romanorum fuit. Iliensibus Aeneam cæterosq; duces à se profectos, Romanis se ab his procreatos, referentibus. tantaq; lætitia omnium fuit, quanta esse post longum tempus inter parentes & liberos solet. Iuuabat Ilienses nepotes suos, occidente & Africa domita, Asiam ut auitum regnum uindicare, optabilem Troiæ ruinam fuisse dicentes, ut tam feliciter renasceretur. Cõtra Romanos auitos lares, & incunabula maiorũ, templaq;, ac deorum simulacra inexplebile desideriũ uidendi tenebat. Profectis ab Ilio Romanis Eumenes rex cum auxilijs, occurrit. nec multo post prælium est cum Antiocho commissum, cum in dexteriore cornu pulsa legio romana maiore dedecore, q̃ periculo ad castra fugeret, M. Aemylius tribunus militum ad tutelã castrorum relictus armari milites suos, et extra uallum progredi iubet, strictisq; gladijs fugientibus minari, morituros dicens, nisi in prælium reuertantur, infestioraq; sua, q̃ hostium castra inuenturos. Attonita tam ambiguo periculo legio, comitantibus commilitonibus, q fugere eos prohibuerant, in præliũ reuertitur. magnaq; cæde edita initiũ uictoriæ fuit.

riæ fuit. Cæsa hostium. L. milia, capta. XI. milia. Antio cho pacem petenti nihil ad superiores conditiones addi tum, Africano prædicante, neq; Romanis, si uincantur, animos minui, neq; si uincant, secundis rebus insolesce re. captas ciuitates inter socios diuisere, muneris Roma ni aptiorem gloriam, q̃ possessiones uolũtarias iudican= tes. quippe uictoriæ gloriam Romano nomini uindi= candam, opum luxuriam socijs relinquendam.

LIBER TRIGESIMVSSECVNDVS.

Etoli, qui Antiochum in bella Romana impulerant, uicto eodem soli aduersus Romanos & uiribus impares, et omni auxilio destituti remanserãt. nec multo post uicti libertatem, quam illibatam aduersus dominationem Atheniẽsium et Spartanorũ inter Græciæ ciuitates soli retinuerãt, amiserunt. quæ conditio tanto illis amarior, q̃to serior fuit reputanti= bus tempora illa, qbus tantis Persarum opibus, domesti cis uiribus restiterant, qbus Gallorum uiolentiã Asiæ Italiæq; terribilem Delphico bello fregerant. quæ so= la gloriosa recordatio magis desiderium libertatis au- gebat. Dum hæc aguntur medio tempore inter Messe- nios et Achæos de principatu primo dissensio, mox bel lum ortum est. In eo nobilis Achæorũ imperator phi lopœmen capitur, non quia pugnando uitæ parceret, sed, dum suos in præliũ reuocat, in trãsitu fossæ equo præcipitatus, a multitudine hostiũ oppressus est. quem iacentem Messenij, seu metu uirtutis, seu uerecundia di=

gnitatis, interficere ausi non fuerunt. Itaq; læti uelut in illo omne bellum confecissent, captiuum per uniuersam ciuitatem in modum triumphi circunduxerunt, effuso obuiam populo, ac si suus, non hostium, imperator aduentaret, nec uictorem Achæi auidius uidissent, quàm uictum hostes uiderunt. Igitur eundem in theatrum duci iusserunt, ut omnes contuerentur, quem potuisse capi incredibile singulis uidebatur. Deinde in carcerem educto, uerecundia magnitudinis eius, uenenum ei dederunt. quod ille lætus, ac si uicisset, accepit, quæsito prius, an Lycortas præfectus Achæorum, quem secundum à se esse scientia rei militaris sciebat, incolumis effugisset. quem ut accepit euasisse, non in totum dicens consultum male Achæis expirauit. Nec multo post reparato bello Messenij uincuntur, pœnasq; interfecti Philopœmenis pependerunt. Interea in Syria rex Antiochus cum graui tributo pacis à Romanis uictus oneratus esset, seu inopia pecuniæ compulsus, seu auaritia sollicitatus, qua sperabat se sub specie tributariæ necessitatis excusatius sacrilegia cõmissurum, adhibito exercitu nocte templum Elymæi Iouis aggreditur. qua re prodita, concursu incolarum cum omni milite interficitur. Romæ cum multæ Græciæ ciuitates questum iniurias Philippi regis uenissent, & disceptatio in senatu inter Demetrium Philippi filium, quem pater ad satisfaciendum senatui miserat, et legatos ciuitatum esset, turba querelarum confusus adolescens repente obticuit. tunc senatus uerecundia eius motus, quæ probata etiam anteà, cum obses Romæ esset, omnibus fuerat, causam illi donauit, atque ita modestia sua Demetrius ueniam

patri,

patri, non iure defensionis, sed patrocinio pudoris, obtinuit. quod ipsum decreto senatus significatum est, ut appareret non tam absolutum regem, quàm donatum filio patrem. Quae res Demetrio nõ gratiam legationis, sed odium obtrectationis comparauit. nã & apud fratrem Persem aemulatio illi inuidiã contraxit, et apud patrem absolutionis causa offensae fuit, indignante Philippo plus momenti apud senatum personam filij, q̃ authoritatem patris ac dignitatem regiae maiestatis habuisse. Igitur Perses perspecta patris aegritudine, cotidie absentem Demetrium apud eum criminari, et primo inuisum, post etiam suspectum reddere, nunc amicitiam Romanorum, nunc proditionem ei patris obiectare. ad postremum insidias sibi ab eo paratas confingit, ad cuius rei probationem immittit indices, testes subornat, & facinus, quod obijcit, admittit, quibus rebus patre compulso ad parricidium funestam omnem regiam fecit. Occiso Demetrio sublatoq; aemulo non negligenti tantum Perses in patrem, uerum etiam & contumacior erat, nec haeredem regni, sed regem gerebat. His rebus offensus Philippus impatiẽtius in dies mortem Demetrij dolebat, tunc & insidijs se circunuẽtum suspicari, testes indicesq; torquere. atq; ita cognita fraude non minus scelere Persae, quàm innoxij Demetrij morte cruciabatur, peregissetq; ultionem, nisi praeuentus esset. nam breui post tempore morbo ex aegritudine animi contracto decessit, relicto magno belli apparatu aduersus Romanos, quo postea Perses usus est. nã & Gallos Scordiscos ad belli societatem perpulerat, fecissetq; Romanis graue bellum, nisi decessisset. nanq;

Galli bello aduersus Delphos infeliciter gesto, in quo maiorẽ uim numinis, quàm hostium senserant, amisso Brenno duce, pars in Asiam, pars in Thraciam extorres fugerant. Inde per eadem uestigia, qua uenerant, antiquam patriam repetiuere. Ex his pars quædam in confluente Danubij & Saui consedit, Scordiscosq; se appellari uoluit. Tectosagi autem cum in antiquam patriam Tolosam uenissent, comprehensiq; pestifera lue essent, non prius sanitatem recuperauere, q̃ aruspicum responsis moniti aurum argentumq; bello sacrilegijsq; quæsitum in Tolosensem lacum mergerent. quod omne magno post tempore Cæpio Romanus consul abstulit. fuere auri pondo. CX. milia. argenti pondo quinquies decies. C. milia. quod sacrilegium causa excidij Cæpioni exercituiq; eius postea fuit. Romanos quoq; Cimbrici belli tumultus uelut ultor sacræ pecuniæ insecutus ẽ, ex gente Tectosagorum non mediocris populus prædæ dulcedine Illyricum repetiuit, spoliatisq; Istris in Pannonia consedit. Istrorum gentem fama est originem à Colchis ducere, missis ab Aeta rege ad argonautas raptoremq; filiæ persequendos. qui ut à Ponto intrauerunt Istrum, alueo Saui fluminis penitus inuecti uestigia argonautarũ insequentes, naues suas humeris, per iuga montium, usq; ad litus Adriatici maris transtulerunt. Cognito, qđ argonautæ idem propter longitudinẽ nauis priores fecissent, quos ut auectos Colchi non reperiunt, siue metu regis, siue tædio lõgæ nauigationis, iuxta Aquileiam consedere, Istriq; ex uocabulo amnis, quo e mari concesserant, appellati. Daci quoq; soboles Getarũ sunt, qui cũ Orode rege aduersus Bastarnas male pu-

gnassent, ob ultionem segnitiæ capturi somnum capita loco pedum ponere iussu regis cogebantur, ministeriaq; uxoribus, quæ ipsis antea fieri solebant, facere. neque hæc ante mutata sunt, q̃ ignominiã bello acceptam uir tute delerent. Igitur Perses cum imperio Philippi patris successisset, omnes has gentes aduersus Romanos in societatem belli sollicitabat. Interim inter Prusiam regem, ad quem Annibal post pacem Antiocho à Romanis datam profugerat, & Eumenẽ bellũ ortum est, qđ Prusias Annibalis fiducia rupto fœdere prior intulit. nãq; Annibal cũ ab Antiocho Romani inter cæteras cõditiones pacis deditionem eius deposcerent admonitus à rege in fugam uersus Cretã defertur. ubi cũ diu qetam uitam egisset, inuidiosumq; se propter nimias opes uideret, amphoras plumbo repletas in tẽplo Dianæ, quasi fortunæ suæ præsidia, deposuit. atque ita nihil de illo sollicita ciuitate, quoniam uelut pignus opes eius tenebat, ad Prusiã cõtẽdit, auro suo in statuis, quas secũ portabat, infuso, ne cõspectæ opes uitæ suæ nocerẽt. Deinde cum Prusias terrestri bello ab Eumene uictus esset, præliumq; in mare transtulisset, Annibal nouo cõmento author uictoriæ fuit. nam omne serpẽtum genus in fictiles lagenas conijci iussit, medioq; prælio in naues hostium mitti. Id primum Ponticis ridiculũ uisum, fictilibus dimicare, qui ferro nequeant. Sed ubi serpẽtibus repleri naues cœpere, ancipiti piculo circunuẽti, hosti uictoriã cessere. quæ ubi Romæ nũciata sunt, missi à senatu sunt legati, q utrunq; regem in pacẽ cogerent, Annibalẽq; deposcerẽt. Sed Annibal re cognita sumpto ueneno legationem morte præuenit.

Insignis hic annus trium toto orbe maximorum imperatorum fuit mortibus, Annibalis, Philopœmenis, & Scipionis africani. ex quibus constat Annibalem nec cum Italia Romano tonante bello contremuit, nec cum reuersus Carthaginem summum imperium tenuit, aut cubantem cœnasse, aut plus sextario uini indulsisse. pudicitiam'que eum tantam inter tot captiuas habuiße, ut in Africa natum quiuis negaret. moderationis certe eius fuit, ut cum diuersarum gentium exercitus rexerit, neque insidijs suorum militum sit petitus unquam, neque fraude proditus, cum utrunque hostes sæpe tentassent.

LIBER TRIGESIMVSTERTIVS.

m Inore quidem rerũ motu Romani macedonicum quàm punicum bellum gesserunt, sed tanto clarius, quanto nobilitate Macedones Pœnos antecesserunt. nam, cum gloria orientis domiti, tum auxilijs omnium regum iuuabantur. Itaq; romani & legiones plures numero conscripserunt, & auxilia à Masinissa rege Numidarum, cæteris'q; socijs omnibus acciuerunt. Et Eumeni Regi Bithyniæ denunciatum, ut bellum summis uiribus iuuaret. Perseo præter macedonicum exercitũ inuictæ opinionis decennis belli sumptus à patre paratus in thesauris, & in horreis erat. quibus rebus inflatus & oblitus fortunæ paternæ ueterẽ Alexandri gloriam considerare suos iubebat. Prima congressio equitum fuit, qua uictor Perses suspensam

omnium expectationem in fauorem sui traxit, misit tamen legatos ad consulem, qui pacem peterent, quam patri suo Romani etiam uicto dedissent, impensas belli lege uicti suscepturus. sed consul Sulpitius non minus graues, quàm uicto leges dixit. Dum hæc aguntur metu tam periculosi belli Romani Aemylium Paulum cõsulem creant, eiq; extra ordinem macedonicum bellum decernunt. qui cum ad exercitum uenisset, non magnam moram pugnæ fecit. Pridie quàm consereretur prælium Luna nocte defecit. triste id ostentum Perseo omnibus præsagientibus, finemq́; macedonici regni portendi uaticinantibus. In ea pugna M. Cato Catonis oratoris filius, dum inter confertissimos hostes insigniter dimicat, equo delapsus pedestre prælium aggreditur. nam cadentem manipulus hostium cum horrido clamore uelut iacentem obtruncaturus circunsteterat. At ille citus corpore collecto magnas strages edidit. Cum ad unum opprimendum undecunq; hostes conuolarent, dum procerum quendam petit, gladius ei manu elapsus in mediam cohortem hostium decidit. ad quem recuperandum umbone se protegens inspectante utroq; exercitu inter mucrones se hostium immersit, recollectoq́ue gladio multis uulneribus exceptis, ad suos cum clamore omnium reuertitur. Huius audaciam cæteri imitati uictoriã peperere. Perses rex fuga cum decem milibus talentũm Samothraciam defertur. quem Cneus Octauius ad persequendum missus à consule cum duobus filijs Alexandro & Philippo cepit, captumq́; ad consulem duxit. Macedonia à Carano, qui primus in ea regnauit, usque ad Persen reges triginta habuit.

quorum sub regno fuit quidem annis nongentis & uigintitribus, sed rerum non nisi centum nonaginta duobus annis potita, ita cum in ditionem Romanorum cessisset, magistratibus per singulas ciuitates constitutis libera facta est, legesq; quibus adhuc utitur à Paulo accepit, Aetolorum uniuersarũ urbium senatus cum coniugibus & liberis, qui dubia fide fuerant, Romã missus, ibiq; ne in patria aliquid nouaret, diu detentus, ægreq; post multos annos legationibus ciuitatum senatu fatigato in patriam quisq; suam remissus est.

LIBER TRIGESIMVSQVARTVS.

Poenis ac Macedonibus subactis, Aetolorumq; uiribus principum captiuitate debilitatis, soli adhuc ex Græcia uniuersa Achæi nimis potentes tunc temporis Romanis uidebantur, non propter singularum ciuitatum nimias opes, sed propter conspirationem uniuersarum. nãq; Achæi licet per ciuitates ueluti per membra diuisi sint, unum tamen corpus & unum imperium habent, singularumq; urbium pericula mutuis uiribus propulsant. Quærentibus igitur Romanis causas belli, tempestiue fortuna querelas Spartanorum obtulit, quorum agros Achæi propter mutuum odium populabantur. Spartanis à senatu responsum est, legatos se ad inspiciendas res sociorum, & ad iniuriam demendam, in Græciam missuros, sed legatis occulte mandata data sunt, ut corpus Achæorum dissoluerent, singulasq; urbes proprij iuris facerent, quo faci-

lius ad obsequia cogerentur, & siquæ urbes contumaces essent, frangerentur. Igitur legati omnium ciuitatum principibus Corinthum euocatis decretum senatus recitant, quod cõsilij habeant aperiunt. expedire omnibus dicunt, ut singulæ ciuitates leges suas & iura sua habeant. Quod ut omnibus innotuit, uelut in furorẽ uersi uniuersum peregrinum populum trucidant. legatos quoque ipsos Romanorum uiolassent, nisi audito tumultu trepidi fugissent. Hæc ubi Romæ nunciata sunt, statim senatus Mumio cõsuli bellum Achaicum decernit. qui extemplo exercitu deportato, & omnibus strenue prouisis, pugnandi copiam hostibus fecit. sed Achæi uelut nihil negotij Romano bello suscepissent, ita apud eos neglecta omnia & soluta fuere. Itaque prædam non prælium cogitantes, uehicula ad spolia hostium reportanda duxerunt, & coniuges liberosq; suos ad spectanda certamina in montibus posuerunt. Sed prælio commisso ante oculos suorum cæsi, lugubre his spectaculum sui, & grauem luctus memoriam reliquerunt. coniuges quoq;, & liberi eorum de spectatoribus captiui facti, præda hostium fuere. urbs ipsa Corinthus diruitur, populus omnis sub corona uenditur, ut hoc exẽplo cæteris ciuitatibus metus nouarum rerum imponeretur. Dum hæc aguntur rex Syriæ Antiochus Ptolemæo maiori sororis eius filio regi Aegypti bellum infert, segni admodum, et cotidiana luxuria ita marcido, ut non solum regiæ maiestatis officia intermitteret, uerum etiam sensu hominis nimia sagina careret. Pulsus igitur regno ad fratrẽ minorẽ Ptolemæũ Alexandriã cõfugit, ꝑticipatoq; cũ eo regno Romã legatos ad sena-

tum mittunt, auxilia petunt, fidem societatis implorãt. mouere senatum preces fratrum. mittitur igitur legatus P. Popilius ad Antiochum, qui abstinere eum Aegypto, aut, si iam incessisset, excedere iuberet. Cum in Aegypto eum inuenisset, osculumq; ei rex obtulisset (nam coluerat inter caeteros P. Popilium Antiochus, cum Romae obses esset) tunc Popilius facessere interim priuatam amicitiam iubet, cum mandata patriae intercedãt, prolatoq; senatus decreto & tradito, cũ cunctari regẽ uideret, consultationemq; ad amicos referre, ibi Popilius, uirga, quam in manu gerebat, amplo circulo inclusum, amicos capere, & consulere iubet, nec prius inde exire, q̃ responsum senatui daret, aut pacem, aut bellum cum Romanis habiturũ. adeoq; haec asperitas animum regis fregit, ut pariturũ se senatui responderet. Reuersus in regnũ Antiochus decedit, relicto paruulo admodũ filio. cui cum tutores dati à populo essent patruus eius Demetrius, q obses Romae erat, cognita morte Antiochi fratris senatum adijt, obsidemq; se uiuo fratre uenisse, quo mortuo, cuius obses sit se ignorare, Dimitti igitur se ad regnum petendum equum esse, qđ sicuti iure gentium maiori fratri cesserit, ita nunc sibi, qui pupillũ aetate antecedat, deberi. Cũ se non dimitti animaduerteret à senatu tacito iudicio tutius apud pupillum, q̃ apud eum regnum futurũ arbitrante, specie uenandi ab urbe profectus, Hostiae tacitus cum fugae comitibus nauem conscendit. Delatus in Syriam secundo fauore omnium excipitur, regnumq; ei occiso pupillo à tutoribus traditur. Eodem tempore fermè Prusias rex Bithyniae consilium cepit interficiendi Nicomedis filij,

dum

dū consulere studet minoribus filijs, quos ex nouerca eius susceperat, & Romæ habebat. sed res adolescenti ab his, qui facinus susceperant, proditur, hortatiq; sunt, ut crudelitate patris prouocatus occupet insidias, & in authorem retorqueat scelus. nec difficilis persuasio fuit. Igitur cum accitus in patris regnum uenisset, statim rex appellatur. Prusias regno spoliatus à filio, priuatusq; redditus, etiam à seruis deseritur. cum in latebris ageret, non minori scelere, quàm filium occidi iusserat, à filio interficitur.

LIBER XXXV.

Emetrius, occupato Syriæ regno, nouitati suæ ociū periculosum ratus ampliare fines regni statuit, & opes augere finitimorum bellis. Itaq; Ariarathi regi Cappadociæ propter fastiditas sororis nuptias infestus fratrem eius Orophernē p iniuriam regno pulsum supplicem recepit. datumq; sibi honestum belli titulum gratulatus, eum restituere in regnum statuit. Sed Orophernes ingrato animo, inita cum Antiochiensibus pactione, offensis tunc à Demetrio, pellere ipsum regno, à quo restituebatur, consilium cepit. Quo cognito, Demetrius quidem uitæ eius, ne Ariarathes metu fraterni belli liberaretur, pepercit. Ipsum autem comprehensum, uinctumq; Seleuciæ custodiri iubet. Nec Antiochienses indicio territi à defectione destiterunt. Itaq; adiuuantibus & Ptolemæo rege Aegypti, & Attalo rege Asiæ, & Ariarathe rege Cappa-

dociæ bello à Demetrio lacessiti subornant Prompalũ quẽdã sortis extremæ iuuenem, q Syriæ uelut paternũ regnum armis repeteret, & ne qd contumeliæ deesset, nomen ei Alexãdri inditur, genitusq; ab Antiocho rege dicitur. tantũ odiũ Demetrij apud omnes erat, ut æmulo eius non uires regiæ tantũ, uerũ & generis nobilitas cõsensu oĩum tribueretur. Igitur Alexãder admirabili uarietate rerũ, pristinarũ sordiũ oblitus totius fermè oriẽtis uiribus succinctus, bellũ Demetrio infert, uictumq; uita pariter ac regno spoliat, q̃q̃ Demetrio nec animus in propulsando bello defuit. nã et prio prælio hostem fugauit, & regibus bellũ restituentibus multa milia cecidit in acie. Ad postremum tamen inuicto aĩo inter confertissimos hostes fortissime dimicans cecidit. Initio belli Demetrius duos filios apud hospitẽ suũ Gnidiũ cũ magno auri pondere demandauerat, ut & à belli piculis eximerentur. & (si ita sors tulisset) ultioni paternæ seruarentur. Ex his maior Demetrius annos pubertatis egressus, audita Alexandri luxuria, quẽ insperatæ opes, & alienæ felicitatis ornamenta, uelut captiuũ inter scortorũ greges desidem in regia tenebant, auxiliantibus Cretensibus, securũ ac nihil hostile metuẽtẽ aggreditur. Antiochienses quoq; ueterẽ patris offensã nouis meritis correcturi se ei tradũt. sed et milites paterni fauore iuuenis accensi prioris sacramenti religionem noui regis superbiæ præferentes, signa ad ad Demetriũ transferunt, atq; ita Alexander nõ minori impetu fortunæ desertus q̃ elatus, primo prælio uictus interficitur, deditq; pœnas & Demetrio, quem occiderat, & Antiocho, cuius mentitus originem fuerat.

LIBER

Ecupato paterno regno Demetrius, et ipse rerum successu corruptus uitijs adolescentiæ in segnitiem labitur, tantumq; contemptum apud omnes inertiæ, quantum odium ex superbia pater habuerat, contraxit. Itaque cum ab imperio eius passim ciuitates deficerent, ad abolendam segnitiæ maculam bellum Parthis inferre statuit. cuius aduentum nõ inuiti orientis populi uidere, & propter Arsacidæ regis Parthorũ crudelitatẽ, & quod ueteri Macedonum ĩperio assueti, noui populi superbiã idigne ferebãt. Itaq; cũ & Persarũ, et Elymæorum, Bactrianorumq; auxilijs iuuaretur, multis prælijs Parthos fudit. ad postremũ tamẽ pacis simulatione deceptus capitur. traductusq; per ora ciuitatum populis, qui desciuerant, in ludibriũ fauoris ostenditur. missus deinde in Hyrcaniã benigne & iuxta cultum pristinæ fortunæ habetur. Dum hæc agũtur, iterim in Syria Trypho, qui se tutorẽ Antiocho Demetrij priuigno substitui à populo laborauerat, occiso pupillo regnũ Syriæ iuadit. quo diu potitus tãdẽ exolescẽte fauore recentis imperij, ab Antiocho puero admodum, Demetrij fratre, qui in Asia educabatur, bello uincitur, rursusq; regnum Syriæ ad sobolem Demetrij reuertitur. Igitur Antiochus memor quod etiã pater propter superbiã inuisus, & frater propter segnitiem cõtemptus fuisset, ne in eadẽ uitia incideret, accepta in matrimonium Cleopatra uxore fratris, ciuitates, quæ uitio fraterni imperij defecerant, summa industria

persequitur, domitasq́; rursus regni terminis adijcit. Iudæos quoq; qui macedonico imperio sub Demetrio patre armis se in libertatem uindicauerant, subigit. quorum uires tantæ fuere, ut post hunc nullum Macedonũ regem tulerint, domesticisq́; imperijs usi Syriam magnis bellis infestauerint. Fuit nanque Iudæis origo damascena, quæ Syriæ nobilissima ciuitas est, unde & Aßyrijs regibus genus, & reginæ Semiramidi fuit, nomen urbi à Damasco rege inditum, in cuius honorem Syri sepulchrum Arathis uxoris eius pro templo coluere, deamq́; exinde sanctissimæ religionis habent. Post Damascum Azelus, mox Adores, Habraam, Israhel reges fuere. Sed Israhelem felix decem filiorũ prouentus maioribus suis clariorẽ fecit. Itaq; populũ in decem regna diuisum filijs tradidit, omnesq́; ex nomine Iudæ, qui post diuisionem decesserat, Iudæos appellauit, coliq́; eius memoriam ab oibus iussit, cuius portio omnibus accesserat. Minimus inter fratres ætate Ioseph fuit. cuius excellens ingenium ueriti fratres clam interceptum peregrinis mercatoribus uendiderunt. à quibus deportatus in Aegyptum cum magicas ibi artes sollerti ingenio pcepisset, breui ipsi regi pcarus fuit. nã & prodigiorũ sagacissimus erat, & somniorũ primus intelligentiam cõdidit, nihilq́; diuini iuris humaniq; ei incognitum uidebatur. adeo ut ẽt sterilitatẽ agrorum ante multos annos prouiderit, pijssetq́; omnis Aegyptus fame, nisi monitu eius rex edicto seruari p multos annos fruges iussisset. tãtaq; experimenta eius fuerunt, ut non ab hoie, sed à deo responsa dari uiderẽtur. Filius eius Moyses fuit, quẽ, præter paternæ scientiæ hæredi-

tatem,

[Marginal manuscript notes: "de habraa" (beside line 13); "ioseph." (beside line 20); "diuinas. nõ magicas." (beside lines 22–24); "moises" (beside last line)]

tatem, formæ etiam pulchritudo commẽdabat. Sed cũ scabiẽ Aegyptij et porriginem paterentur, responso moniti eum cum ægris, ne pestis ad plures serperet, terminis Aegypti pellunt. Dux igitur exulum factus sacra Aegyptiorũ furto abstulit, quæ repetentes armis Aegyptij domum redire tempestatibus compulsi sunt. Itaque Moyses damascena patria antiqua repetita montem Synæ occupat, quo septem dierum ieiunio per deserta Arabiæ cum populo suo fatigatus, cum tandem uenisset, septimum dierum more gentis sabbatum appellatum in omne æuum ieiunio sacrauit, quoniam ille dies famem illis erroremq; finierat. Et quoniam metu contagionis pulsos se ab Aegypto meminerant, ne eadem causa inuisi apud incolas forent, cauerunt, ne cum peregrinis communicarent, quod ex causa factum paulatim in disciplinam religionemq; conuertit. Post Moysem etiam eius filius Aruas sacerdos sacris ægyptijs mox rex creatur, semperque exinde hic mos apud Iudæos fuit, ut eosdem & reges & sacerdotes haberent. quorum iustitia religione permixta, incredibile quantum coaluere. Opes genti ex uectigalibus opobalsami creuere, quod in his tantum regionibus gignitur. Est nanq; uallis, quæ continuis montibus uelut muro quodã cincta ad instar castrorum clauditur. spaciũ loci ducenta milia iugera, nomine Hyericho dicitur. In ea ualle sylua est & ubertate & amœnitate arborũ insignis. Siquidem palmeto et opobalsameto distinguitur, Arbores opobalsami formam similem piceis arboribus habent, nisi q͂d sunt humiles magis, & in uinearũ morem excoluntur. hæ certo tempore anni bal-

samum sudant. Sed nō minor loci eius opacitatis, quàm ubertatis admiratio est. quippe cum toto orbe regionis eius ardentissimus sol sit, ibi tepidi aëris naturalis quædam, ac perpetua opacitas inest. In ea regione lacus est Asphaltites, qui propter magnitudinem et aquæ immobilitatem mortuum mare dicitur. nam neque uentis mouetur resistente turbinibus bitumine, quo aqua omnis stagnatur. neque nauigationis patiens est, quoniam omnia uita carentia in profundum merguntur, nec materiam ullam sustinet, nisi quæ alumine illutatur. Primus Xerxes rex Persarum Iudæos domuit. Postea cum ipsis Persis in ditionem Alexandri magni uenere, diuq; in potestate macedonici imperij subiecti Syriæ regno fuere. A Demetrio cum desciuissent, amicitia Romanorum petita primi omnium ex orientalibus libertatem receperunt, facile tunc Romanis de alieno largiētibus. Per eadē tempora, quibus in Syria regni mutatio inter nouos reges alternabatur, in Asia rex Attalus florentissimum ab Eumene patre acceptum regnum cædibus amicorum & cognatorum supplicijs fœdabat, nunc matrem anum, nunc Beronicem sponsam maleficijs eorum necatas confingens. Post hanc scelestam uiolentiæ rabiem squallidam uestem sumit, barbam capillumq; in modum reorum summittit, non in publicum prodire, non populo se ostendere, non domi lætiora conuiuia inire, aut aliquod signum sani hominis habere, prorsus ut pœnas pendere manibus interfectorū uideretur. Omissa deinde regni administratione hortos fodiebat, gramina seminabat, & noxia innoxijs permiscebat, eaque omnia ueneni succo infecta, uelut

peculiare

peculiare munus, amicis mittebat. ab hoc studio æra-
riæ artis fabricæ se tradit, cæteris'que fingendis &
ære fundendo, procudendóque oblectatur. Matri dein
de sepulchrum facere instituit, cui operi intentus mor-
bum ex solis ardore contraxit, & septima die decesſ-
sit. Huius testamento hæres populus Romanus tunc in-
stituitur. Sed erat ex Eumene Aristonicus non iusto ma
trimonio, sed ex pellice ephesia citharistæ cuiusdam
filia genitus, qui post mortem Attali uelut paternum
regnum inuasit Asiam. Cum multa secunda prælia
aduersus ciuitates, quæ metu Romanorum se tradere
ei nolebant, fecisset, iustus'que rex iam uideretur, Asia
Licinio Crasso consuli decernitur. qui intentior Atta-
licæ prædæ quàm bello, cum extremo anni tempore
inordinata acie prælium conseruisset, uictus pœnas
inconsultæ auaritiæ sanguine dedit. In huius locum
missus Perpenna consul prima congressione Aristoni-
cum superatum in potestatem suam redegit. Attali-
cas'que Gazas hæreditarias populi Romani nauibus
impositas Romam deportauit. Quod ægre ferens suc-
cessor eius Marcus Aquilius consul ad eripiédum Ari
stonicum Perpennæ, ueluti sui potius triumphi mu-
nus esse deberet, festinata uelocitate contendit. sed con-
tentionem consulum mors Perpennæ diremit. Sic Asia
facta Romanorum cum opibus suis uitia quoque Ro-
mam transmisit.

LIBER TRIGESIMVSSEPTIMVS.

Capto Aristonico Massilienses pro Phocensibus conditoribus suis, quorum urbem senatus & omne nomen (quod et tunc, et ante, Antiochi bello, infesta contra populũ romanum arma tulerant) deleri iusserat, legatos Romam misere deprecatum, ueniamq́; ijs à senatu obtinuere. Post hæc regibus, qui aduersus Aristonicum auxilia tulerant, præmia persoluta. Mithridati pontico Phrygia maior. filijs Ariarathis regis Cappadociæ, qui eodem bello ceciderat, Lycaonia et Cilicia datæ, fideliorq́; populus Romanus i socij filios, q̃ mater i liberos fuit. qppe hic paruulis auctum regnum, inde uita adẽpta. Nãq; Laodice ex numero sex filiorũ, quos uirilis sexus ex Ariarathe rege susceperat, timens ne non diutina regni administratione adultis quibusdam potiretur, quinque parricidiali ueneno necauit, unum paruulũ sceleri matris cognatorum custodia eripuit. q post necem Laodices (nã propter crudelitatem eã populus extinxerat) solus regno potitus est. Mithridates quoq; repentina morte interceptus filium, q & ipse Mithridates dictus est, reliquit. cuius ea postea magnitudo fuit, ut non sui tantum temporis, uerum etiam superioris ætatis omnes reges maiestate superauerit, bellaq́; cum Romanis p. XLVI. annos uaria uictoria gesserit. quem summi imperatores Sylla, Lucullus cæteriq́;, in summa Cneus Pompeius ita uicerint, ut maior clariorq́; resurgeret in restaurando bello, damnisq́; suis terribilior redderetur. Deniq; ad

postremum

postremum non ui hostili, sed uoluntaria morte, in auito regno senex hærede filio decessit. Huius futurã magnitudinem etiam cælestia ostenta prædixerant. nam, & quo genitus est anno, & eo, quo regnare primum cœpit, stella cometes per utrunque tempus septem diebus ita luxit, ut cœlum omne conflagrare uideretur. nam & magnitudine sui quartam partem cœli occupauerat, & fulgore sui solis nitorem uicerat, & cum oriretur occumberetq;, quatuor spacium horarum consumebat. Puer tutorũ insidias passus est, qui eum fero equo impositum equitare iaculariq; cogebant. qui conatus cũ eos fefellisset, supra ætatem regente equũ Mithridate, ueneno eum appetiuere. quod metuens antidota sæpius bibit, & ita se aduersus insidias exquisitioribus remedijs stagnauit, ut ne uolens quidem senex ueneno mori potuerit. Timens deinde ne inimici, quod ueneno nõ potuerant, ferro peragerent, uenandi studium finxit. quo per septẽ annos neq; urbis, neq; ruris tecto usus est, sed per syluas uagatus diuersis montium regionibus pernoctabat, ignaris omnibus, quibus esset locis, assuetus feras cursu aut fugere aut persequi, cum qbusdam etiam uiribus congredi. quibus rebus et insidias uitauit, et corpus ad omnem uirtutis patientiam durauit. Ad regni deinde administrationem cum accessisset, statim non de regendo, sed de augendo regno cogitauit. Itaq; Scythas inuictos antea, qui Zopyriona Alexandri magni ducem cum triginta milibus armatorum deleuerant, qui Cyrum Persarum regem cum ducentis milibus armatorum trucidauerant, qui Philippum Macedonum regẽ fugauerant, ingenti felicitate perdomuit. Auctus igitur

uiribus Pontum quoq; ac deinceps Cappadociam occupauit. Cum de Asia tractaret, tacitus cum quibusdam amicis à regno profectus, uniuersam nemine sentiēte peruagatus est, omniumq; urbium situs ac regiones cognouit. Inde Bithyniam transcendit, et quasi iam dominus Asiæ opportuna quæq; uictoriæ metitus ē. Post hæc in regnum, cum iam periisse crederetur, reuersus est, inuento paruulo filio, quem per absentiam eius Laodice soror uxorq; enixa fuerat. sed inter gratulationem post longam peregrinationem aduentus sui, & filii geniti, ueneno periclitatus est. siquidem Laodice, cū periisse eum crederet, in concubitus amicorum proiecta, quasi admissum facinus maiore scelere tegere posset, uenenum aduenienti parauit. quod cum ex ancilla Mithridates cognouisset facinus in authores uindicauit. Hyeme deinde imminente non in conuiuio, sed in campo, non in uacationibus, sed in exercitationibus, nec inter sodales, sed inter æquales, aut equo, aut cursu, aut uiribus contendebat. exercitum quoque suum ad parem laboris patientiam cotidiana exercitatione durabat. atq; ita inuictus ipse inexpugnabilem exercitum fecerat. Inita deinde cum Nicomede societate Paphlagoniam inuadit, uictamq; cum socio diuidit. quam cum teneri à regibus senatui nūciatum esset, legatos ad utrunque misit, qui gentem restitui in pristinum statum iuberent. Mithridates cum se parem iam magnitudini Ro. crederet, superbo responso hæreditarium patri suo regnum obuenisse respondit, mirariq; se, quod quæ ei controuersia relata non fuerit, sibi referatur. nec territus minis Galatiam quoq; occupat. Nicomedes quoniam

se tueri iure non poterat, iusto regi redditurum respon dit. atque ita filium suum mutato nomine Philæmenem Paphlagonum regum nomine appellat, &, quasi stirpi regiæ reddidisset, regnum falso nomine tenet. Sic ludibrio habiti legati Romam reuertuntur.

LIBER TRIGESIMVSOCTAVVS.

m Ithridates parricidia à nece uxoris au spicatus, sororis alterius Laodices filios, cuius uirum Ariarathem regem Cappadociæ p Gordium insidijs occiderat, tollẽdos statuit, nihil actũ morte patris existimans, si adolescentes paternum regnum, cuius ille cupiditate flagrabat, occupassent. Igitur dũ in his cogitationibus uersatur, interim Nicomedes rex Bythiniæ uacuam morte regis Cappadociã inuadit. Quod cum nũciatum Mithridati fuisset, p simulationẽ pietatis auxilia sorori, ad pellendũ Cappadocia Nicomedem, mittit. sed iam Laodice p pactionẽ se Nicomedi in matrimonium tradiderat. quod ægre ferẽs Mithridates, præsidia Nicomedis Cappadocia expellit, regnumq; sororis filio restituit. egregium prorsus factum, nisi subsecuta fraus esset. siqdem interiectis diebus simulat se Gordium, quo ministro usus in Ariarathe interficiendo fuerat, restituere in patriam uelle, sperans si obsisteret adolescẽs, causas belli futuras, aut si permitteret, p eundem filiũ tolli posse, per quem interfecerat patrem. Quod ubi Ariarathes iunior moliri cognouit, indigne ferens interfectorem patris p auunculum potissimum ab exilio

reuocari, ingentem exercitum contrahit. Igitur cum in aciem eduxisset Mithridates peditum octoginta milia, equitum X. milia, currus falcatos DC. nec Ariarathi auxiliantibus finitimis regibus, minores copiæ essent, incertum belli timens consilia ad insidias transfert, sollicitatoq; iuuene ad colloquium, cum ferrum occultatum inter fascias gereret, scrutatori ab Ariarathe regio more misso curiosius imum uentrem pertrectanti ait, caueret ne aliud telum inueniret, quàm quæreret, atque ita risu protectis insidijs, seuocatum ab amicis uelut in secretum sermonem, spectante utroque exercitu interficit, regnum Cappadociæ VIII. annorum filio imposito Ariarathis nomine, additoq; ei rectore Gordio, tradit. Sed Cappadoces crudelitate ac libidine præfectorum uexati à Mithridate deficiunt, fratremq; regis, & ipsum Ariarathem nomine, ab Asia, ubi educabatur, reuocant, cum quo Mithridates prælium renouat, uictumq; Cappadociæ regno expellit. nec multo post ex ægritudine adolescens collecta infirmitate decedit. Post huius mortem Nicomedes timens ne Mithridates accessione Cappadociæ etiam Bithyniam finitimam inuaderet, subornat puerum eximiæ pulchritudinis, quasi Ariarathes tres non duos filios genuisset, qui à senatu Romano paternum regnum peteret. uxorẽ quoq; Laodicem Romam mittit ad testimonium triũ ex Ariarathe susceptorum filiorum. Quod ubi Mithridates cognouit, & ipse pari impudentia Gordium Romã mittit, qui senatui assereret puerum, cui Cappadociæ regnum tradiderat ex eo Ariarathe genitum, qui belli Aristonici auxilia Romanis ferens cecidisset. Sed senatus

studia regum intelligens aliena regna falsis nominibus furantium dare noluit, & Mithridati Cappadociam, & Nicomedi ad solatium eius Paphlagoniam ademit. Ac ne contumelia regum foret ademptum illis, quod alijs daretur, uterq; populus libertate donatus est. Sed Cappadoces munus libertatis abnuentes negant uiuere gentem sine rege posse. itaq; rex illis à senatu Ariobarzanes constituitur. Erat eo tempore Tigranes rex Armeniæ obses à Parthis ante multum tempus datus, nec olim ab ijsdem in regnum paternum remissus. hunc Mithridates mire ad societatẽ Romani belli, quod olim meditabatur, pellicere cupiebat. Nihil igitur de offensa Romanorum sentientem per Gordiũ impellit, ut Ariobarzani segni admodum bellum inferat, & ne qs dolus subesse uideretur, filiam Cleopatram ei in matrimonium tradit. Primo ergo aduentu Trigranis Ariobarzanes sublatis rebus suis Romam contendit, atque ita ꝑ Tigranem rursus Cappadocia iuris esse Mithridatis cœpit. Eodem tempore mortuo Nicomede filius eius & ipse Nicomedes regno à Mithridate pellitur. qui cum supplex Romam uenisset, decernitur in senatu, ut uterque in regnum suum restituatur, in quod tamen missi Aquilius Manlius & Manius Attilius legati. His cognitis Mithridates societatem cum Tigrane, bellum aduersus Romanos gesturus, iungit, pactiq; inter se sunt, ut urbes agriq; Mithridati, homines uero & quæcunque auferri possent Tigrani cederent. Post hæc Mithridates intellecto, quantum bellum suscitaret, legatos ad Cimbros. alios ad Gallogræcos, & Sarmatas, Bastarnasq; auxilium petitum mittit. nam omnes has

gentes, cum Romanum meditaretur bellum, uarijs beneficiorum muneribus iam ante illexerat. à Scythia quoq; exercitum uenire iubet, omnemq; orientẽ aduersus Romanos armat. Nõ igitur magno labore Aquiliũ & Maniũ Attilium asiano exercitu instructos uicit. q̃bus simul cũ Nicomede pulsis ingenti fauore ciuitatum excipitur. Multum ibi auri argentiq; studio ueterum regum, magnũq; belli apparatum inuenit. quibus instructus debita ciuitatibus publica & priuata remittit, et uacationem quinquennio concedit. Tunc ad concionem milites uocat, eosq; uarijs exhortationibus ad Romana bella siue Asiana incitat. quam orationem dignam duxi in exemplum breuitati huius operis inserere, quã obliquã Pompeius Trogus exposuit, quoniã in Liuio et Sallustio reprehẽdit, q̃d cõciones directas ac orationes operi suo inserendo historiæ modum excesserint. Optãdũ sibi fuisse ait, ut de eo liceret consulere, bellum ne sit cum Romanis, an pax habenda. quando uero sit insistendum impugnantibus, nec eos quidem dubitare, quin spe uictoriæ careant. quippe aduersus latrones, si nequeant pro salute, pro ultione tamen sua omnes ferrum stringere. Cæterum quia non id agitur, an liceat quiescere, non tantum animo hostiliter, sed etiam prælio congressis, consulere, qua ratione ac spe cœpta bella sustineant. esse tamen sibi uictoriæ fiduciam, si sit illis animus, Romanosq; uinci posse cognitum non sibi magis, q̃ ipsis militibus, qui in Bythinia Aquilium & Manium Attilium in Cappadocia fuderint. at si quẽ aliena magis exempla, q̃ sua experimenta moueant, audire se à Pyrrho rege Epiri non amplius, q̃ quinq;

milibus Macedonum inſtructo fuſos tribus prælijs Ro=
manos. audire Annibalem. XVI. annos Italiæ uicto-
rem immoratum, & quin ipſam caperet urbem, non
Romanorum illi uires obſtitiſſe, ſed domeſticæ æmula-
tionis atq; inuidiæ ſtudium. audire populos tranſalpi=
næ Galliæ Italiam ingreſſos maximis eā plurimiſq;
urbibus poſſidere, & latius aliquanto ſolum finium,
q̄ in Aſia, quæ dicatur imbellis, eoſdem Gallos occu-
paſſe, nec uictam ſolum dici Romam à Gallis, ſed etiam
captam, ita ut unius illi montis tantum cacumen relin=
queretur, nec bello hoſtem, ſed precio remotum. Gallo-
rum autem nomen, quod ſemper Romanos terruit, in
partem uirium ſuarum ipſe habeat. nam hos, q Aſiā
incolunt, Gallos ab illis, qui Italiam occupauerant, ſe=
dibus tantum diſtare, originem qdem, ac uirtutem, ge=
nuſq; pugnæ idem habere, tantoq; his ſagaciora eē in=
genia, q̄ illis, quanto longiori ac difficiliori ſpacio per
Illyricū Thraciamq; prodierunt, penè opioſius tranſi-
tis illorū finibus, q̄ ubi conſedere, poſſeſſis. Iā ipſam Ita
liam audire ſe nunq̄, ut Roma condita ſit, ſatis illi pa-
catā, ſed aſſidue p omnes annos pro libertate contra
alios, contra quoſdā etiam pro iure imperij bellis cō=
tinuis perſeueraſſe. & à multis ciuitatibus Italiæ dele
tos Romanorū exercitus ferri, à qbuſdam nouo cōtu-
meliæ more ſub iugū miſſos. ac ne ueteribus immo-
retur exemplis, hoc ipſo tempore uniuerſam Italiā bel
lo marſico conſurrexiſſe, non iam libertatem, ſed conſor
tiū imperij ciuitatiſq; poſcentē, nec grauius uicinæ Ita
liæ bello, q̄ domeſticis principū factionibus urbem pre=
mi, multoq; periculoſius acceſſiſſe italico ciuile bellum.

Simul & à Germania Cimbros immensa mulia ferorũ atq; immitium populorum more procellæ inundasse Italiam. quorũ tam & si singula bella sustinere Romani possent, uniuersis tamen obruantur, ut ne uacaturos quidem bello suo putent. Vtendũ igitur occasione et rapienda incrementa uirium, ne si illis occupatis quieuerint, mox aduersus uacuos & quietos maius negotiũ habeant. non enim quæri an capienda sint arma, sed utrum sua potius occasione an illorũ. nam bellum equidem iam tunc secum ab illis geri cœptum, cum sibi pupillo maiorem Phrygiam ademerint, quam patri suo præmium dati aduersum Aristonicum auxilij concesserant, gentem, quã & proauo suo Mithridati Seleucus Callinicus in dotem dedisset. Quid cum Paphlagonia se decedere iusserunt, non alterum illud genus belli fuisse, quæ non ui, non armis, sed adoptione testamenti, & regum domesticorum interitu hæreditaria patri suo obuenisset? cum hac decretorum amaritudine parendo non tamen eos mitigari, & quin acerbius se in dies gerant, non obtinuisse. Quod enim à se non præbitum illis obsequium? non Phrygiam, Paphlagoniãq; dimissas, non Cappadocia filium eductum, quam iure gentium uictor occupauerat. Raptum tamen sibi esse uictoriæ ius ab illis, quorũ nihil est nisi bello quæsitum. Nõ regem Bithyniæ Chreston, in quẽ senatus arma decreuerat, à se in gratiam illorum occisum? tamen nihilominus imputari sibi, si qua Gordius aut Tigranes faciant. Libertatem etiã in contumeliã sui à senatu ultro delatam Cappadociæ, quã reliquis gentibus abstulerũt. deinde populos Cappadocum pro libertate ob-

lata

lata Gordium regem orantes ideo, tanq̃ amicus suus esset, non obtinuisse. Nicomedem praecepto illorum bellum sibi intulisse, quia ultum se ierit, ab ipsis uentum obuiam, & nunc eam secum bellandi causam illis fore, quod non impune se Nicomedi saltatricis filio lacerandum praebuerit. quippe nõ delicta regum illos, sed uires ac maiestatem insequi, neq; in se uno, sed in alijs quoq; omnibus hac semper arte grassatos. Sic & auum suum Pharnacẽ per cognationum arbitria succidaneũ regi Pergameno Eumeni datum. Sic rursus Eumenẽ, cuius classibus primum in Asiam fuere transuecti, cuius exercitu magis q̃ suo & magnum Antiochum, & Gallos in Asia & mox in Macedonia regem Persem domuerant, & ipsum pro hoste habitum, eiq; interdictũ Italia, &, quod cum ipso deforme sibi putauerant, cũ filio eius Aristonico bellũ gessisse. Nullius apud eos maiora, q̃ Masinissae regis Numidarum haberi merita. Huic imputari uictum Annibalem, huic captum Syphacem, huic Carthaginem deletam, hunc inter duos illos Africanos tertiũ seruatorem urbis referri, tñ cũ huius nepote bellũ modo in Africa gestum adeo inexpiabile, ut ne uictum quidem memoriae aui donarent, quin carcerem ac triumphi spectaculum experiretur. Hanc illos omnibus regibus legem odiorum dixisse, scilicet quia ipsi tales reges habuerint, quorũ etiam nominibus erubescant, aut pastores Aboriginum, aut aruspices Sabinorum, aut exules Corinthiorũ, aut seruos uernasq; Thuscorum, aut (quod honoratissimũ nomen fuit inter hos) superbos, atque ut ipsi ferunt cõditores suos lupae uberibus altos, sic omnem illũ populum lupo-

rũ[?]aios habere inexplebiles sanguinis, atq; ĩ pij, diuitia rũq; auidos ac ieiunos. Se autẽ, seu nobilitate illis cõpa retur, clariorẽ illa colluuie conuenarũ eẽ, q̃ paternos maiores suos à Cyro Darioq; cõditoribus psici regni, maternos à magno Alexãdro, ac Nicatore Seleuco cõdi toribus imperij macedonici referat, seu populis eorum conferat suos, earũ se gentiũ esse, quæ non modo Romano imperio sint pares, sed macedonico quoq; obstite rint. Nullam subiectarum sibi gentiũ expertam peregrina imperia, nullis unquã nisi domesticis regibus pa ruisse. Cappadociã uelint, an Paphlagoniã recensere, rursus Pontum an Bithyniã, itemq; Armeniã maiorem minorẽq;, quarũ gẽtiũ nullam neq; Alexander ille q̃ totã pacauit Asiam, nec quisq̃ successorũ eius, aut poste rorũ attigisset. Scythiam duos ante se reges non pacare, sed tantum intrare ausos Dariũ & Philippũ, ægre inde fugam sibi expedisse. unde ipse magnam partem aduersus Romãos uiriũ haberet, multoq; se timidius ac diffidentius bella pontica ingressum, cum ipse rudis ac tyro esset. Scythas, præter arma uirtutẽq; animi, locorum quoque solitudinibus uel frigoribus instractos, per quæ denunciaretur ingens militiæ labor ac periculum. Inter quas difficultates ne spes quidẽ præmij foret ex hoste uago, nec tantum pecuniæ, sed etiam sedis inopi. Nunc se diuersam belli conditionem ingredi. nam neque cælo Asiæ esse temperantius aliud, nec solo fertilius, nec urbium multitudine amœnius, magnamq; temporis partem, non ut militiam, sed ut festum diẽ, acturos, bello dubium facili magis, an uberi, si modo proximas regni Attalici opes, aut ueteres Lydiæ Io-
niæq;

niæq; audierint, quas non expugnatum eant, sed possessum, tantumq; se auide expectet Asia, ut etiam uocibus uocet, adeo illis odium Romanorum incussit rapacitas proconsulum, exactio publicanorum, calumniæ litium. Sequantur se modo fortiter, & colligant, quid se duce possit efficere tantus exercitus, quem sine cuiusq̃ militum auxilio, suamet unius opera uiderint Cappadociam cæso rege cepisse, qui solus mortalium Pontum omnem Scythiamq; pacauit, quam nemo ante transire tuto, atque adire potuerit. nanque iustitiæ atque liberalitatis suæ ne ipsos milites, qui experiantur, testes refugere, & illa indicia habere, quod solus regum omnium non paterna solum, uerum etiam externa regna hæreditatibus propter munificentiam acquisita possideat, Colchos, Paphlagoniam, Bosphorum. Sic excitatis militibus post annos. XXIII. sumpti regni, in romana bella descendit. At in Aegypto mortuo rege Ptolemæo, ei, qui Cyrenis regnabat, Ptolemæo per legatos regnum & uxor Cleopatra regina soror ipsius defertur. Lætus igitur hoc solo Ptolemæus, quod sine certamine fraternum regnum recepisset, in quod subornari à matre Cleopatra, & fauore principum fratris filium cognouerat, cæterum infestus omnibus, statim ubi Alexandriam ingressus est, fautores pueri trucidari iussit. Ipsum quoque die nuptiarum, quibus matrem eius in matrimonium recipiebat, inter apparatus epularum & solennia religionum, in complexu matris interficit. atq; ita torum sororis cæde filij eius cruentus ascendit. Post quod non mitior in populares, qui cum in regnum uocauerant

fuit. siquidem peregrinis militibus licentia cædis data, omnia sanguine cotidie manabant, ipsamq; sororem, filia eius uirgine per uim stuprata, & in matrimoniũ ascita, repudiat. Quibus rebus deterritus populus in diuersa labitur, patriamq; metu mortis exul reliquit. Solus igitur in tanta urbe cum suis relictus Ptolemæus, cum regem se non hominum, sed uacuarum ædiũ uideret, edicto peregrinos sollicitat. quibus confluẽtibus obuius legatis Romanorũ Scipioni Africano, & Spurio Mũmio, & L. Metello, qui ad inspicienda sociorũ regna ueniebant, procedit. sed q̃ cruentus ciuibus, tam ridiculus Romanis fuit. erat enim & uultu deformis, & statura breuis, & sagina uentris non homini sed belluæ similis. quam fœditatem nimia subtilitas perlucidæ uestis augebat, prorsus quasi astu inspiciẽda præberentur, quæ omni studio occultanda pudibundo uiro erant. Post discessum deinde legatorum, quorum Africanus, dũ inspicit urbem, spectaculo Alexandrinis fuit, Ptolemæus iam ẽt populo peregrino inuisus, cum filio, quem ex sorore susceperat, & cum uxore matris pellice, metu insidiarum, tacitus in exilium proficiscitur, cõtractoq; mercenario exercitu bellum sorori pariter, ac patriæ infert. accersitum maximum deinde à Cyrenis filium, ne eum Alexandrini contra se regem crearẽt, interficit. Tunc populus statuas, & imagines eius detrahit. quod factum studio sororis existimans, filium, quem ex ea susceperat, interficit. corpusq; in membra diuisum & in cista impositum, matri, die natalis eius, inter epulas afferri curat. quæ res non reginæ tantũ, uerum etiam uniuersæ ciuitati acerba et luctuosa fuit.

tantumq;

tantumq; mœrorem festiuissimo conuiuio intulit, ut regia omnis repentino luctu incenderetur. uerso igitur studio principum ab epulis in exequias, membra lacerata populo ostendunt, & qd sperare de rege suo debeāt, filij cæde demonstrāt. Finito luctu orbitatis Cleopatra, cum urgeri se fraterno bello uideret, auxilium à Demetrio petit Syriæ Rege p legatos. cuius ipsius uarij & memorabiles casus fuere. Nanq; Demetrius (ut supra dictum est, cum bellum Parthis intulisset, & multis congressionibus uictor fuisset, repente circumuentus insidijs amisso exercitu capitur. cui Arsacides Parthorū rex magno & regio animo misso in Hyrcaniā, non cultum tantum regiū præstitit, sed & filiā in matrimoniū dedit. regnumq; Syriæ, quod per absentiam eius Trypho occupauerat, restituturū promittit. Post huius mortem desperato reditu non ferens captiuitatem Demetrius priuatam, & si opulentam uitam pertesus, tacitus in regnum fugam meditatur. hortator illi ac comes Calimander amicus erat, q post captiuitatem eius à Syria per Arabiæ deserta, ducibus pecunia comparatis, parthico habitu Babylonem peruenerat. Sed fugientem Phraates, q Arsacidæ successerat, equitum celeritate per compendiosos tramites occupatum retrahit. Vt est deductus ad regem, Calimandro quidem non tātum uenia, uerum etiam præmium fidei datum. Demetrium autem grauiter castigatum ad coniugem in Hyrcaniam remittit, & arctioribus custodijs obseruari iubet. Interiecto deinde tempore, cum fidem illi etiam suscepti liberi facerent, eodem amico comite repetita fuga est, sed pari infelicitate prope fines regni sui repre-

hendi*tur*, ac denuo perductus ad regem, ut inuisus, à conspectu summouetur. Tunc quoque uxori & liberis donatus in Hyrcaniam pœna sibi donata remittitur, talis'q; aureis ad exprobrationem puerilis leuitatis donatur. Sed hãc Parthorũ tam mitẽ in Demetrium clementiam non misericordia gentis, nec respectus cognationis faciebat, sed qđ Syriæ regnum affectabant, usuri Demetrio aduersus Antiochum fratrẽ, pro ut res, uel tempus, uel fortuna belli exegisset. His auditis Antiochus occupandum bellum ratus, exercitum, quèm multis finitimorum bellis indurauerat, aduersus Parthos ducit. Sed luxuriæ non minor apparatus, quàm militiæ fuit. Quippe octogita milia armatorũ secuta sunt. XXX. milia lixarum. Ex quibus coquorũ, pistorum, scænicorumq; maior numerus fuit, argenti certe auriq; tãtũ, ut etiam gregarij milites caligas auro figerent, proculcarentq; materiam, cuius amore populi ferro dimicant. Culinarũ quoq; argentea instrumenta fuere prorsus, quasi ad epulas non ad bella pergerent. Aduenienti Antiocho multi orientales reges occurrere, tradentes se regna'q; sua, cum execratione superbiæ parthicæ. nec mora congressioni fuit. Antiochus tribus prælijs uictor Babylonem cũ occupasset, magnus haberi cœpit. Itaq; oibus ad eũ deficientibus populis, nihil Parthis relictum, præter patrios fines, fuit. Tũc Phraates Demetrium in Syriam ad occupandum regnum cum parthico præsidio mittit, ut eo pacto Antiochus ad sua tuẽda à Parthia reuocaretur. Interim quoniam uiribus non poterat, insidijs Antiochũ ubiq; tentabat. Propter multitudinem hominum omnem exercitum suum An-

tiochus per ciuitates in hyberna diuiserat. Quæ res exitij causa fuit. nam cum grauari se copiarum præbitione & iniurijs militum ciuitates uiderent, ad Parthos deficiunt, & die statuta omnes apud se diuisum exercitum per insidias, ne inuicem ferre auxilia possent, aggrediuntur. quæ cum nunciata Antiocho essent, auxilium proximis laturus cum ea manu, quæ secum hyemabat, progreditur. In itinere obuium regem Parthorum habuit. aduersus quem fortius, quàm exercitus eius, dimicauit. ad postremum tamen, cum uirtute hostes uincerent, metu suorum desertus occiditur. cui Phraates exequias regio more fecit, filiam'que Demetrij, quam secum Antiochus adduxerat, captus amore uirginis uxorem duxit. pœnitere deinde dimissi Demetrij cœpit. ad quem retrahendum cum turmas equitum festinato misisset, Demetrium hoc ipsum metuentem iam in regno missi inuenerunt, frustraque omnia conati ad regem suum reuersi sunt.

LIBER XXXIX.

A Ntiocho in Parthia cum exercitu deleto, frater eius Demetrius obsidiõe Parthorum liberatus ac restitutus in regnum, cum omnis Syria in luctu pro pter amissum exercitum esset, quasi parthica ipsius ac fratris bella, qbus alter captus, alter occisus erat, prospere cessissent, ita Aegypto bellũ inferre statuit, regnum Aegypti Cleopatra socru precaũ

auxilij aduersus fratrem suũ pollicente. Sed dum aliena affectat (ut assolet fieri) propria p defectionem Syriæ amisit. Siquidem Antiochienses primi duce Tryphone execrantes superbiam regis, quæ conuersatione parthicæ crudelitatis intolerabilis facta erat, mox Apameni, cæteræq; ciuitates exemplum secutæ p absentiã regis à Demetrio defecere. Ptolemæus uero rex Aegypti bello ab eodem petitus, cum cognouisset Cleopatram sororem suam, opibus Aegypti nauibus impositis, ad filiam et Demetrium generum in Syriam profugisse, immittit iuuenem quendam ægyptium Protarchi negociatoris filium, qui regnum Syriæ armis peteret. composita fabula, quasi per adoptionem Antiochi regis receptus in familiã regiam esset, nec Syris quẽlibet regem aspernantibus, ne Demetrij paterentur superbiam. nomen iuueni Alexander imponitur, auxiliaq; ab Aegypto ingentia mittuntur. Interea corpus Antiochi interfecti à rege Parthorum in loculo argenteo ad sepulturam in Syriam remissum superuenit, quod cum ingenti studio ciuitatum et regis Alexandri ad firmandã fabulæ fidem excipitur. quæ res illi magnum fauorem populariũ conciliauit omnibus non fictas in eo, sed ueras lachrymas, existimantibus. Demetrius autem uictus ab Alexandro, cum undiq; circunstantibus malis premeretur, ad postremũ etiam ab uxore filijsq; deseritur. relictus igitur, cum paucis seruulis cum Tyrum religione templi se defensurus petisset, naui egrediens præfecti iussu interficitur. Alter ex filijs Seleucus, quoniã sine matris authoritate diadema sumpsisset, ab eadem interficitur. alter cui propter nasi magnitudinem

gnitudinem cognomen Grypo fuit, rex à matre hacte-
nus constituitur, ut nomen regis penès filium, uis autem
omnis imperij penès matrē esset. Sed Alexander occu
pato Syriæ regno tumens ex successu rerum, spernere
iam etiam ipsum Ptolemæum, à quo fuerat in regnum
subornatus, superba insolentia cœpit. Itaq; Ptolemæus
reconciliata sororis gratia destruere Alexādri regnū,
quod odio Demetrij uiribus suis acqsierat, summis opi
bus instituit. Mittit ergo ingentia Grypo auxilia, & fi
liam Gryphinam Grypo nupturam, ut populos in au=
xilium nepotis, non societate tantum belli, uerum etiā
affinitate sua sollicitaret. Nec res frustra fuit. nam cum
omnes Grypum instructum ægyptijs uiribus uiderēt,
paulatim ab Alexandro deficere cœpere. Fit deinde
inter reges prælium. quo uictus Alexander Antiochiā
profugit. Ibi inops pecuniæ, cum stipendia militibus
deessent, i templo Iouis solidum ex auro uictoriæ signū
tolli iubet, facetis iocis sacrilegium circunscribens. nā ui
ctoriam commodatam sibi à Ioue esse dicebat. Interie=
ctis deinde diebus cum ipsius Iouis aureum simulacrū
infiniti ponderis tacite euelli iussisset, deprehēsusq; in
sacrilegio concursu multitudinis in fugam esset uersus,
magna ui tempestatis oppressus ac desertus à suis, à la
tronibus capitur, perductusq; ad Grypum interficitur.
Grypus porrò recuperato patrio regno externisq; pe
riculis liberatus, insidijs matris appetitur. quæ cum, cu
piditate dominationis prodito marito Demetrio, & al=
tero filio interfecto, huius quoq; uictoria inferiorem di=
gnitatem suam factam doleret, uenienti ab exercita=
tione ueneni poculum obtulit. Sed Grypus, prædictis

ante iam insidijs, ueluti pietate cum matre certaret, bibere ipsam iubet, abnuenti instat, postremum prolato indice eam arguit, solam defensionem sceleris superesse affirmans si bibat, quod filio obtulit. sic uicta regina scelere in se uerso, ueneno, quod alij parauerat, extinguitur. Parta igitur regni securitate Grypus octo annis quietem & ipse habuit, & regno suo præstitit. natus deide illi est æmulus regni frater ipsius Cyzicenus eadem matre genitus, sed ex Antiocho patruo susceptus. quē cum ueneno tollere uoluisset, ut maturius cum eodem armis de regno contenderet excitauit. Inter has regni Syriæ parricidiales discordias, moritur rex Aegypti Ptolemæus, regno Aegypti uxori, & alteri filio, quem illa legisset relicto, uidelicet quasi quietior Aegypti status, quàm Syriæ regnum esset, cum mater, altero ex filijs electo, alterum hostem esset habitura. Igitur cū pronior in minorem filium esset, à populo compellitur maiorem eligere, cui prius, quàm regnum daret uxorem ademit, compulsumq; repudiare carissimam sibi sororem Cleopatram, minorem sororem Selenen ducere iubet, non materno inter filias iudicio, cum alteri maritum eriperet, alteri daret. Cleopatra uero nō tam à uiro repudiata, quàm à matre diuortio uiri dimissa Cyziceno in Syria nubit, eiq; ne nudū nomen uxoris afferret, exercitum Grypi sollicitatum uelut dotalē ad maritum deducit. Par igitur uiribus fratris iam factus Cyzicenus prælium committit, ac uictus in fugam conuertitur, Antiochiamq; uenit. Tunc Antiochiam Grypus, in qua erat Cyziceni uxor Cleopatra, obsidere cœpit. qua capta Gryphina uxor Grypi nihil

antiquius, quàm sororem Cleopatram requiri, duxit, non ut captiuæ opem ferret, sed ne effugere captiuitatis mala posset, quæ sui æmulatione in hoc potissimum regnum inuaserit, hostiq; sororis nubendo hostem se eius effecerit. Tum peregrinos exercitus in certamina fratrum adductos, tum repudiatam à fratre, & contra matris uoluntatem extra Aegyptum nuptam accusat. Contra Grypus orare ne tam fœdum facinus facere cogatur, à nullo unquam maiorũ suorum, inter tot domestica, tot externa bella, post uictum hostem in fœminas sæuitum, quas sexus ipse et periculis bellorum & sæuitiæ uictorum eximat. In hac uero, præter commune bellantiũ fas, accedere necessitudinem sanguinis. quippe ipsius, cui tam cruente sæuiat sororem equidẽ germanam esse, suam uero consobrinam, liberorum deinde communium materteram. His tot necessitudinibus sanguinis adijciat superstitionem templi, quo abdita profugerit, tantoq; religiosius colendos deos sibi, quo magis his propitijs ac fauentibus uicisset, tum neque occisa illa se uirium quicquam Cyziceno dempturum, nec seruaturum reddita. Sed quanto Grypus abnuit, tanto soror muliebri pertinacia accenditur, rata nõ misericordiæ hæc uerba, sed amoris esse. Itaque uocatis ipsa militibus mittit, qui sororem confoderent. qui ut in templum intrauerunt, cum euellere eam non possent, manus amplexantes deæ simulacrum præciderunt. Tunc Cleopatra execratione parricidarum mandata uiolatis numinibus in ultionem sui decedit. nec multo post repetita prælij congressione uictor Cyzicenus uxorem Grypi Gryphinam, quæ pauloante sororem interfe-

cerat, capit, eiusq; supplicio uxoris manibus parentauit. At in Aegypto Cleopatra, cum grauaretur socio regni filio Ptolemæo, populum in eum incitat. abductaq; ei Selene uxore eo indignius, quod ex Selene iam duos filios habebat, exulare cogit. accersito minori filio Alexandro, & rege in locum fratris constituto, nec filium regno expulisse contenta bello Cypri exulantem persequitur. unde pulso interficit ducem exercitus sui, quod uiuum eum è manibus emisisset, quanquam Ptolemæus uerecundia materni belli, non uiribus minor, ab insula recessisset. Igitur Alexander territus hac matris crudelitate, & ipse eam reliquit, periculoso regno securam ac tutam uitam anteponens. Cleopatra uero timens, ne maior filius Ptolemæus ab Cyziceno ad recuperandum Aegyptum auxilijs iuuaretur, ingentia Grypo auxilia & Selenen uxorem nupturã hosti prioris mariti mittit, Alexandrumq; filium per legatos in regnum reuocat. cui cum occultis insidijs exitium machinaretur, occupata ab eodem interficitur, spiritumq; non fato, sed parricidio dedit. digna prorsus hac mortis infamia, quæ etiam matrem toro expulit, & duas filias uiduas alterno fratrum matrimonio fecit, & filio alteri in exilium acto bellum intulit, alteri erepto regno exitium per insidias machinata est. Sed nec Alexandro cædes tam nefanda inulta fuit. nam, ubi primum compertum est per scelus filij matrem interfectam, concursu populi in exilium agitur. reuocatoq; Ptolemæo in regnum redditur, qui neque cum matre bellum gerere uoluisset, nec à fratre armis repetere, quod prior posedisset. Dum hæc aguntur frater eius ex pellice suscæ-

ptus, cui pater Cyrenarum regnum testamento reliquerat, hærede populo Romano, decessit. Iam enim fortuna Romana porrigere se ad orientalia regna, non contenta Italiæ terminis cœperat. Itaque & ea pars Libyæ prouincia facta est, postea Creta Ciliciaq; piratico bello perdomitæ in formam prouinciæ rediguntur. quo facto & Syriæ & Aegypti regna, cum uicinitate Romana arctata, quæ incrementa de finitimis bellis quærere solebant, adempto uagandi arbitrio uires suas in perniciem mutuam conuerterunt, adeo ut assiduis prælijs consumpti in contemptum finitimorum uenerint, prædæq; Arabum genti imbelli antea fuerint. Quorum rex Herotimus fiducia septingentorum filiorum, quos ex pellicibus susceperat, diuisis exercitibus nunc Aegyptum nunc Syriam infestabat, magnumq; nomē Arabum uiribus finitimorum exanguibus fecerat.

LIBER QVADRAGESIMVS.

m Vtuis fratrum odijs, mox & filiorum inimicitijs succedentibus, cum inexpiabili bello & reges & regnum Syriæ consumptum esset, ad externa populus auxilia concurrit, peregrinos'que sibi reges circunspicere cœpit. Itaque cum pars Mithridatem ponticum, pars Ptolemæum ab Aegypto arcessendum censeret, occurreretq;, quod Mithridates implicitus bello Romano esset, Ptolemæus quoq; hostis Syriæ semper fuisset, omnes in Tigranem regem Armeniæ consenserunt, instructum præter dome=

sticas uires & parthica societate & Mithridatis affini tate. Igitur acitus in regnũ Syriæ per XVIII. annos tranquillissimo regno potitus est, neque bello alium la cessere, neq; lacessitus inferre alij bellum necesse habuit. Sed sicut ab hostibus tuta Syria fuit, ita terræmotu ua stata est, quo CLXX. hominũ milia, et multæ urbes pe rierunt. quod prodigium mutationem rerum portende re aruspices responderunt. Igitur Tigrane à Lucullo ui cto rex syriæ Antiochus Cyziceni filius ab eodem Lu cullo appellatur. Sed q̃d Lucullus dederat, postea ade mit Pompeius. qui poscenti regnum respondit, ne uolen ti quidem Syriæ, nedum recusanti, daturum se regem, qui XVIII. annos, quibus Tigranes Syriam tenuit in angulo Ciliciæ latuerit. uicto autem eodem Tigrane à Romanis alieni operis præmia postulet. Igitur ut ha benti regnum non ademerit, ita quod cesserit Tigrani, non daturum, quod tueri nesciat, ne rursus Syriam Iu dæorum & Arabum latrocinijs infestam reddat. Atque ita Syriam in prouinciæ formam redegit, pau latimq; oriens Romanorum, discordia consanguineo rum regum, factus est.

LIBER XLI.

P Arthi penes quos, uelut diuisione orbis cum Romanis facta, nunc orientis imperium est, Scytharum exules fuerũt. hoc etiam ipsorum uocabulo manifesta tur. nam scythico sermone parthi exu les dicuntur. Hi & Assyriorum & Medorum tempo-

ribus inter orientales populos obscurissimi fuere. Postea quoq;, cum imperium orientis à Medis ad Persas trãslatum est, ueluti uulgus sine nomine, præda uictorum fuere. Postremo Macedonibus triumphato oriẽte seruierunt, ut cuiuis mirum uideatur, ad tantum eos felicitatem prouectos, ut imperent gentibus, sub quarum imperio ueluti seruile uulgus fuere. À Romanis quoque trinis bellis per maximos duces florentissimus temporibus lacessiti, soli ex omnibus gentibus non solum pares, uerum etiam uictores fuere. quãq̃ plus gloriæ sit inter Assyria & Medica Persicaq; memorata olim regna, & opulentissimum illud mille urbium Bactrianum imperiũ, emergere potuisse, quàm longinqua bella uicisse, præterea cum grauibus scythicis & uicinalibus bellis assidue uexati, uarijsq; periculorum certaminibus urgerentur, hi domesticis seditionibus Scythia pulsi solitudines inter Hyrcaniam, & Dacas, & Areos, & Spartanos, et Maianos furtim occupauere. fines deinde, non intercedentibus primo finitimis, postea etiam prohibentibus, in tantum protulere, ut nõ immensa tantum iam ac profunda camporum, uerum etiam prærupta collium montiumq; ardua occupauerint. ex quo fit ut Parthiæ pleraque finium aut æstus aut frigoris magnitudo possideat, quippe cum montes nix, & campos æstus infestet. Administratio gentis post defectionẽ Macedonici imperij sub regibus fuit. Proximus maiestati regum populorũ ordo est. ex hoc duces in bello, ex hoc rectores in pace habentur. Sermo his inter scythicum medicum medius, & utrisque mixtus. Vestis olim sui moris. postea quàm accessere opes, ut Me-

dis perlucida ac fluida. Armorū patrius ac scythius mos. Exercitum non ut aliæ gentes liberorum sed maiorem partem seruitiorum habent. quorū uulgus, nulli manumittendi potestate permissa, ac per hoc omnibus seruis nascentibus, in dies crescit. hos pari cura ac liberos suos habent, & equitare, & sagittare magna industria docent. locupletissimus ut quisq; est, ita plures in bello eqtes regi suo præbet. deniq; Antonio bellum Parthis inferenti cum. L. milia equitum occurrerēt soli. DCCC. liberi fuere. Cōminus in acie præliari nesciunt, obsessasq; expugnare urbes. Pugnant aut procurrentibus equis, aut terga dantibus, sæpe etiā fugam simulant, ut incautiores aduersus uulnera insequentes habeant. Signum his in prælio non tuba sed tympano datur, nec pugnare diu possunt. cæterū intolerādi forent, si quantus his impetus est, uis tanta & perseuerantia esset. plerunq; in ipso ardore certaminis prælia deserunt, ac paulopost pugnam ex fuga repetunt, ut cum maxime uicisse te putes, tunc tibi discrimen subeūdum sit. Munimētū ipsis equisq; loricæ sunt plumatæ, quæ utrinq; toto corpore tegunt. Auri argentiq; nullus, nisi in armis, usus. Vxores dulcedine uariæ libidinis singuli plures habent, nec ulla delicta adulterijs grauius uindicant. quam ob rem fœminis non conuiuia tantum zelo uirorum, uerum etiam conspectum interdicunt. Carne non nisi uenatibus quæsita uescuntur. Equis omni tempore uectantur, illis bella, illis conuiuia, illis publica ac priuata officia obeunt, super illos ire, consistere, mercari, colloqui. hoc denique discrimen inter seruos liberosq; esse, quod serui pedibus, li-

beri non nisi equis incedunt. Sepultura uulgo aut auiũ aut canum laniatus ẽ. Nuda demum ossa terra obruuntur. In superstitionibus ad curã deorũ præcipua oĩbus ueneratio est. Ingenia genti tumida, seditiosa, fraudulenta, procacia. quippe uiolentiã uiris, mansuetudinem mulieribus assignant. Semper aut in externos aut in domesticos motus inquieti, natura taciti, ad faciendũ q̃ ad dicendũ promptiores proinde secũda aduersaq; silentio tegunt. Principibus metu, non pudore, parent. In libidinem proiecti, in cibum parci, fides dictis, promissisq; nulla, nisi quatenus expedit. Post mortem Alexandri magni, cum inter successores eius orientis regna diuiderentur, nullo Macedonum dignante Parthorũ imperium, Stasanori externo socio traditur. Hi postea, deductis Macedonibus in bellum ciuile cum cæteris superioris Asiæ populis, Eumenem secuti sunt. quo uicto ad Antigonum transiere. Post hunc à Nicatore Seleuco, ac mox ab Antiocho, & successoribus eius possessi, à cuius pro nepote Seleuco primũ defecere, primo punico bello L. Manilio Vulsone, Attilio Regulo COSS. Huius defectionis impunitatem illis duorum fratrũ regum Seleuci & Antiochi discordia dedit. qui, dum sibi inuicẽ eripere regnum uolunt, persequi defectores omiserũt. Eodem tempore etiam Theodotus mille urbium Bactrianorum præfectus defecit, regemq; se appellari iussit. quod exemplum secuti totius oriẽtis populi à Macedonibus defecere. Erat eo tempore Arsaces uir sicut incertæ originis, ita uirtutis expertæ. hic solitus latrociniis & rapto uiuere, accepta opinione Seleucum à Gallis in Asia uictum, solutus regis metu, cum prædo-

num manu Parthos ingressus, præfectum eorum Andragorā oppressit, sublatoq; eo imperium gentis inuasit. Nō magno deinde post tempore Hyrcanorum quoq; regnum occupauit, atque ita duarum ciuitatum imperio præditus, grandem exercitum parat metu Seleuci & Theodoti Bactrianorū regis. Sed cita morte Theodoti metu liberatur, cum filio eius & ipso Theodoto fœdus ac pacem fecit. nec multo post cum Seleuco rege ad defectores persequendos ueniente congressus uictor fuit, quem diem Parthi exinde solennem, uelut initium libertatis, obseruant. Reuocato deinde Seleuco nouis motibus in Asiam dato laxamento regnum parthicum format, militem legit, castella munit, ciuitates firmat, urbem quoque nomine Datam in monte Thaborreno condit. Cuius loci ea conditio est, ut neq; munitius quicquam esse, neque amœnius possit. Ita enim & præruptis rupibus undiq; cingitur, ut tutela loci nullis defensoribus egeat, & soli circumiacentis tanta ubertas est, ut proprijs opibus expleatur. nam fontium ac syluarum ea copia est, ut & aquarum abundantia irrigetur, & uenationum uoluptatibus exornetur. Sic Arsaces quæsito simul constitutoq; regno non minus memorabilis Parthis, quām Persis Cyrus, Macedonibus Alexander, Romanis Romulus matura senectute decedit. cuius memoriæ hunc honorem Parthi tribuerunt, ut omnes exinde reges suos Arsacis nomine nuncupent. Huius filius & successor regni Arsaces & ipse nomine, aduersus Antiochum Seleuci filium centum milibus peditum, & uiginti milibus equitum instructus, mira uirtute pugnauit. ad postremum in societatem eius as-

sumptus

sumptus est. Tertius Parthis rex Pampatus fuit, sed & ipse Arsaces dictus, nam (sicut supra dictum est) omnes reges suos hoc nomine, sicuti Romani Cæsares Augustos'que, cognominauerunt. Hic actis in regno duodecim annis decessit, relictis duobus filijs Mithridate, & Phraate. quorum maior Phraates more gentis hæres regni Mardos ualidam gentem bello domuit, nec multo post decessit, multis filijs relictis. quibus præteritis fratri potissimum Mithridati insignis uirtutis uiro reliquit imperium, plus regio quàm patrio deberi nomini ratus, potiusq; patriæ, quàm liberis consulendum. Eodem fermè tempore, sicut in Parthis Mithridates, ita in Bactris Eucratides magni uterque uiri regna ineunt. sed Parthorum fortuna felicior ad summum hoc duce imperij fastigium eos perduxit. Bactriani autem per uaria bella iactati, non regnum tantum, uerum etiam libertatem amiserunt. siquidem Sogdianorum Arachotorum & Drangianorum Indorumq; bellis fatigati, ad postremum ab inualidioribus Parthis, uelut exangues oppressi sunt. Multa tamē Eucratides bella magna uirtute gessit. qbus attritus cum obsidionem Demetrij regis Indorum pateretur cum CCC. militibus, sexaginta milia hostium assiduis eruptionibus uicit. quinto itaque mense liberatus, Indiam in potestatem redegit. unde cum se reciperet à filio, quem socium regni fecerat, in itinere interficitur. qui, non dissimulato parricidio, uelut hostem, non patrem interfecisset, & per sanguinem eius currum egit, & corpus abijci insepultum iussit. Dum hæc apud Bactros geruntur, interim inter Parthos & Medos bellum

oritur, cum uarius utriusq; populi casus fuisset, ad postremum uictoria penès Parthos fuit. His uiribus auctus Mithridates Mediæ Bacasum præponit, ipse in Hyrcaniam proficiscitur. unde reuersus bellum cum Elymæorum rege gessit. quo uicto hanc quoque gentem regno adiecit, imperiumq; Parthorum à monte Caucaso multis populis in ditionem redactis, usque ad flumen Euphratē protulit. atque ita aduersa ualitudine correptus non minor Arsace proauo gloriosa senectute decessit.

LIBER XLII.

POst necem Mithridatis Parthorum regis Phraates filius eius rex constituitur. qui cum inferre bellum, in ultionē tentati ab Antiocho parthici regni, Syriæ statuisset, Scytharum motibus ad sua defendenda reuocatur. nanq; Scythæ in auxilium Parthorum aduersus Antiochum Syriæ regem mercede sollicitati, cum cōfecto iam bello superuenissent, & calumnia tardius lati auxilij mercede fraudarentur, dolentes tantum ijs itineris frustra emensum, cum uel stipendium pro uexatione, uel alium hostem dari sibi poscerent, superbo responso offensi fines Parthorū uastare cœperunt. Igitur Phraates, cum aduersus Scythas proficisceretur, ad tutelam regni reliqt Hymerū quendam pueritiæ sibi flore conciliatū. qui tyrannica crudelitate, oblitus & uitæ præteritæ, & uicarij officij Babylonios, multasq; alias ciuitates īportune uexauit. Ipse,

autem Phraates exercitum Græcorum, quem bello Antiochi captũ crudeliter superbeq; tractauerat, in bellum secum ducit, immemor prorsus, quod hostiles eorũ animos nec captiuitas minuerat, & insuper iniuriarũ indignitas exacerbauerat. Itaq; cum inclinatã Parthorũ aciem uidissent, arma ad hostes transtulerunt, et diu cupitam captiuitatis ultionem exercitus parthici et ipsius Phraatis regis cruenta cæde executi sunt. In huius locum Artabanus patruus eius rex substituitur. Scythæ autem cõtenti uictoria populata Parthia in patriã reuertuntur. Sed Artabanus bello Colchatarijs illato in brachio uulneratus statim decedit. Huic Mithridates filius succedit. cui res gestæ magni cognomẽ dedere. qppe claritatem parẽtũ æmulatione uirtutis accensus animi magnitudine supergreditur. Multa igitur bella cũ finitimis magna uirtute gessit, multosq; populos parthico regno addidit. Sed et cum Scythis prospere aliquoties dimicauit, ultorq; iniuriæ parentum fuit, ad postremum Artoadisti Armeniorum regi bellum intulit. Sed quoniam ad Armeniam transitum facimus, origo eius paulo altius repetenda est. neque enim silentio præteriri tantum regnum fas est, cum fines eius post Parthiam omnium regnorum magnitudinem superent. siquidem Armenia à Cappadocia usque ad mare caspium undecies centena milia patet, sed latitudine milia passuum septingenta porrigitur. Condita est autem ab Armenio Iasonis Thessali comite. quem cum perditum propter insignem periculosamq; regno suo uirtutem Pelias rex cuperet, denunciata militia in Colchos eum abire iubet, pellemq; arietis memora=

armenia magnitudo

bilem gentibus reportare, sperans interitum uiri, aut ex periculo tam longæ nauigationis, aut ex bello tam profundæ barbariæ. Igitur Iason, diuulgata opinione tam gloriosæ expeditionis, cum ad eum certatim principes iuuentutis totius fermè orbis concurrerent, exercitum fortissimorum uirorum, qui argonautæ cognominati sunt, comparauit. quem cum magnis rebus gestis incolumem reduxisset, rursus à Peliæ filijs Thessalia pulsus magna ui cum ingenti multitudine, quæ ad famam uirtutis eius ex omnibus gentibus cotidie confluebat, comite Medea uxore, quam repudiatam miseratione exilij rursus receperat, & Medo priuigno ab Aegeo rege Atheniensium genito Colchos repetiuit, socerumq; etiam regno pulsum restituit. Magna deinde bella cum finitimis gessit, captasq; ciuitates partim regno soceri, ad abolendam superioris militiæ iniuriam, qua & filiam eius Medeam abduxerat, & filium Aegialeum interfecerat, adiunxit, partim populis, quos secum adduxerat, assignauit. Primusq; hominum post Herculem & Liberum, qui reges orientis fuisse traduntur, eam cæli plagam domuisse dicitur. Populis quibusdam Rhecam & Amphistratum aurigas Castoris & Pollucis duces assignauit, cum Albanis fœdus percussit, qui Herculem ex Italia ab Albano monte, cum Geryone extincto armenta eius per Italiam duceret, secuti dicuntur, quiq; memores Italicæ originis exercitum Cn. Pompeij bello Mithridatico fratres salutauere. Itaq; Iasoni totus fermè oriens ut conditori diuinos honores templaq; constituit. quæ Parmenion dux Alexandri magni post

multos

multos annos diirui iussit, ne cuiusquam nomen in oriente uenerabilius, quam Alexandri, esset. Post mortem Iasonis Medus æmulus uirtutis eius in honorem matris Medeæ, Medeam urbem condidit, regnum'que è nomine suo Medorum constituit. sub cuius maiestate omne postea orientis imperium fuit. Albanis uicinæ Amazones sunt, quarum reginam Thalestrem concubitum Alexandri petisse multi authores prodidere. Armenius quoque, & ipse Thessalus unus de numero ducum Iasonis recollecta multitudine, quæ amisso Iasone rege passim uagabatur, Armeniam condidit. à cuius montibus Tigris fluuius modicis primo incrementis nascitur. interiecto deinde aliquanto spatio sub terras mergitur, atque ita post. XXV. milia passuum grande iam flumen in regione Sophenes emergit, ac sic in paludes Euphratis recipitur. Igitur Mithridates Rex Parthorum post bellum Armeniæ propter crudelitatem à senatu parthico regno pellitur. Frater eius Orodes, cum regnum uacans occupasset, Babyloniam, quo Mithridates confugerat, diu obsedit, & fame coactos in deditionem oppidanos compellit. Mithridates autem fiducia cognationis ultro se in potestatem Orodis tradit. sed Orodes plus hostem quàm fratrem cogitans, in conspectu suo trucidari eum iussit. Post hæc bella cum Romanis gessit, Crassum'que Imperatorem cum filio & omni exercitu Romano deleuit. Huius filius Pacorus missus ad persequendas Romani belli reliquias, magnis rebus in Syria gestis, in Parthiam patri suspectus, reuocatur. quo absente exercitus Parthorum relictus in Syria à Cassio quæstore Crass

ſi cum omnibus ducibus trucidatur. His ita geſtis non magno poſt tempore Romanis inter Cæſarem Pompeiumq; ciuile bellum oritur, in quo Parthi Pompeianarum partium fuere, & propter amicitiam cum Pompeio bello Mithridatico iunctam, & propter Craſſi necem, cuius filium in partibus Cæſaris eſſe audierant. quem ultorem patris uictore Cæſare futurum non dubitabant. Itaq; uictis partibus Pompeianis, & Caſſio et Bruto auxilia aduerſus Auguſtum & Antonium miſere, & poſt belli finem rurſum Pacoro duce cum Labieno inita ſocietate Syriam & Aſiam uaſtauere. Caſtra quoq; Ventidij, qui poſt Caſſium abſente Pacoro exercitum parthicum fuderat, magna mole aggrediuntur, ſed ille ſimulato timore diu ſe continuit, & inſultare Parthos aliquantiſper paſſus eſt. ad poſtremum in ſecuros lætosq; partem legionum emiſit, quarum impetu fuſi Parthi in diuerſa abiere, Pacorus autem cum fugientes ſuos abduxiſſe ſecum legiones Romanas putaret, caſtra Vẽtidij ueluti ſine defenſoribus aggreditur. tunc Ventidius reliqua parte legionum emiſſa uniuerſam Parthorum manum cum rege ipſo Pacoro interfecit. nec ullo bello Parthi unquam maius uulnus accepere runt. Hæc cum nunciata in Parthia eſſent, Orodes pater Pacori, qui paulo ante uaſtatam Syriam, occupatam Aſiam à Parthis audierat, uictoremq; Pacorum Romanorum gloriabatur, repente filij morte & exercitus clade audita ex dolore ad furorẽ uertitur. multis diebus non alloqui quẽquam, non cibum ſumere, non uocem mittere. ita ut mutus factus uideretur. Poſt multos deinde dies, ubi dolor uocem laxauerat, nihil aliud q̃

Pacorum

Pacorum uocabat. Pacorus illi uideri, Pacorus audiri uidebatur, cum illo loqui, cum illo consistere, interdum quasi amissum flebiliter dolebat. Post longum deinde luctum alia sollicitudo miserandum senem inuadit. quẽ ex numero triginta filiorum in locum Pacori regem constituat. multæ pellices, ex quibus generata tanta iuuentus erat, pro suis quæq; sollicitæ animum senis obsidebant. sed fatum Parthiæ fecit, in qua iam quasi solẽne est reges parricidas haberi, ut sceleratissimus omnium & ipse Phraates nomine rex statueretur. Itaq; statim, quasi nollet mori, patrem interficit, fratres quoq; omnes triginta trucidat. Sed nec in filijs cessant parricidia. nam cum infestos sibi optimates propter assidua scelera uideret, ne esset, qui nominari rex posset, adultu filium interfici iubet. Huic Antonius, propter auxilium aduersus se & Cæsarem latum, bellũ cum sexdecim ualidissimis legionibus intulit, sed grauiter multis prælijs uexatus à Parthia refugit. qua uictoria insolentior Phraates redditus, cum multa crudeliter consuleret, in exilium à populo suo pellitur. Itaque cum magno tempore finitimas ciuitates, & ad postremum Scythas precibus fatigasset, Scytharum maximo auxilio in regnum restituitur. Hoc absente regem Parthi Tyridatem quendam constituerant. qui audito Scytharum aduentu magna amicorum manu ad Cæsarem in Hispania bellum tunc temporis gerentem profugit, obsidem Cæsari minimum filium Phraatis ferens, quem negligentius custoditum rapuerat. Quo cognito Phraates legatos statim ad Cæsarem mittit, seruum suum Tyridatem, & filium remitti sibi postulat. Cæsar &

legatione Phraatis audita, & Tyridatis postulatis cognitis. (nam & ipse restitui in regnum desiderabat, iuris Romanorum futuram Parthiam affirmans, si eius regnum muneris eorum fuisset) neq; Tyridatem redditurum se Parthis dixit, neq; aduersus Parthos Tyridati auxilia daturum. ne tamen à Cæsare nihil p oia obtentum uideretur, Phraati filium sine precio remisit, & Tyridati, quoad manere apud Romanos uellet, opulentum sumptum præberi iussit. Post hæc finito Hispano bello cum in Syriam ad componendum orientis statum peruenisset, metum Phraati iniunxit, ne bellum Parthiæ uellet inferre. Itaque tota Parthia captiui ex Crassiano siue Antonij exercitu recollecti, signaq; cum his militaria Augusto remissa. sed & filij nepotesq; Phraatis obsides Augusto dati, plusq; Cæsar magnitudine sui nominis fecit, quàm armis alius imperator facere potuisset.

LIBER XLIII.

PArthicis, orientalibusq;, ac totius propemodũ orbis rebus expeditis, ad initia Romanæ urbis Trogus, uelut post longam peregrinationem domum, reuertitur, ingrati ciuis officiũ existimãs, si cum omnium gentium res gestas illustrauerit, de sola tantum patria taceat. Breuiter igitur initia Romani imperij perstringit, ut nec modum propositi operis excedat, nec utiq; originem urbis, quæ est caput totius orbis silentio prætermittat. Italiæ cultores primi Abo=

rigines fuere. quorum rex Saturnus tantæ iustitiæ fuisse traditur, ut neq; seruierit sub illo quisq̃, neque ius quicq̃ priuatæ rei habuerit. sed omnia cōmunia et indiuisa oibus fuerint, ueluti unum cunctis patrimoniū eēt. ob cuius exempli memoriam cautum est, ut Saturnalibus, exæquato oium iure, passim in conuiuijs serui cum dominis recumbant. Itaq; Italia regis nomine Saturnia appellata est, et mons, quem inhabitabat, Saturnius, in quo nunc, ueluti à Ioue pulso sedibus suis Saturno, capitolium est. Post hunc tertio loco regnasse Faunū ferūt, sub quo Euāder ab Arcadiæ urbe Pallanteo in Italiā cum mediocri turba populariū uenit, cui Faunus & agros et montē, quem ille postea palatinū appellauit, benigne assignauit. In huius radicibus tēplum Lycæo, quē Græci Pana, Romani Lupercum appellāt, constituit. Ipsum dei simulacrum nudum caprina pelle amictum est. quo habitu nunc Romæ lupercalibus decurritur. Fauno fuit uxor nomine Fatua, quæ assidue diuino spiritu impleta, uelut per furorem futura præmonebat, unde adhuc, q inspirari solent, fatuari dicuntur. Ex filia Fauni et Hercule, qui eodem tempore extincto Geryone armenta uictoriæ præmia p Italiā ducebat, stupro conceptus Latinus procreatur. quo tenente regnum Aeneas ab Ilio, Troia à Græcis expugnata, in Italiā uenit, statimque prælio exceptus, cum in aciē exercitum eduxisset, ad colloquium uocatus, tantā admirationem sui Latino præbuit, ut in societatem regni reciperetur, & Lauinia in matrimonium data ei gener asci sceretur. Post hæc cōmune utriq; bellum aduersus Turnum Rutulorum regem, propter fraudatas

Lauiniæ nuptias fuit. In quo & Turnus & Latinus interierunt. Igitur cum Aeneas iure uictoriæ utroq; populo potiretur, urbem ex nomine uxoris Lauiniū condidit. Bellū deinde aduersus Mezentium regem Ethruscorum gessit. In quo cum ipse cecidisset, in locum eius Ascanius filius successit. qui Lauinio relicto longam Albam cōdidit. quæ trecentis annis caput regni fuit. Post multos deinde urbis huius reges, ad postremum Numitor & Amulius regno potiti sunt. sed Amulius cum ætate potiorem Numitorem oppressisset, filiam eius Rheam in perpetuam uirginitatem, ne quis uindex regni sexus uirilis ex genere Numitoris oriretur, demersit addita iniuriæ specie honoris, ut non damnata, sed sacerdos electa, uideretur. Igitur clausa in luco Marti sacro duos pueros, incertum stupro an Marte conceptos enixa est. Quo cognito Amulius multiplicato metu, pro uentu duorum, pueros exponi iubet, & puellam uinculis onerat, ex quorum iniuria decessit. Sed fortuna origini Romanæ prospiciens, pueros lupæ alendos obtulit. quæ amissis catulis distenta ubera exinanire cupiēs nutricem se infantibus præbuit. cum sæpius ad paruulos ueluti ad catulos reuerteretur, rē Faustulus pastor animaduertit, subtractosq; feræ inter greges pecorū agresti uita nutriuit. martios pueros fuisse, siue quod in luco Martis enixi sunt, siue quod à lupa, quæ in tutela Martis est, nutriti, ueluti manifestis argumentis creditum est. Nomina pueris, alteri Remo, alteri Romulo fuere. Adultis inter pastores de uirtute cotidiana certamina & uires & pnicitatem auxere. Igitur cum latrones à rapina pecorum industrie frequenterq; summo-

nerent. Remus ab iisdem latronibus captus, &, ueluti ipse esset, quod in aliis prohibebat, regi offertur. crimi ni datur, quasi greges Numitoris infestare solitus esset. tunc à rege in ultionem Numitori traditur. sed Numitor adolescentia iuuenis pmotus, & in suspicionem expositi nepotis adductus, cum eum nunc lineamentorum filiæ similitudo, nunc ætas expositionis temporibus congruens anxium teneret, repente Faustulus cum Romulo superuenit, à quo origine cognita puerorum, facta cõspiratione, & adolescentes in ultionem maternæ necis, & Numitor in uindictam erepti regni armantur. Occiso Amulio regnum Numitori restituitur, & urbs Romana ab adolescentibus conditur. Tunc et Senatus centum seniorum, qui patres dicti sunt, constituitur. & uicinis connubia pastorum dedignantibus, uirgines Sabinæ rapiuntur, finitimisq; populis armis subiectis primum Italiæ, mox orbis imperium quæsitum, p ea adhuc tempora reges hastas pro diademate hẽbant, quas græci sceptra dixere. Nam & ab origine rerum pro diis immortalibus ueteres hastas coluere, ob cuius religionis memoriã adhuc deorũ simulacris hastæ adduntur. Temporibus Tarquinii regis ex Asia Phocensium iuuentus hostio Tyberis inuecta amicitiam cum Romanis iunxit. Inde in ultimos Galliæ sinus nauibus profecta Massiliam inter Ligures & feras gentes Gallorũ condidit, magnasq; res, siue dum armis se aduersus gallicam feritatem tuentur, siue dum ultro lacessunt, à qbus fuerant ante lacessiti, gesserunt. Nãq; Phocenses exiguitate ac macie terræ coacti studiosius mare, quàm terras, exercuerunt, piscando, mercando, plerunq; etiam

latrocinio maris, quod illis temporibus gloriæ habebatur, uitam tolerabant. Itaque in ultimam oceani oram procedere ausi in sinum gallicum hostio Rhodani amnis deuenere, cuius loci amœnitate capti reuersi domum referentes, quæ uiderant, plures sollicitauere. Duces classi Furius et Prothis fuere. Itaq; ad regem Segoregiorũ Senanum nomine, in cuius finibus urbem condere gestiebant, amicitiã petentes conueniunt. Forte eo die rex occupatus in apparatu nuptiarum Gyptis filiæ erat, quam more gentis electo inter epulas genero nuptum tradere ille parabat. Itaq; cum ad nuptias inuitati omnes proci essent, rogantur & Græci hospites ad conuiuium. Introducta deinde uirgo, cum iuberetur à patre aquã porrigere ei, quẽ uirũ eligeret, tunc omissis omnibus ad Græcos cõuersa aquã Prothi porrigit. q factus ex hospite gener, locum condendæ urbis à socero accepit. Condita igitur Massilia est propè hostia Rhodani amnis in remoto sinu ueluti in angulo maris. sed Ligures incrementis urbis inuidentes, Græcos assiduis bellis fatigabant. qui pericula propulsando in tantum enituerunt, ut uictis hostibus, in captis agris multas colonias constituerent. Ab his igitur Galli & usum uitæ cultioris, deposita & mansuefacta barbaria, & agrorũ cultus, & urbes mœnibus cingere didicerunt. tunc et legibus non armis uiuere, tunc & uitem putare, tunc oliuam serere consueuerunt. adeoq; magnus & hominibus & rebus impositus est nitor, ut nõ Græcia in Galliam emigrasse, sed Gallia in Græciam translata uideretur. Mortuo rege Senano Segoregiorum, à quo locus acceptus condendæ urbis fuerat, cum regno filius

eius successisset Comanus affirmat Ligur quidam, quandoq; Massiliam exitio finitimis populis futuram, opprimendamq; in ipso ortu, ne mox ualidior ipsum obrueret, subnectit & illam fabulam. Canem aliquando partu grauidã locum à pastore precario petisse, in quo pareret. quo obtẽto iterato petisse, ut sibi educare in eodem loco catulos liceret, ad postremum adultis catulis fultam domestico præsidio proprietatem loci sibi uindicasse. nõ aliter Massilienses, qui nunc inquilini uideantur, quandoq; dominos regionum futuros. his incitatus rex insidias Massiliensibus extruit. Ita solenni floraliorum die multos fortes ac strenuos uiros hospitij iure misit in urbem, plures Syrpis latentes, frondibusq; supertectos induci uehiculis iubet, & ipse cum exercitu in proximis montibus delitescit, ut, cum nocte prædictis apertæ portæ forẽt, tempestiue ad insidias adessent, urbemq; somno ac uino sepultam armati inuaderent. Sed has insidias mulier quædam regis cognata prodidit, quæ adulterari cum Græco adolescente solita, in amplexu iuuenis miserata formam eius insidias aperit, periculumq; declinare iubet. Ille rem statim ad magistratus defert, atq; ita patefactis insidijs cuncti Ligures comprehenduntur, latentesq; de Syrpis protrahuntur. quibus omnibus interfectis insidiãti regi insidiæ tenduntur. cæsa sunt cum ipso rege hostium. VII. milia. exinde Massilienses festis diebus portas claudere, uigilias agere, stationem in muris obseruare, peregrinos recognoscere, curas habere, ac, ueluti bellum habeant, sic urbem pacis temporibus custodire, adeo illic bene instituta, non temporũ necessitate, sed recte facien-

di consuetudine, seruantur. Post hæc illis magna cum Li
guribus, magna cum Gallis fuere bella. quæ res et ur
bis gloriam auxit, & uirtutem Græcorum multiplica
ta uictoria celebrem inter finitimos reddidit. Cartha
ginensium quoq; exercitus, cum bellũ captis piscatorum
nauibus ortum esset, sæpe fuderunt, pacemq; uictis de
derunt. Cum Hispanis amicitiam iunxerunt. Cum Ro
manis propè ab initio conditæ urbis fœdus summa fi=
de custodierunt, auxilijsq; in oĩbus bellis industriæ so
cios iuuerunt. quæ res illis & uirium fiduciam auxit,
& pacem ab hostibus præstitit. Dũ igitur Massilia fa-
ma rerũ gestarum, & abũdantia opũ, & uiriũ gloria
uirente floreret, repẽte finitimi populi ad nomen Mas
siliensium delendum, ueluti ad commune extinguẽdum
incendium, concurrunt. Dux consensu oĩum Caraman
dus regulus eligitur, q, cũ magno exercitu lectissimorũ
uirorum urbem hostium obsideret, per quietẽ specie tor
uæ mulieris, quæ se deam dicebat, exterritus ultro pa=
cem cũ Massiliensibus fecit, petitoq; ut intrare urbem,
& deos eorũ adorare liceret, cũ in arcem Mineruæ ue
nisset, conspecto in porticibus simulacro deæ, quam per
quietem uiderat, repente exclamat illã esse, quæ se no-
cte exterruisset, illũq; recedere ab obsidione iussisse. gra
tulatusq; Massiliensibus, quod animaduerteret eos ad
curam deorum immortaliũ ptinere, torque aureo do-
nata dea, in perpetuum amicitiam cũ Massiliensibus
iunxit. Parta pace & securitate fundata, reuertentes
à Delphis Massiliensiũ legati, quo missi munera Apol
lini tulerant, audiuerunt urbem Romam à Gallis ca=
ptam incensamq;. quam rem nunciatam domi publico
funere

funere Massilienses prosecuti sunt. aurumq; et argentum publicum & priuatum contulerunt ad explendũ pondus Gallis, à quibus redemptam pacem cognouerant. ob quod meritũ & immunitas illis decreta, et locus spectaculorũ in senatu datus, & fœdus æquo iure percussum. In postremo libro Trogus maiores suos à uocantijs originẽ ducere, auũ suum Trogum Pompeiũ sertoriano bello ciuitatem à Cn. Pompeio percepisse dicit. Patruum Mithridatico bello turmas equitum sub eodem Pompeio duxisse. Patrem quoque sub Caio Cæsare militasse, epistolarum'que ac diuitiarum, legationum simul, & annuli curam habuisse.

LIBER XLIIII.

h ISPANIA Sicuti Europæ terminos claudit, ita et huius operis finis futura est. Hanc ueteres ab ibero amne primum Iberiam, postea ab Hispali Hispaniam cognominauerunt. Hæc inter Africam & Galliam posita oceani freto & Pyrenæis montibus clauditur. sicut minor utraq; terra, ita utraq; fertilior. Nam neq; ut Africa uiolento sole torretur, neq; ut Gallia assiduis uentis fatigatur, sed media inter utranq; hinc temperato calore, inde felicibus & tempestiuis imbribus in omnia frugum genera fœcunda est, adeo ut non ipsis tantum incolis, uerum etiam Italiæ urbiq; Romanæ cunctarum rerum abundantiam sufficiat. Hinc enim nõ frumenti tãtũ copia magna est, uerũ etiã uini, mellis, oleiq;. nec ferri solũ mate-

ria præcipua est, sed & equorum pernices greges. nec summa tantum terræ laudanda bona, uerum & abstrusorum metallorum felices diuitiæ. Iam lini spartiq; uis ingens, minij certe nulla feracior terra. In hac cursus amnium non torrentes rapidiq;, ut noceant, sed lenes, & uineis campisq; irrigui, æstuarijsq; oceani affatim piscosi. pleriq; etiam diuites auro, quod in paludibus uehunt. uno tantum Pyrenæi montis dorso adhæret Galliæ, reliquis partibus undiq; in orbem mari cingitur. Forma terræ propè quadrata, nisi quod arctãtibus freti litoribus in Pyrenæum coit. Porro Pyrenæi montis spatium sexcenta milia passuum efficit. Salubritas cæli per omnem Hispaniam æqualis, quia aëris spiritus nulla paludium graui nebula inficitur. Huc accedunt & marinæ auræ undiq; uersus assidui flatus, q̃bus omnem prouinciam penetrantibus euentilato terrestri spiritu præcipua hoïbus sanitas redditur. Corpora hominum ad inediã laboremq;, animi ad mortẽ parati. Dura oïbus et stricta parsimonia, bellum, quàm ociũ malunt. si extraneus deest, domi hostem quærunt. Sæpe tormentis pro silentio rerum creditarũ immortui, adeo illis fortior taciturnitatis cura, q̃ uitæ. Celebratur eadẽ ẽt bello punico serui illius patientia, qui ultus dominum inter tormẽta risu exultauit, serenaq; lætitia crudelitatẽ torquentium uicit. Velocitas genti pernix, inquies animus plurimis. Militares equi & arma sanguine ipsorum cariora. Nullus nisi festis diebus epularum apparatus. A qua callida lauari post secundum bellum punicum à Romanis didicere. In tanta seculorum serie nullus illis dux magnus præter Viriatũ fuit.

fuit. qui annos decem Romanos uaria uictoria fatigauit, adeo feris propiora q̃ hominibus ingenia sunt. quẽ ipsum non iudicio populi electũ, sed ut cauendi scientẽ, declinãdorũq; periculorũ pitũ secuti sunt. Cuius ea uirtus cõtinentiaq; fuit, ut cũ consulares exercitus frequẽter uicerit, tantis rebus gestis, nõ armorum, nõ uestis cultũ, nõ deniq; uictũ mutauerit, sed in eo habitu, quo primum bellare cœpit, pseuerauerit, ut quiuis gregarius miles ipso imperatore etiam opulentior uideretur. In Lusitanis iuxta fluuium Tagum, equas uento concipere multi authores prodiderunt. quæ fabula ex equarum fœcunditate, & gregum multitudine nata est, qui tanti in Gallecia ac Lusitania & tam pernices uisuntur, ut non immerito ipso uento concepti uideantur. Galleci autem Græcam sibi originem asserunt. si quidem post finem Troiani belli Teucrum morte Aiacis fratris inuisum patri Telamoni, cum non reciperetur in regnum, Cyprum concessisse, atq; ibi urbem nomine antiquæ patriæ Salamina condidisse. inde accepta opinione paternæ mortis patriam repetisse. sed cum ab Eurysace Aiacis filio accessu prohiberetur, Hispaniæ litoribus appulsum loca, ubi nunc ẽ Carthago noua occupasse, inde Galleciã transisse, positisq; sedibus genti nomẽ dedisse. Galleciæ autem portio Amphiloci dicuntur. Regio cũ æris & plumbi uberrima, tum minio, qd̃ ẽt uicino flumini nomen dedit. auro quoq; ditissima adeo, ut etiã aratro frequenter glebas aureas excitent. In huius gentis finibus Sacer mons est, quem ferro uiolari nefas habetur. sed si quando fulgure terra proscissa est, quæ in his locis assidua res est, detectum aurum, uelut dei munus,

colligi permittitur. Fœminæ res domesticas, agrorumq; culturas administrat, ipsi armis & rapinis seruiunt. Præcipua his quidem ferri materia, sed aqua ipso ferro uiolentior. quippe temperamento eius ferrum acrius redditur, nec ullum apud eos telum probatur, quod nõ aut Bilbili fluuio, aut Chalybe tingatur. unde ẽt Chalybes fluuij huius finitimi appellati, ferroq; cæteris præstare dicuntur. Saltus uero Tartessiorum, in qbus Titanas bellum aduersus deos gessisse proditur, incoluere Curetes. quorum rex uetustissimus Gargoris mellis colligendi usum primus inuenit. huic cum ex filiæ stupro nepos prouenisset, pudore flagitij uarijs generibus mortis extingui paruulum uoluit, sed per omnes casus fortuna quadam seruatus, ad postremum ad regnum tot periculorum admiratione puenit. Primum oium cum eum exponi iussisset, & post dies ad corpus expositi requirendum misisset, inuentus est uario ferarũ lacte nutritus. Deinde relatum domum tramite angusto, p quem armenta commeare consueuerant, proijci iubet, crudelis prorsus, qui proculcari nepotem, q̃ simplici morte interfici maluit. Ibi quoq; cum inuiolatus esset, nec alimentis egeret, canibus primo ieiunis et multorũ dierum abstinentia cruciatis, mox etiam suibus obijci iubet. Itaque cum non solum non necaretur, uerum etiam quarũdam uberibus aleretur, ad ultimum in oceanum abijci iussit. tum plane manifesto quodam numine, inter furentes æstus ac reciprocantes undas, uelut naue, non fluctu, ueheretur, leni salo in litore exponitur. nec multo post cerua affuit, quæ ubera paruulo offerret. Inde denique conuersatione nutricis eximia

puero

puero pernicitas fuit, interq; ceruorum greges diu mõtes saltusq; haud inferior uelocitate peragrauit. Ad postremum laqueo captus regi datus dono est. Tunc ad lineamẽtorum similitudinem ex notis corporis, quæ inustæ paruulo fuerant, nepos est agnitus. Admiratione deinde tot casuum periculorumq; ab eodem successor regni destinatur. nomen illi impositum Habidis. qui ut regnum accepit, tantæ magnitudinis fuit, ut non frustra deorum maiestate periculis ereptus uideretur. quippe barbarum populum legibus iunxit, & boues primo aratro domari, frumentaq; sulco serere docuit, & ex agresti cibo mitiore uesci, odio eorum, quæ ipse passus fuerat, homines coëgit. Huius casus fabulosi uiderentur, nisi & Romanorrm conditores lupa nutriti, & Cyrus rex Persarum cane alitus proderetur. Ab hoc & ministeria seruilia populo interdicta, & plebs in septem urbes diuisa. mortuo Habide regnum per multa secula à successoribus eius retentum est. In alia parte Hispaniæ, quæ ex insulis constat, regnum penès Geryonem fuit. In hac pabuli tanta lætitia est, ut nisi abstinentia interpellata sagina fuerit, pecora rũpantur. Inde deniq; armenta Geryonis, quæ illis temporibus solæ opes habebantur, tantæ famæ fuere, ut Herculem ex Asia prædæ magnitudine illexerint. Porrò Geryonem ipsum non triplicis naturæ (ut fabulis proditur) fuisse ferunt, sed tres fratres tantæ concordiæ extitisse, ut uno animo omnes regi uiderentur, nec bellũ Herculi sua sponte intulisse, sed cum armẽta sua rapi uidissent, amissa bello repetisse. Post regna deinde Hispaniæ primi Carthaginenses imperium prouinciæ

occupauere. nam cum Gaditani à Tyro, unde & Carthaginensium origo est, sacra Herculis per quietem iussi in Hispaniam transtulissent, urbẽq; ibi condidissent, inuidentibus incrementis nouæ urbis finitimis Hispaniæ populis, ac propterea Gaditanos bello lacessentibus, auxilium consanguineis Carthaginenses miserunt. Ibi felici expeditione & Gaditanos ab iniuria uindicauerunt, & maiorem patem prouinciæ imperio suo adiecerunt. Postea quoq; hortantibus primæ expeditionis auspicijs, Hamilcharem imperatorem cum magna manu ad occupandam prouinciam miserunt. qui magnis rebus gestis, dum fortunam inconsultius seqtur, in insidias deductus occiditur. In huius locum gener ipsius Hasdrubal mittitur, & ipse à seruo Hispani cuiusdam ulciscentis domini iniustam necem interfectus est. Maior utroq; Annibal imperator Hamilcharis filius succedit. Siquidem res gestas utriusq; supergressus uniuersam Hispaniam domuit. Inde Romanis illato bello Italiam per annos sexdecim uarijs cladibus fatigauit. Cum interea Romani missis in Hispaniam Scipionibus primo Pœnos prouincia expulerunt. Posteæ cum ipsis Hispanis grauia bella gesserunt, nec prius perdomitæ prouinciæ iugum Hispani accipere potuerunt, quàm Cæsar Augustus pdomito orbe uictricia ad eos arma transtulit, populum'que barbarum, ac ferum, legibus ad cultiorem uitæ usum, traductum in formam prouinciæ redegit.

AEMYLII

AEMYLII PROBI DE VITA EXCELLENTIVM IMPERATORVM LIBER.

N

ON DVBITO FORE plerosque Attice, qui hoc genus scripturæ leue, & non satis dignum summorũ uirorum personis iudicent, cum relatum legent, quis musicam docuerit Epaminondam, aut in eius uirtutibus commemorari, saltasse eum commode, scienterq; tibijs cantasse. Sed hi erunt ferè, qui expertes literarum græcarum nihil rectum, nisi quod ipsorum moribus conueniat, putabunt. Hi, si didicerint non eadem omnibus esse honesta atque turpia, sed omnia maiorum institutis iudicari, non admirabuntur nos in Gaiorum uirtutibus exponendis mores eorum secutos. Neque enim Cimoni fuit turpe Atheniensium summo uiro, sororem germanam habere in matrimonio, qppe cum ciues eius eodem uterentur instituto. at id qdem nostris moribus nefas habetur. Laudi in Græcia ducitur adolescentulis quamplurimos habere amatores. Nulla Lacedæmonij tam ẽ nobilis uidua, quæ non ad scænam eat mercede conducta. Magnis in laudibus tota fuit Græcia uictorem olympiæ citari. In scænam uero prodire, & populo esse spectaculo. nemini in eisdem gentibus fuit turpitudini, quæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia, atque ab

honestate remotæ, ponuntur. Contra ea pleraque nostris moribus sunt decora, quæ apud illos turpia putantur. quem enim Romanorum pudet uxorem ducere in conuiuium? aut cuius mater familias non primum locum tenet ædium, atq; in cælebritate uersatur? quod multo fit aliter in Græcia. nam neque in conuiuium adhibetur, nisi propinquorum, neque sedet, nisi in interiore parte ædium, quæ Gynæconitis appellatur. quo nemo accedit, nisi propinqua cognatione coniunctus. Sed plura persequi tum magnitudo uoluminis prohibet, tum festinatio, ut ea explicem, quæ exorsus sum. Quare ad propositum ueniemus, & in hoc exponemus libro de uita excellentium imperatorum.

MILTIADIS VITA.

m Iltiades Cimonis filius Atheniensis, cum & antiquitate generis, & gloria maiorum, et sua modestia, unus omnium maxime floreret, eaque esset ætate, ut non iam solum de eo bene sperare, sed etiam confidere, ciues possent sui talem futurum, qualem cognitum iudicarunt, accidit, ut Athenienses Chersonnesum colonos uellent mittere. cuius generis cum magnus numerus esset, & multi eius demigrationis peterent societatem, ex his delecti Delphos deliberatum missi sunt, qui consulerent Apollinem, quo potissimum duce uterentur. nam tum Thraces eas regiones tenebant, cum qbus armis erat dimicandum. His consulentibus nominatim Pythia

præcepit, ut Miltiadem sibi imperatorem sumerent. id si fecissent, incepta prospera futura. Hoc oraculi responso Miltiades cum delecta manu classe Chersonnesum profectus, cum accessisset Lemnum, et incolas eius insulæ sub potestatem redigere uellet Atheniensium, idq; Lemnij sua sponte facerent, postulasset, illi irridentes responderunt. tum id se facturos, cum ille domo nauibus proficiscens uento aquilone uenisset Lemnum. hic enim uentus à septentrionibus oriens aduersum tenet Athenis proficiscentibus. Miltiades morandi tempus non habens cursum direxit, quo tendebat, peruenitq; Chersonnesum. Ibi breui tempore barbarorum copijs disiectis, tota regione, quam petierat, potitus, loca castellis idonea communiuit. multitudinem, quam secum duxerat in agris collocauit. crebrisq; excursionibus locupletauit. Neque minus ea re prudentia, quàm felicitate, adiutus est. nam cum uirtute militum deuicisset hostium exercitus, summa æquitate res constituit, atque ipse ibidem manere decreuit. erat enim inter eos dignitate regia, quamuis carebat nomine. neque id magis imperio, quàm iustitia, consecutus. neque eo secius Atheniensibus, qbus cum erat profectus, officia præstabat. Quibus rebus fiebat, ut non minus eorum luountate perpetuo imperium obtineret, qui miserant, quàm illorũ, cum quibus erat profectus. Chersonneso tali modo constituta Lemnum reuertitur, & ex pacto postulat, ut sibi urbem tradant. illi enim dixerant cum uento borea domo profectus eo peruenisset, sese dedituros. se autem domum Chersonnesi habere. Cares, qui tum Lẽnum incolebãt, etsi præter opinionem res cæciderat, ta-

men non dicto, sed secunda fortuna aduersariorum ca=
pti, resistere ausi non sunt, atq; ex insula demigrarunt.
Pari felicitate cæteras insulas, quæ Cyclades nominan
tur, sub Atheniensium redegit potestatem. Eisdem tem=
poribus Persarum rex Darius, ex Asia in Europam
exercitu traiecto, Scythis bellum inferre decreuit. pon
tem fecit in Istro flumine, qua copias traduceret. eius
pontis (dum ipse abesset) custodes reliquit principes,
quos secum ex Ionia & Aeolide duxerat. quibus sin-
gulis ipsarum urbium perpetua dederat imperia. sic
enim putauit facillime se græca lingua loquentes, qui
Asiam incolerent sub sua retenturum potestate, si ami
cis suis oppida tuenda tradidisset. quibus se oppresso
nulla spes salutis relinqueretur. In hoc fuit tum nu-
mero Miltiades, cui illa custodia crederetur. Hic, cum
crebri afferrent nuntij male rem gerere Darium, pre
miq; ab Scythis, Miltiades hortatus est pontis custodes,
ne fortuna datam occasionem liberandæ Græciæ di-
mitterent. nam si cum his copijs, quas secum transpor-
tauerat, interisset Darius, non solum Europam fore
tutam, sed etiam eos, qui Asiam incolerent Græci gene
re, liberos à Persarum futuros dominatione & pericu
lo. id & facile effici posse. ponte enim reciso regem uel
hostium ferro, uel inopia, paucis diebus interiturũ. Ad
hoc consilium cũ pleriq; accederent, Histiæus Milesius,
ne res conficeretur, obstitit, dicens non idẽ ipsis, q sum-
mas imperij tenerent, expedire, & multitudini, ꝙ Da
rij regno ipsorum niteretur dominatio, quo extincto
ipsos potestate expulsos ciuibus suis pœnas daturos. itaq;
adeo se abhorrere à cæterorum consilio, ut nihil putet

ipsis utilius, quàm confirmari regnum Persarum. Hu
ius cum sententiam plurimi essent secuti, Miltiades non
dubitans tam multis conscijs ad regis aures consilia sua
peruétura, Chersonnesum reliquit, ac rursus Athenas
demigrauit. cuius ratio etsi non ualuit, tamen magno
pere est laudāda, cum amicior omnium libertati, quàm
suæ fuerit dominationi. Darius autem, cum ex Euro=
pa in Asiam redisset, hortantibus amicis, ut Græciam
redigeret in suam potestatem, classem quingentarum
nauium comparauit, eique Datin præfecit & Arta=
phernem, hisq; ducenta peditum milia, & decem equi
tum dedit, causam interserens se hostem esse Athenien
sibus, quod eorum auxilio Iones Sardis expugnassent,
suáque præsidia interfecissent. Illi præfecti regij classe
ad Eubœam appulsa celeriter Eretriam ceperunt, o-
mnesq; eius gentis ciues abreptos in Asiam ad regem
miserunt. Inde ad Atticam accesserunt. ac suas copias
in campum Marathona deduxerunt. Is abest ab oppi
do circiter milia passuum decem. Hoc tumultu Athe-
nienses tam propinquo, tamq; magno permoti, auxili-
um nusquam, nisi à Lacedæmonijs, petiuerunt. Philip=
pumq; cursorem eius generis, qui Hemerodromi uocan
tur, Lacedæmonem miserunt, ut nunciaret, quàm cele=
ri opus esset auxilio. Domi autem creati decem præto=
res, qui exercitui præessent. in eis Miltiades, inter quos
magna fuit contentio, utrum mœnibus defenderent, an
obuiam irent hostibus, aciéque contenderent. unus
Miltiades maxime nitebatur, ut primo quoque tem=
pore castra fierent. id si factum esset, & ciuibus ani-
mum accessurum, cum uiderent de eorum uirtute non

desperari. & hostes eadem re fore tardiores, si animaduerterent audiri aduersus se tam exiguis copijs dimicare. hoc in tempore nulla ciuitas Atheniensibus auxilio fuit præter Platæenses. ea mille misit militum. itaque horum aduentu decem milia armatorum completa sunt. quæ manus mirabili flagrabat pugnandi cupiditate. quo factum est, ut plus, quàm collegæ, Miltiades ualuerit. eius enim authoritate impulsi Athenienses copias ex urbe eduxerunt, locoq; idoneo castra fecerunt. deinde postero die, sub montis radicibus acie è regione instructa, noua arte, ui summa prælium commiserunt. nanq; arbores multis locis erant raræ. hoc consilio, ut & montium tegerentur altitudine, & arborum tractu equitatus hostium impediretur, ne multitudine clauderentur. Datis, etsi non locum æquum uidebat suis, tamen fretus numero copiarum suarum confligere cupiebat. eóque magis, q̄ prius, quàm Lacedæmonij subsidio uenirent, dimicare utile arbitrabatur. Itaq; in acie peditum centum, equitum decē milia produxit, præliumq; commisit. In quo tanto plus uirtute ualuerunt Athenienses, ut decupliciem numerum hostium profligarent. adeo perterruerunt, ut Persæ non castra, sed naues peterent. Qua pugna nihil adhuc est nobilius. nulla enim unquam tam exigua manus tantas opes prostrauit. Cuius uictoriæ non alienum uidetur, quale præmium Miltiadi sit tributum, docere. quo facilius intelligi possit, eandem omnium ciuitatum esse naturam. Vt populi nostri honores quondam fuerunt rari & tenues, ob eamq; causam gloriosi, nunc autem effusi atque aboleti, sic olim apud Athenienses fuisse

reperimus. nanq; huic Miltiadi, qui Athenas totam'que Græciam liberauit, talis honos tributus est in porticu, quæ pœcile uocatur, cum pugna depingeretur Marathonia, ut in decem prætorum numero prima eius imago poneretur, is'que hortaretur milites, prælium'que committeret. Idem ille populus, posteaquam maius imperium est nactus, & largitione magistratuum corruptus est, trecentas statuas Demetrio Phalereo decreuit. Post hoc prælium classem septuaginta nauium Athenienses eidem Miltiadi dederunt, ut insulas, quæ barbaros adiuuerant, bello persequeretur. quo imperio plerasque ad officium redire coëgit, nonnullas ui expugnauit. Ex his Parum insulam opibus elatam cum oratione reconciliare non posset, copias è nauibus eduxit, urbem operibus clausit, omnique commeatu priuauit. deinde uineis ac testudinibus constitutis propius muros accessit. Cum iam in eo esset, ut oppido potiretur, procul in continenti lucus, qui ex insula conspiciebatur, nescio quo casu, nocturno tempore incensus est. cuius flamma ut ab oppidanis & oppugnatoribus est uisa, utriusque uenit in opinionem signum à classiarijs regijs datum. quo factum est, ut Parij à deditione deterrerentur, & Miltiades timens ne classis regia aduentaret, incensis operibus, quæ statuerat, cum totidem nauibus, atque erat profectus, Athenas magna cum offensione ciuium suorum rediret. Accusatus ergo proditionis, quod cum Parum expugnare posset, à rege corruptus infectis rebus à pugna discessisset. Eo tempore æger erat uulneribus, quæ in oppugnando oppido ceperat. itaque, quoniam ipse pro se dicere non pos-

ſet, uerba fecit frater eius Dagoras. Cauſa cognita capitis abſolutus, pecunia mulctatus eſt, eaque lis quinquaginta talentis æſtimata eſt, quantus in claſſem ſumptus factus erat. Hanc pecuniam, quod ſoluere non poterat, in uincula publica coniectus eſt, ibique diem obijt ſupremum. Hic & ſi crimine Pario eſt accuſatus, tamen alia fuit cauſa damnationis. nanque Athenienſes propter Piſiſtrati tyrannidem, quæ paucis annis ante fuerat, omnium ſuorum ciuium potentiam extimeſcebant. Miltiades multum in imperijs magiſtratibusque uerſatus non uidebatur poſſe eſſe priuatus. præſertim cum conſuetudine ad imperij cupiditatem trahi uideretur. nam Cherſonneſi omnes illos, quos habitarat annos, perpetuam obtinuerat dominationem, tyrannusq; fuerat appellatus, ſed iuſtus. non erat enim ui conſecutus, ſed ſuorum uoluntate. eamq; poteſtatem bonitate retinebat. Omnes autem & habentur & dicuntur tyranni, qui poteſtate ſunt perpetua in ea ciuitate, quæ libertate uſa eſt. Sed in Miltiade erat tum ſumma humanitas, tum mira comitas, ut nemo tam humilis eſſet, cui non ad eum aditus pateret. magna authoritas apud omnes ciuitates, nobile nomen, laus rei militaris maxima. Hæc populus reſpiciens, maluit eum innoxium plecti, quàm ſe diutius eſſe in timore.

THEMISTOCLIS VITA.

Themistocles Neoclis filius Atheniensis. Huius uitia ineuntis adolescentiæ magnis sunt emendata uirtutibus. adeo ut anteferatur huic nemo, pauci pares putentur. Sed ab initio est ordiendum. Pater eius Neocles generosus fuit, is uxorem Halicarnassiam ciuem duxit, ex qua natus est Themistocles. q cum minus esset probatus parentibus, q & liberius iusto uiuebat, & rem familiarem negligebat, a patre exhæredatus est. quæ contumelia non fregit eum, sed erexit. Nam cum iudicasset sine summa industria non posse eam extingui, totum se dedit reipublicæ, diligẽtius amicis famæq; seruiens. Multum in iudicijs priuatis uersabatur, sæpe in concionem populi prodibat, nulla res maior sine eo gerebatur, celeriterq; quæ opus erant, reperiebat. Neque minus in rebus gerendis promptus, q̃ excogitandis erat, q & de instantibus (ut ait Thucydides) uerissime iudicabat, & de futuris callidissime conijciebat. Quo factum est, ut breui tempore illustraretur. Primus autem gradus fuit capessendæ reipublicæ bello Corcyræo. ad quod gerendum prætor a populo factus, non solum præsenti bello, sed etiam reliquo tempore ferociorem reddidit ciuitatem. nam cum pecunia publica, quæ ex metallis redibat, largitione magistratuum quotannis interiret, ille persuasit populo, ut ea pecunia classis centum nauium ædificaretur. Qua celeriter effecta, primum Corcyræos fregit, deinde maritimos prædones consectando mare tutum reddidit. In

quo cum diuitijs ornauit, tum etiam peritissimos belli naualis fecit Athenienses. Id quantae saluti fuerit uniuersae Graeciae, bello cognitum est Persico. nam cum Xerxes & mari & terra bellũ uniuersae ferret Europae, cum tantis eam copijs inuasit, quantas neq; ante, neque postea habuit quisq̃. huius enim classis mille & ducentarum nauium longarum fuit, quã duo milia onerariarum sequebantur. terrestres autem exercitus septingentorum milium peditum, equitum quadringentorum milium fuerunt. Cuius de aduentu cum fama in Graeciam esset perlata, & maxime Athenienses peti dicerentur, propter pugnam Marathoniam, miserunt Delphos consultum, quidnam facerent de rebus suis. Deliberantibus Pythia respondit, ut moenibus ligneis se munirent. Id responsum, quo ualeret cum intelligeret nemo, Themistocles persuasit consilium esse Apollinis, ut in naues se suaq; conferrent. eum enim significari murum ligneum. Tali consilio probato, addunt ad superiores totidem naues triremes. suaq; omnia, quae moueri poterant, partim Salaminem, partim Troezenem asportant. arcem sacerdotibus paucisq; maioribus natu, ac sacra procuranda tradunt, reliquum oppidum relinquunt. Huius consilium plerisq; ciuitatibus displicebat, & in terra dimicari magis placebat. Itaq; missi sunt delecti cum Leonida Lacedaemoniorum rege, q Thermopylas occuparent, longiusq; barbaros progredi nõ paterentur. Hi uim hostium non sustinuerunt, eoq; loco omnes interierunt. At classis communis Graeciae trecentarum nauium, in qua ducentae erãt Atheniensium, primum apud Artemisiũ inter Euboeam continẽtemq;

terram

terrā cum classiarijs regis cōflixit. angustias enim Themistocles quærebat, ne multitudine circuiretur. hic etsi pari prælio discesserant, tamen eodem loco nō sunt ausi manere, ꝙ erat periculum, ne si pars nauium aduersariorum Eubœam superasset, ancipiti premerentur pıculo. Quo factum est, ut ab Artemisio discederent, et aduersum Athenas apud Salamina classem suam constituerent. At Xerxes, Thermopylis expugnatis, protinus accessit Asty, idq; nullis defendentibus, interfectis sacerdotibus, quos in arce inuenerat, incendio deleuit. cuius fama perterriti classiarij cum manere non auderent, & plurimi hortarentur, ut domos suas discederent, mœnibusq; se defenderent, Themistocles unus restitit, & uniuersos esse pares aiebat, dispersos testabatur perituros. idq; Eurybiadi regi Lacedæmoniorū, qui tum summæ imperij præerat, fore affirmabat. quem cum minus, quàm uellet, moueret, noctu de seruis suis, quem habuit fidelissimum, ad regem misit, ut ei nuntiaret suis uerbis aduersarios eius in fuga esse. qui si discessissent, maiore cum labore, & longinquiore tempore, bellum confecturum, cum singulos consectari cogeretur. quos si statim aggrederetur, breui uniuersos oppressurum. Hoc eo ualebat, ut ingrati ad depugnandum omnes cogerentur. Hac re audita barbarus nihil doli subesse credens postridie alienissimo sibi loco, contra opportunissimo hostibus, adeo angusto mari conflixit, ut eius multitudo nauium explicari non potuerit. Victus ergo est magis consilio Themistoclis, quàm armis Græciæ. Hic etsi male rem gesserat, tamen tantas habebat reliquias copiarum, ut etiam cum his oppri-

mere posset hostes. Interim ab eodem gradu depulsus est. Nam Themistocles uerens, ne bellare perseuerarent, certiorem eum fecit id agi, ut pons, quem ille in Hellesponto fecerat, dissolueretur, ac reditu in Asiam excluderetur. Idq; ei persuasit. Itaque, qua sex mensibus iter fecerat, eadem minus diebus triginta in Asiã reuersus est. seq; à Themistocle non superatum, sed conseruatum iudicauit. Sic unius uiri prudentia Græcia liberata est, Europæque succubuit Asia. Hæc altera uictoria, quæ cum Marathonio possit comparari tropæo. nam pari modo apud Salamina paruo numero nauium maxima post hominum memoriam classis est deuicta. Magnus hoc bello Themistocles fuit, nec minor in pace. Cum enim Phalereo portu neq; magno neque bono Athenienses uterentur, huius consilio triplex Pyræei portus constitutus est. isq; mœnibus circundatus, ut ipsam urbem dignitate æquipararet, utilitate superaret. Idemq; muros Atheniensium restituit præcipuo periculo suo. nanq; Lacedæmonij causam idoneam nacti propter barbarorum excursiones, qua negarent oportere extra Peloponnesum ullam urbem haberi, ne essent loca munita, quæ hostes possiderent, Athenienses ædificantes prohibere sunt conati. Hoc longe alio spectabat, atq; uideri uolebant. Athenienses enim duabus uictorijs Marathonia & Salamnia tantam gloriam apud omnes gentes erant consecuti, ut intelligerent Lacedæmonij de principatu sibi cum his certamen fore. quare eos quaminfirmissimos esse uolebant. Postquam autem audierunt muros instrui, legatos Athenas miserunt, qui id fieri uetarent. His præsentibus

desierunt,

desierunt, ac se de ea re legatos ad eos missuros dixerunt. hanc legationem suscępit Themistocles, & solus primo profectus est. reliqui legati, ut tum exirent, cum satis altitudo muri extructa uideretur, pręcępit. Interim omnes serui atque liberi opus facerent, neque ulli loco parcerent, siue sacer, siue prophanus, siue priuatus, siue publicus, & undique, quod idoneum ad muniendum putarent, cogerent. Quo factum est, ut Atheniensium muri ex sacellis sepulchrisq; constarent. Themistocles autem, ut Lacędæmonem uenit, adire ad magistratus noluit, & dedit operam, ut quamlongissime tempus duceretur, causam interponens se collegas expectare. Cum Lacędæmonij quererentur opus nihilominus fieri, eumq; ea re conati fallere. interim reliqui legati sunt consecuti, à quibus cum audisset non multum superesse munitionis ad Ephoros Lacedæmoniorũ accessit, penes quos summum imperium erat, atq; apud eos contendit falsa his esse delata. Quare æquum esse illos bonos uiros nobilesq; mittere, quibus fides adhiberetur, qui rem explorarent. interea se obsidem retinerent. gestus ē ei mos, tresq; legati functi summis honoribus Athenas missi sunt. Cũ his collegas suos Themistocles iussit proficisci. hisq; prædixit, ut ne prius Lacedæmoniorum legatos dimitterent, quàm ipse esset remissus. Hos postquam Athenas peruenisse est ratus, ad magistratum senatumq; Lacedæmoniorum adijt, & apud eos liberrime professus est Atheniēses suo consilio, quod communi iure gentium facere possent, deosq; publicos suosq; patrios ac penates, quo facilius ab hoste possent defendere, muris sepsisse, neque eo, quod in-

utile esset Græciæ fecisse. nam illorum urbem & propugnaculum oppositum esse barbaris, apud quam iam bis classem regiam fecisse naufragium. Lacedæmonios autem male & iniuste facere, qui id potius intuerentur, quod ipsorum dominationi, quàm quod uniuersæ Græciæ utile esset. Quare si suos legatos accipere uellent, quos Athenas miserant, se remitterent, aliter illos nunquam in patriam essent recepturi. Tamen non effugit ciuium suorum inuidiam. namq; ob eundem timorem, quo damnatus erat Miltiades, testarum suffragijs è ciuitate eiectus Argos habitatum concessit. Hic cũ propter multas eius uirtutes magna cum dignitate uiueret, Lacedæmonij legatos Athenas miserunt, qui eum absentem accusarent, quod societatem cum rege Persiæ ad Græciam opprimendam fecisset. hoc crimine absens proditionis est damnatus. Id ut audiuit, quod non satis tutum se Argis uidebat, Corcyram demigrauit. Ibi cum eius principes ciuitatis animaduertisset timere, ne propter se bellum his Lacedæmonij & Athenienses inducerent, ad Admetum Molossorum regem, cum quo ei hospitium fuerat, confugit. Huc cum uenisset, & in præsentia rex abesset, quo maiore religione se receptum tueretur, filiam eius paruulam arripuit, & cum ea se in sacrarium, quod summa colebatur cærimonia, coniecit. inde non prius egressus est, quàm rex eum data dextra in fidem reciperet, quam præstitit. nam cum ab Atheniensibus & Lacedæmonijs exposceretur publice, supplicem non prodidit, monuitq;, ut consuleret sibi. difficile enim esse, in tam propinquo loco tuto eum uersari. Itaque Pydnam eum deduci iussit,

&, quod satis esset, praesidij dedit. Hic in nauem omnibus ignotus ascendit, quae cum tempestate maxima Naxum ferretur, ubi tum Atheniensium erat exercitus, sensit Themistocles, si eo peruenisset, sibi esse pereundũ. hac necessitate coactus domino nauis, quis sit, aperit, multa pollicens, si se conseruasset. at ille clarissimi uiri captus misericordia diem noctemq; procul ab insula in salo nauem tenuit in ancoris, neque quẽquam ex ea exire passus est. Inde Ephesum peruenit, ibique Themistoclem exponit, cui ille pro meritis gratiam postea retulit. Scio plerosque ita scripsisse, Themistoclem Xerxe regnante in Asiam transisse. sed ego potissimum Thucydidi credo, quod aetate proximus erat, qui illorũ temporum historiam reliquerunt, & eiusdem ciuitatis fuit. Is autem ait ad Artaxerxem eum uenisse, atque his uerbis epistolam misisse. Themistocles ueni ad te, qui plurima mala omnium Graiorum in domum tuam intuli, cum mihi necesse fuit aduersus patrem tuum bellare, patriamq; meam defendere. Idem multo plura bona feci, postquam in tuto ipse, & ille in periculo esse coepit. Nam cum in Asiam reuerti uellet, praelio apud Salamina facto, literis eum certiorem feci, id agi, ut pons, quem in Hellesponto fecerat, dissolueretur, atque ab hostibus circumiretur. quo nuncio ille periculo est liberatus. Nunc autem confugi exagitatus à cuncta Graecia tuã petens amicitiam, quam si ero adeptus, non minus me bonum amicum habebis, quàm fortem inimicum ille expertus est. Ea autem rogo, ut de his rebus, quas tecum colloqui uolo, annum mihi temporis des, eoq; transacto ad te uenire patiaris. Huius rex

animi magnitudinem admirans, cupiensq; talem uirum sibi conciliari, ueniam dedit. Ille omne illud tempus literis sermonique Persarum dedit, quibus adeo eruditus est, ut multo commodius dicatur apud regem uerba fecisse, quàm hi poterant, qui in Perside erant nati. Hic cum multa regi esset pollicitus, gratissimum'que illud, si suis uti consilijs uellet, illum Græciam bello oppressurum, magnis muneribus ab Artaxerxe donatus in Asiam redijt, domicilium'que Magnesiæ sibi constituit. nanque hanc urbem ei rex donarat, his usus uerbis, quæ ei panem præberet. ex qua regione quinquaginta talenta quotannis redibant, Lampsacum, unde uinum sumeret, Myuntem, ex qua opsonium haberet. Huius ad nostram memoriam monumenta manserunt duo, sepulcrum propè oppidum, in quo est sepultus. statuæ in foro Magnesiæ. De cuius morte multis modis apud plerosque scriptum est, sed nos eundem potissimum Thucydidem authorem probamus. qui illum ait Magnesiæ morbo mortuum, neque negat fuiße famam uenenum sua sponte sumpsiße, cum se quæ regi de Græcia opprimenda pollicitus eßet, præstare poße desperaret. Idem ossa eius clàm in Attica ab amicis sepulta, quoniam legibus non concederetur, quod proditionis eßet damnatus, memoriæ prodidit.

Aristidis

ARISTIDIS VITA.

Ristides Lysimachi filius Atheniensis, æqualis ferè fuit Themistocli. itaque cum eo de principatu contendit. nanq; obtrectarunt inter se. In his autem cognitum est, quanto antestaret eloquentia innocentiæ. quãquam enim adeo excellebat Aristides abstinentia, ut unus post hominum memoriã, quod quidem nos audierimus, cognomine iustus sit appellatus, tamen à Themistocle collabefactus testula illa exilio decem annorum mulctatus est. Qui quidem cum intelligeret reprimi concitatam multitudinem non posse, sedensq; animaduerteret quendam scribentem, ut patria pelleretur, quæsisse ab eo dicitur, quare id faceret, aut quid Aristides commisisset, cur tanta pœna dignus duceretur. Cui ille respondit, se ignorare Aristidem, sed sibi non placere, quod cupide elaborasset, ut præter cæteros iustus appellaretur. Hic decem annorum legitimam pœnam non pertulit. nam postquam Xerxes in Græciam descendit, sexto ferè anno, quàm erat expulsus, plebiscito in patriam restitutus est. Interfuit autem pugnæ nauali apud Salamina, quæ facta est prius, quàm pœna liberaretur. Idem prætor fuit Atheniensium apud Platæas in prælio, quo Mardonius fusus, barbarorumq; exercitus interfectus. Neque aliud est ullum huius in re militari illustre factum, q̃ huius imperij memoria. Iustitiæ uero & æquitatis & innocentiæ multa. In primis, ꝙ eius æquitate factum est, cum in communi classe esset Græciæ simul cum Pau

sania, quo duce Mardonius erat fugatus, ut summa im
perij maritimi à Lacedæmonijs trāsferretur ad Athe
nienses. nanq; ante id tempus & mari & terra duces
erant Lacedæmonij. tum autem & intemperātia Pau
saniæ, & iustitia factum est Aristidis, ut omnes ferè ci=
uitates Græciæ ad Atheniensium societatem se applica
rent, & aduersus barbaros hos duces deligerent sibi,
quo facilius repellerent, si forte bellum renouare co=
narentur. Ad classes ædificandas exercitusq; compa=
randos quantum pecuniæ quæq; ciuitas daret, Aristi-
des delectus est, qui constitueret. eius arbitrio quadrin
genta & sexaginta talenta quotannis Delum sunt col
lata. id enim commune ærarium esse uoluerunt. Quæ
omnis pecunia postero tempore Athenas translata est.
Hic qua fuerit abstinētia, nullum est certius indicium,
quàm, cum tantis rebus præfuisset in tanta pauperta=
te decessit, ut qui efferretur, uix reliquerit. Quo factū
est, ut filiæ eius publice alerentur, & de communi æra
rio dotibus datis collocarentur. Decessit autem ferè post
annū quartum, q̄ Themistocles Athenis erat expulsus.

PAVSANIAE VITA.

P Ausanias Lacedæmonius magnus ho=
mo, sed uarius in omni genere uitæ
fuit. nam ut uirtutibus eluxit, sic uitijs
est obrutus. Huius illustrissimum est
prælium apud Platæas. nanq; illo du
ce Mardonius Satrapes regius, natione Medus, regis
gener, in primis omnium Persarum & manu fortis, et

consilij

consilij plenus, cum ducentis milibus peditum, quos ui ritim legerat, et uiginti milibus equitum, haud ita ma gna manu Græcia fugatus est. eoq; ipse dux cecidit præ lio. Qua uictoria elatus plurima miscere cœpit, et ma iora concupiscere. Sed primum in eo est reprehensus, quod cum ex præda tripodem aureũ Delphis posuisset epi grammate scripto. in quo erat hæc sententia, suo ductu barbaros apud Platæas esse deletos, eiusq; uictoriæ er go Apollini donum dedisse, hos uersus Lacedæmonij exculpserunt, neq; aliud scripserunt, quam nomina earum ciuitatum, quarum auxilio Persæ erant uicti. Post id prælium eundem Pausaniam cum classe communi Cyprum atq; Hellespontum miserunt, ut ex his regio nibus barbarorum præsidia depelleret. Pari felicitate in ea re usus elatius se gerere cœpit, maioresq; appe tere res. Nam cum Byzantio expugnato cepisset com plures Persarum nobiles, atq; in his nonnullos regis propinquos, hos clam Xerxi remisit, simulans ex uin clis publicis effugisse, & cum his Congylũ Cretensem, qui literas regi redderet. in quibus hæc fuisse scripta Thucydides memoriæ prodidit. Pausanias dux Spar tæ, quos Byzantij ceperat, postquam propinquos tuos cogno uit, tibi muneri misit, seq; tecum affinitate coniungi cu pit. quare, si tibi uidetur, des ei filiã tuam nuptum. Id si feceris & Spartam et cæteram Græciam sub tuam potestatem se adiuuante redacturum pollicetur. His re bus si quid geri uolueris, certum hominem ad eum mit tas face, cum quo colloquatur. Rex tot hominũ salute tã sibi necessariorum magnopere gauisus, confestim cum epistola Artabazum ad Pausaniam mittit. In qua eũ

collaudat. petit, ne cui rei parcat ad ea perficienda, quæ pollicetur. Si fecerit, nullius rei à se repulsam laturum. Huius Pausanias uoluntate cognita alacrior ad rem gerendam factus, in suspitionem cecidit Lacedæmoniorum. In quo facto domum reuocatus, accusatus capitis, absoluitur mulctatur tamen pecunia. quam ob causam ad classem remissus non est. At ille post non multo sua sponte ad exercitum redijt, & ibi non callida, sed dementi ratione cognita patefecit. Non enim mores patrios solum, sed etiam cultum uestitumq; mutauit. Apparatu regio utebatur, ueste medica. Satellites Medi & Aegyptij sequebantur. Epulabatur more Persarum luxuriosius, q̃, qui aderant, perpeti possent. Aditum petentibus conueniendi non dabat. superbe respondebat. & crudeliter imperabat. Spartam redire nolebat. Colonas, qui locus in agro Troade est, se contulerat, ibi consilia cum patriæ, tũ sibi, inimica capiebat. Id postq̃ Lacedæmonij resciuerunt, legatos ad eum cum scytala miserunt, in qua more illorum erat scriptum, nisi domum reuerteretur, se capitis eũ damnaturos. Hoc nuntio motus, sperans se etiam cũ pecunia & potentia instans periculum posse depellere, domum redijt. huc ut uenit, ab ephoris in uincula publica coniectus est. licet enim legibus eorum cuiuis ephoro hæc facere regi. hinc tamen se expediuit, neq; eo magis carebat suspicione, nã opinio manebat eum cum rege habere societatem. Est genus quoddam hominum, quod Helotæ uocatur, quorum magna multitudo agros Lacedæmoniorum colit, seruorumq; munere fungitur. hos quoq; sollicitare spe libertatis existimabatur. sed quot harum rerum nullũ

erat apertum crimen, quo argui posset, non putabant de tali tam'q; claro uiro suspicionibus oportere iudicari. & expectandum, dum se ipsa res aperiret. Interim Argilius quidam adolescentulus, quem puerum Pausanias amore uenereo dilexerat, cum epistolã ab eo ad Artabazum accepisset, eiq; in suspicionem uenisset, aliquid in ea de se esset scriptum, ꝙ nemo eorum rediisset, qui super tali causa eodem missi erant, uincula epistolæ laxauit, signo'q; detracto cognouit, si pertulisset sibi esse pereundum. Erant in eadem epistola, quæ ad ea pertinebant, quæ inter regem Pausaniam'q; conuenerant. Has ille literas ephoris tradidit. Nõ est prætereunda grauitas Lacedæmoniorum hoc loco. nam ne huius quidem indicio impulsi sunt, ut Pausaniam comprehenderent. neq; prius uim adhibendam putauerunt, q̃ se ipse indicasset. Itaq; huic indici, quid fieri uellent, præceperunt. Fanum Neptuni est Tænari, qđ uiolari nefas putant Græci. Eò ille index confugit, in ara consedit. hanc iuxta locum fecerunt sub terra, ex quo posset audiri, si quis quid loqueretur cum Argilio. huc ex ephoris quidam descenderunt. Pausanias, ut audiuit Argilium cõfugisse in aram, perturbatus uenit eò, quẽ cum supplicem dei uideret in ara sedentem, quærit causæ quid sit tam repentini consilii. huic ille, quid ex literis comperisset, aperit. modo magis Pausanias perturbatus orare cœpit, ne nuntiaret, nec se meritum de illo optime proderet. quod si eam ueniam sibi dedisset, tantis'q; implicitum rebus subleuasset, magno se ei præmio futurum. His rebus ephori cognitis satius putauerunt in urbe eum comprehendi, quo cum essent

profecti, & Pausanias placato Argilio (ut putabat) Lacedæmonem reuerteretur, in itinere, cum iã in eo esset, ut cóprehenderetur, è uultu cuiusdam ephori, qui eum admonere cupiebat, & insidias sibi fieri ĩtellexit. Itaq; paucis ante gradibus, q̃ qui sequebantur, in ædem Mineruæ, quæ Chalciæcus uocatur, confugit. Hinc ne exire posset, statim ephori ualuas eius ædis obstruxerunt, tectumq; sunt demoliti, quo facilius sub dio interiret. Dicitur eo tempore matrem Pausaniæ uixisse, eamq; iã magno natu, postq̃ de scelere filij comperit, in primis ad filium claudendũ lapidem ad introitum ædis attulisse. Sic Pausanias magnam belli gloriam turpi morte maculauit. Hic cum semianimus de templo elatus esset, confestim animam efflauit. Cuius mortui corpus cũ eodem nonnulli dicerent inferri oportere, quo hi, qui ad supplicium essent dati, displicuit pluribus, & procul ab eo loco infoderunt, quo erat mortuus. Inde posterius delphici responso exutus, atque loco sepultus, ubi uitam finierat.

CIMONIS VITA.

c Imon Miltiadis filius Atheniensis, duro admodum initio usus est adolescentiæ. nam cum pater eius litem æstimatam populo soluere non potuisset, ob eamq; causam in uinculis publicis decessisset, Cimon eadem custodia tenebatur, neq; legibus Atheniensibus emitti poterat, nisi pecuniam, qua pater mulctatus esset, soluisset. Habebat autem in matrimo-

nio sororem germanam suam nomine Elpenicen, non magis amore, quam patrio more, ductus. nam Atheniensibus licet eodem patre natas uxores ducere. Huius coniugij cupidus Gallias quidam, non tam generosus, quam pecuniosus, qui magnas pecunias ex metallis fecerat, egit cum Cimone, ut eam sibi uxorem daret. id si impetrasset, se pro illo pecuniam soluturum. Is cum talem conditionem aspernaretur, Elpenice negauit se passurā Miltiadis progeniem in uinculis publicis interire, quoniam prohiberet, seq; Galliae nupturam, si ea, quae pol liceretur, praestitisset. Tali modo custodia liberatus Cimon, celeriter ad principatum peruenit. Habebat enim satis eloquentiae, summam liberalitatem, magnam prudentiam, cum iuris ciuilis, tum rei militaris, quod cum patre à puero in exercitu fuerat uersatus. Itaq; hic & populum urbanum in sua tenuit potestate, & apud exercitum plurimum ualuit authoritate. Primum imperator apud flumen Strymona magnas copias Thracum fugauit. oppidum Amphipolim constituit, eoq; decē milia Atheniensium in coloniam misit. Idē iterum apud Mycalen Cypriorum & Phoenicum ducentarum nauium classem deuictam cepit. Eodē q; die pari fortuna in terra, usus est. nāq; hostiū nauibus captis, statim ex classe copias suas eduxit, barbarorū uno concursu maximā uim prostrauit. Qua uictoria magna praeda potitus cum domum reuerteretur, quod iam nonnullae insulae propter acerbitatem imperij defecerant, alienatas ad officium redire coēgit. Scyrum, quam eo tempore Dolopes incolebant, quod contumacius se gesserat, uacuefecit, sessores ueteres urbe insulaq; eiecit, agros ciuibus diuisit.

Thasios opulentia fretos suo aduentu fregit. His è manubijs Athenarum arx, quæ ad meridiem uergit, est ornata. Quibus rebus cum unus in ciuitate maxime floreret, incidit in eandem inuidiam, quam pater suus, cæteriq; Atheniensium principes. nam testarum suffragijs, quod illi ostracon uocant, decem annorum exilio mulctatus est. Cuius facti celerius Athenienses, quam ipsum, pœnituit. nam cum ille animo forti inuidiæ ingratorum ciuium cessisset, belluq; Lacedæmonij Atheniensibus indixissent, confestim notæ eius uirtutis desiderium consecutum est. Itaq; post annum quintum, quo expulsus erat, in patriam reuocatus est. Ille quod hospitio Lacedæmoniorum utebatur, satius existimans contendere Lacedæmonem, sua sponte est profectus, pacemq; inter duas potentissimas ciuitates conciliauit. post neq; ita multo in Cyprum cum ducentis nauibus imperator missus, cum eius maiorem partem insulæ deuicisset, in morbum implicitus in oppido Citio est mortuus. Hunc Athenienses non solum in bello, sed in pace diu desiderauerunt. Fuit enim tanta liberalitate, cum compluribus locis prædia hortosq; haberet, ut nunquam in eis custodem imposuerit fructus seruandi gratia, ne quis impediretur, quo minus eius rebus, quibus uellet, frueretur. Semper eum pedisse qui cum nummis sunt secuti, ut si quis opis eius indigeret, haberet, quod statim daret, ne differendo uideretur negare. Sæpe, cum aliquem offensum fortuna uideret minus bene uestitum, suum amiculum dedit. cotidie sic cœna ei coquebatur, ut quos conuocatos uidisset in foro, omnes deuocaret, quod facere nullum diem prætermittebat. Nulli si

des eius, nulli opera, nulli res familiaris defuit. multos locupletauit. complures pauperes mortuos, qui, unde efferrentur, non reliquiſſent, ſuo ſumptu extulit. Sic ſe gerendo minime eſt mirandum, ſi & uita eius fuit ſecura, & mors acerba.

LYSANDRI VITA.

Lyſander Lacedæmonius magnam reliquit ſui famam magis felicitate, quàm uirtute, partam. Athenienſes enim in Peloponneſios ſexto & uigeſimo anno bellum gerentes confeciſſe apparet. Id qua ratione conſecutus ſit, latet. non enim uirtute ſui exercitus, ſed immodeſtia factum eſt aduerſariorum, qui ꝙ dicto audientes imperatoribus ſuis non erant, diſpalati in agris relictis nauibus in hoſtium uenerunt poteſtatem. quo facto Athenienſes ſe Lacedæmonijs dederunt. Hac uictoria Lyſander elatus, cum antea ſemper factioſus audaxq; fuiſſet, ſic ſibi indulſit, ut eius opera in maximum odium Græciæ Lacedæmonij peruenerint. Nam cum hanc cauſam Lacedæmonij dictitaſſent ſibi eſſe belli, ut Athenienſium impotentem dominationem refringerent, poſtq̃ apud Aegos flumen Lyſander claſſis hoſtium eſt potitus, nihil aliud molitus eſt, q̃ ut omnes ciuitates in ſua teneret poteſtate, cum id ſe Lacedæmoniorum cauſa facere ſimularet. nanq; undiq; qui Athenienſium rebus ſtuduiſſent eiectis, decem delegerat in una quaq; ciuitate, quibus ſummum imperium poteſtatemq; omniũ rerum cõmitteret. horum in numero nemo admittebatur, niſi ꝗ

aut eius hospitio contineretur, aut se illius fore propriũ fide confirmarat. Ita decemuirali potestate in omnibus urbibus constituta, ipsius nutu omnia gerebantur. cuius de crudelitate ac perfidia satis est unam rem exempli gratia proferre, ne de eodem plura enumerando, fatigemus lectores. Victor ex Asia cũ reuerteretur, Thasumq; diuertisset, ꝙ ea ciuitas præcipua fide fuerat erga Athenienses, perinde ac si iidem firmissimi solerẽt esse amici, qui constantes fuissent inimici, eam peruertere concupiuit. uidit autem, nisi in eo occultasset uoluntatem, futurum ut Thasij dilaberentur, consulerentq; rebus suis. Itaq; decemuiralem suam potestatem sui ab illo constitutam sustulerunt. quo dolore incensus iniit consilia, reges Lacedæmoniorum tollere. sed sentiebat id sine ope deorum facere non posse, ꝙ Lacedæmonij omnia ad oracula referre consueuerant. Primum Delphos corrumpere est conatus. cum id non potuissẽt, Dodonam adortus est. hinc quoq; repulsus dixit, se uota suscepisse, quæ Ioui Ammoni solueret, existimans se Afros facilius corrumpturum. Hac spe cum profectus esset in Africam, multum eum antistites Iouis fefellerunt, nam non solum corrumpi non potuerunt, sed etiã legatos Lacedæmona miserunt, qui Lysandrum accusarẽt, ꝙ sacerdotes fani corrũpere conatus esset. Accusatus hoc crimine, iudicumq; absolutus sententijs, Orchomenijs missus subsidio, occisus ẽ à Thebanis apud Haliartũ. Quàm uere de eo foret iudicatũ, oratio indicio fuit, quæ post mortẽ ĩ domo eius reperta est, in qua suadet Lacedæmonijs, ut regia potestate dissoluta, ex oĩbus dux deligatur ad bellũ gerendum, sed scripta, ut deorũ

uideretur

uideretur congruere sententiae, quam ille se habiturum pecunia fidens non dubitabat. hanc ei scripsisse Cleon Halicarnasseus dicitur. Atq; hoc loco non est praetereũdum factum Pharnabazi Satrapis regij. nam cum Lysander praefectus classis in bello multa crudeliter auareq; fecisset, deq; his rebus suspicaretur ad ciues suos esse perlatum, petijt à Pharnabazo, ut ad Ephoros sibi testimonium daret, quanta sanctitate bellum gessisset, sociosq; tractasset, de eaq; re accurate scriberet. magnã enim eius authoritatem in ea re futuram. Huic ille liberaliter pollicetur, librum grauem multis uerbis conscripsit, in quibus summis eum effert laudibus. quẽ cum legisset, probassetq;, dum designatur, alterum pari magnitudine, ut discerni non posset, signatum subiecit. in quo accuratissime eius auaritiam perfidiamq; accusarat. Hinc Lysander domum cum redisset, postq̃ de suis rebus gestis apud maximum magistratum, quae uoluerat, dixerat, testimonij loco librum à Pharnabazo datum tradidit. Hunc, summoto Lysandro, cum Ephori cognoscerent, ipsi legendum dederunt. Ita ille imprudens ipse suus accusator.

ALCIBIADIS VITA.

Lcibiades Cliniae filius Atheniensis. In hoc natura, quid efficere possit, uidetur experta. Constat enim inter omnes, q de eo memoriae prodiderunt, nihil illo fuisse excellentius uel in uitijs uel in uirtutibus. Nam in amplissima ciuitate, summo genere,

omnium ætatis suæ multo formosissimus, ad omnes res aptus, consiliiq; plenus. Nāq; imperator fuit summus mari & terra, disertus, ut in primis dicendo ualeret, & tanta erat commendatio oris atq; orationis, ut nemo ei dicendo posset resistere. deinde cum tempus posceret, laboriosus, patiens, liberalis, splendidus non minus in uita, q̃ uictu, affabilis, blandus, temporibus callidissime inseruiens. Idem simulac se remiserat, nec causa suberat, quare animi laborem perferret, luxuriosus, dissolutus, libidinosus, intemperans reperiebatur, ut omnes admirarentur in uno homine tantam dissimilitudinem, tāq; diuersam naturam. Educatus est in domo Periclis, priuignus enim suus fuisse dicitur. eruditus à Socrate. socerum habuit Hipponicum omnium græcæ linguæ eloquentia disertissimum. ut si ipse fingere uellet, neq; plura bona reminisci, neque maiora posset consequi, q̃ uel fortuna uel natura tribuerat. Ineunte adolescentia amatus est à multis more græcorum, in eis à Socrate, de quo mentionem facit Plato in symposio. nanq; eum induxit commemorantem se pernoctasse cum Socrate, neq; aliter ab eo surrexisse ac filius à parente debuerit. Postea, q̃ robustior est factus, non minus multos amauit. in quorum amore, quo adlicitum est, odiosa multa delicate iocoseq; fecit, quæ referremus nisi maiora potioraq; haberemus. Bello Peloponnesiaco huius consilio atq; authoritate Athenienses bellum Syracusanis indixerunt. ad quod gerendum ipse dux delectus est. duo præterea collegæ dati Nicias & Lamachus. Id cum appararetur prius quam classis exiret, accidit, ut una nocte omnes hermæ, qui in oppido erāt

Athenis,

Athenis, deijcerentur, præter unum, qui ante ianuam eius erat, Androcydesq; uocatus est. hoc cum appareret non sine magna multorum consensione esse factum, quod non ad priuatam, sed ad publicam rem pertineret, magnus multitudini timor est iniectus, nequa repentina uis in ciuitate existeret, quæ libertatem opprimeret populi. Hoc maxime conuenire in Alcibiadem uidebatur, quod & potentior & maior, quàm priuatus, existimabatur. multos enim liberalitate deuinxerat, plures etiã opera forensi suos reduxerat. quare fiebat, ut omnium oculos, quotiescunq; in publicum prodisset, ad se conuerteret, neq; ei par quisquam in ciuitate poneretur. Itaq; non solum spem in eo habebant maximam, sed etiam timorem, quod & obesse plurimum, et prodesse poterat. Aspergebatur etiam infamia, quod in domo sua facere mysteria dicebatur, quod nefas erat more Atheniensium, idq; non ad religionem, sed ad coniurationẽ pertinere existimabatur. Hoc crimine in contentionem ab inimicis compellebatur. Sed instabat tempus ad bellum proficiscendi. Id ille intuens, neq; ignorans ciuium suorũ consuetudinem, postulabat, si quid de se agi uellent, potius de præsenti quæstio haberetur, q̃ absens inuidiæ crimine accusaretur. Inimici uero eius quiescendum in præsenti, quia nocere non posse intelligebant, & illud tempus expectandum, decreuerunt, quo, si exisset, ut absentem aggrederẽtur. Itaq; fecerunt. nam postq̃ in Siciliam eum peruenisse crediderunt, absentẽ, quod sacra uiolasset, reum fecerunt. qua de re cum ei nuntius à magistratu in Siciliam missus esset, ut domum ad causam dicendam rediret, essetq; magna spe prouin-

tiæ bene administrandæ, nõ parere noluit, et in trire mẽ, quæ ad eum deportandum erat missa, ascendit, ac Thurios in Italiam pue ctus, multa secum reputans de immoderata ciuium suorum licentia crudelitateq; erga nobiles, utilissimum ratus impendentem euitare tẽpestatem, clam se à custodibus subduxit, & inde primum Elidem, deinde Thebas uenit. Postq̃ autem se capitis damnatum bonis publicatis audiuit, & id, quod usu uenerat, Eumolpidas et Cerycas à populo coactos, ut se deuouerent, eiusq; deuotionis, quo testatior esset memoria, exemplum in pila lapidea incisum esse positum in publico, Lacedæmonem demigrauit. Ibi, ut ipse prædicare consueuerat, non aduersus patriam, sed inimicos suos bellum gessit, q iidem hostes essent ciuitati. nam cum intelligerent se plurimum prodesse rei publicæ, ex ea eiecisse, plusq; iræ suæ, q̃ utilitati communi paruisse. itaq; huius consilio Lacedæmonii cum Persia rege amicitiam fecerunt. deinde Deceliam in Attica munierunt, præsidioq; perpetuo ibi posito in obsidione Athenas tenuerunt. Eiusdem opera Ioniam à societate auerterunt Atheniensium. quo facto, multo superiores bello esse cœperunt. neq; uero his rebus tam amici Alcibiadi sunt facti, q̃ timore ab eo alienati. nam cum acerrimi uiri præstantem prudentiam in omnibus rebus congnoscerent, pertimuerunt ne charitate patriæ ductus aliquando ab ipsis descisceret, & cum suis in gratiam rediret. Itaque tempus eius interficiendi quære re instituerunt. Id Alcibiadi diutius cælari non potuit, erat enim ea sagacitate, ut decipi non posset, præsertim, cum animũ attendisset ad cauẽdũ. Itaq; ad Tis-

saphernem præfectum regis Darij se contulit, cuius cũ in intimam amicitiam peruenisset, & Atheniensium male gestis in sicilia rebus opes senescere, contra Lacedæmoniorum crescere uideret. initio cum Pisandro prætore, qui apud Samum exercitum habebat, per internuntios colloquitur, & de reditu suo facit mentionem. Erat enim eodem, quo Alcibiades, sensu, populi potentiæ non amicus, & optimatum fautor. Ab hoc destitutus primum per Thrasybulum Lyci filium ab exercitu recipitur, prætorq; fit apud Samum. post suffragante Theramene plebiscito restituitur, pariq; absens imperio præficitur simul cum Thrasybulo & Theramene. Horum imperio tanta commutatio rerum facta est, ut Lacedæmonij, qui paulo ante uictores uiguerant, perterriti pacem peterent. uicti enim erant quinque prælijs terrestribus, tribus naualibus. in quibus ducentas naues triremes amiserant, quæ captæ i hostium uenerant potestatem. Alcibiades simul cum collegis recæperat Ioniam, Hellespontum, multas præterea urbes græcas, quæ in ora sitæ sunt Asiæ. quarum expugnauerant ꝗplures, in his ByZantium. neq; minus multas consilio ad amicitiam adiunxerant, ꝙ in captos clementia fuerant usi. Inde præda onusti locupletato exercitu maximis rebus gestis Athenas uenerunt. His cum obuiã uniuersa ciuitas in Piræeum descendisset, tanta fuit omnium expectatio uisendi Alcibiadis, ut ad eius triremem uulgus conflueret, perinde ac si solus aduenisset. sic enim populo erat persuasum, & aduersas superiores, & præsentes secundas res accidisse eius opera. Itaque & Siciliæ amissum, & Lacedæmonio-

rum uictorias culpæ suæ tribuebant. ꝙ talem uirum ex ciuitate expulissent. Neque id sine causa arbitrari uidebantur. nam postq̃ exercitui præesse cœperat, neque terra, neque mari hostes pares esse potuerant. Hic ut naui egressus est, quanquam Theramenes & Thrasybulus eisdem rebus præfuerant, simulq́; uenerant in Piræeum, tamen illum unum omnes persequebantur, & id, quod nunq̃ antea usu uenerat, nisi olympiæ uictoribus, coronis aureis æneisq́; uulgo donabatur. Ille lachrymans talem beneuolentiam ciuium suorum accipiebat, reminiscens pristini temporis acerbitatem. Postq̃ Asty uenit, concione aduocata sic uerba facit, ut nemo tam ferus fuerit, quin eius casum lachrymarit, inimicumq́; his se ostenderit, quorum opera patria pulsus fuerat. perinde ac si alius populus, non ille ipse, qui tum flebat, eũ sacrilegij damnasset. Restituta ergo huic sunt publice bona. ijdem illi Eumolpidæ ac Ceryces rursus resacrare sunt coacti, qui eum deuouerant. pilæq́; illæ, in quibus deuotio fuerat scripta, in mare præcipitatæ. Hæc Alcibiadi lætitia minus fuit diuturna. nam cum ei essent honores decreti, totaq́; respublica domi belliq́; tradita, ut unius arbitrio gereretur, & ipse postulasset, ut duo sibi collegæ darentur Thrasibulus & Adimantus, neq́; id negatum esset, classe in Asiã profectus, ꝙ apud Cymen minus ex sententia rem gesserat, in inuidiam recidit. nihil enim eum non efficere posse ducebant. ex quo fiebat, ut omnia minus prospere gesta eius culpæ tribuerent. cum aut eum negligenter, aut malitiose fecisse loquerentur, sicut accidit. nam corruptum à rege capere Cymen noluisse arguebant.

bant. Itaque huic maxime imputamus malo causam fuisse nimiam opinionem ingenij, atque uirtutis. timebatur enim non minus, quàm diligebatur, ne secunda fortuna magnisq; elatus opibus, tyrannidem concupisceret. quibus rebus factum est, ut absenti magistratum abrogarent, & alium in eius locum substituerēt. Id ille ut audiuit, domum reuerti noluit, & se Pataram contulit, ibiq; tria castella communiuit, Bornos, Biram, Themeonticos. manuq; collecta primus Græciæ ciuitates in Thracia introijt, gloriosius existimans barbarorum præda locupletari, quàm Graiorum. Qua ex re creuerat fama cum opibus, magnamq; amicitiam sibi cum quibusdam regibus Thraciæ pepererat. neque tamen à charitate patriæ potuit recedere. nam cum apud Aegos flumen Philocles prætor Atheniēsium classem constituisset suam, neq; longe abesset Lysander prætor Lacedæmoniorum, qui in eo erat occupatus, ut bellum q̃diutissime duceret, ꝙ ipsis pecunia à rege suppeditabatur. contra Atheniensibus exhaustis, præter arma & naues nihil erat super. Alcibiades ad Atheniēsium uenit exercitum, ibiq; præsente uulgo agere cœpit. si uellent, se coacturum Lysandrum dimicare, aut pacem petere. Respondent Lacedæmonios eo nolle confligere classe, quot pedestribus copijs plus, q̃ nauibus ualerent. sibi autem esse facile Seutym regē Thracum deducere, ut eos terra depelleret. quo facto necessario aut classe conflicturos, aut bellum composituros. Id etsi uere dictum Philocles animaduertebat, tamen postulata facere noluit, quod sentiebat se Alcibiade recepto nullius momenti apud exercitum futurum.

& si quid secundi euenisset, nullam in ea re suam partem fore. contra ea si quid aduersi accidisset, se unum eius delicti futurum reum. Ab hoc discedens Alcibiades, quoniam inquit uictoriæ patriæ repugnas, illud moneo, iuxta hostes castra habeas nautica. periculum est enim, ne immodestia militum nostrorum occasio detur Lysandro nostri opprimendi exercitus. Neque ea res illum fefellit. nam Lysander cum per speculatores comperisset, uulgum Atheniensium in terram prædatum exisse, naues'que penè inanes relictas, tempus rei gerendæ non dimisit, eo'que impetu totum bellum deleuit. At Alcibiades uictis Atheniensibus non satis tuta eadem loca sibi arbitrans, penitus in Thraciam se supra Propontidem abdidit, sperans ibi facillime suam fortunam occuli posse falso'. nam Thraces postquam eum cum magna pecunia uenisse senserunt, insidias fecerunt. qui ea, quæ apportauit, abstulerunt, ipsum capere non potuerunt. Ille cernens nullum locum sibi tutum in Græcia propter potentiam Lacedæmoniorum, ad Pharnabazum in Asiam transijt. quem quidem adeo sua cepit humanitate, ut eum nemo in amicitia antecederet. nanque ei Grimium dederat in Phrygia castrum, ex quo quinquaginta talenta uectigalis habebat. Qua fortuna Alcibiades non erat contentus, neque Athenas uictas Lacedæmonijs seruire poterat pati. Itaque ad patriam liberandam omni ferebatur cogitatione. Sed uidebat id sine rege Persarum non posse fieri. ideo'que eum amicum sibi cupiebat adiungi. neque dubitabat facile se consecuturum, si modo eius conueniendi habuisset potestatem.

testatem. nam Cyrum fratrem ei bellum clàm parare Lacedæmonijs adiuuantibus sciebat. id si aperuisset, magnam se initurum gratiam uidebat. Hæc cum moliretur, peteretq; à Pharnabazo, ut ad regem mitteretur, eodem tempore Critias cæterique tyranni Atheniensium certos homines ad Lysandrum in Asiam miserunt, qui eum certiorem facerent. nisi Alcibiadem sustulisset, nihil earum rerum fore ratum, quas ipse Athenis constituisset. quare si suas res gestas manere uellet, illum persequeretur. His Lacon rebus commotus statuit accuratius sibi agendum cum Pharnabazo societatem. huic ergo renuntiat, quæ regi cum Lacedæmonijs essent, irrita futura, nisi Alcibiadem uiuum aut mortuum tradidisset, stare non posse. Non tulit hoc Satrapes, & uiolare clementiam, quàm regis opes minui, maluit. Itaque misit Sysamethrem & Bagoam ad Alcibiadem interficiendum. cum ille esset in Phrygia, iterque ad regem compararet. Missi clàm uicinitati, in qua tum Alcibiades erat, dant negotium, ut eum interficiant. Illi cum ferro aggredi non auderent, noctu ligna contulerunt circa casam eam, in qua quiescebat, eam'que succenderunt, ut incendio conficerent, quem manu superari posse diffidebant. Ille autem in sonitu flãmæ excitatus, etsi gladius ei erat subductus, familiaris sui subalare telum eripuit. nanq; erat cum eo quidam ex Arcadia hospes, qui nunquam discedere uoluerat. hunc sequi se iubet, & id, quod in præsentia uestimentorum fuit, arripuit. his in ignem eiectis flammæ uiam transijt. Quem ut barbari incendium effugisse eminus uiderunt, telis missis interfecerunt, ca-

putq; eius ad Pharnabazum retulerunt. At mulier, quæ cum eo uiuere consueuerat, muliebri sua ueste con tectum ædificij incendio mortuum cremauit, quod ad uiuum interimendum erat comparatum. Sic Alcibiades annos circiter quadraginta natus, diem obijt supremum. Hunc infamatum à plerisque tres grauissimi historici summis laudibus extulerunt, Thucydides, qui eiusdem ætatis fuit. Theopompus, qui fuit post aliquanto natus. & Timæus. qui quidem duo maledicentissimi, nescio quo modo, in illo uno laudando consenserunt. nam ea, quæ supra diximus, de eo prædicarunt, atque hoc amplius. Cum Athenis splendidissima ciuitate natus esset, omnes Athenienses splendore ac dignitate superasse uitæ. postquam inde expulsus Thebas uenerit, adeo studijs eorum inseruisse, ut nemo eum labore corporis'que uiribus posset æquiperare. omnes enim Bœotij magis firmitati corporis, quàm ingenij acumini inseruiunt. eũdem apud Lacedæmonios, quorum moribus summa uirtus in patientia ponebatur, sic duritiæ se dedisse, ut parsimonia uictus atque cultus omnes Lacedæmonios uinceret. fuisse apud Thracas homines uinolentos rebusq; uenereis deditos, hos quoq; in his rebus antecessisse. uenisse ad Persas, apud quos summa laus esset fortiter uenari, luxuriose uiuere, horum sic imitatum consuetudinem, ut illi ipsi eum in his maxime admirarentur. quibus rebus effecisse, ut apud quoscunq; esset, poneretur, princeps haberetur'q; charissimus. Sed satis de hoc, reliquos ordiamur.

THRASYBVLI VITA.

t Hrasybulus Lyci filius Atheniensis, si per se uirtus sine fortuna ponderanda sit, dubito an hunc primum omnium ponam. illi sine dubio neminē præfero, fide, constantia, magnitudine animi, in patriā amore. nam quod multi uoluerunt, pauci potuerunt ab uno tyranno patriam liberare. huic contigit, ut à triginta oppressam tyrannis ex seruitute in libertatem uindicaret. Sed nescio quomodo, cum eum nemo anteiret his uirtutibus, multi nobilitate præcurrerunt. Primum Peloponnesio bello multa hic sine Alcibiade gessit, ille nullam rem sine hoc, quæ ille uniuersa naturali quodam bono fecit lucri. Sed illa tamen omnia communia imperatoribus cum militibus & fortuna, quod in prælij concursu abijt res consilio ad uires uimq; pugnantium. Itaq; iure suo nonnulla ab imperatore miles, plurima uero à fortuna uindicat, seq; his plus ualuisse, quàm ducis prudentia, uere potest prædicare. Quare illud magnificentissimum factum proprium est Thrasybuli. nam cum triginta tyranni præpositi à Lacedæmonijs, seruitute oppressas tenerēt Athenas, plurimos ciues, quibus in bello pepercerat fortuna, partim patria expulissent, partim interfecissent, plurimorum bona publicata inter se diuisissent, non solum princeps, sed & solus initio bellum his indixit. Hic enim cum Phylen confugisset, quod est castellum in Attica munitissimum, non plus habuit secum, quàm triginta, de suis. Hoc initiū fuit salutis Atticorum, hoc ro=

bur libertatis clarissimæ ciuitatis. Neque uero hic non contemptus est primo à tyrannis, neq; eius sollicitudo, quæ quidem res & illis contemnentibus perniciei, & huic despecto saluti, fuit. hæc enim illos ad persequendum segnes, hos autem tempore ad comparandum dato fecit robustiores. Quo magis præceptum illud omnium in animus esse debet, nihil in bello oportere contemni, nec sine causa dici, matrem timidi flere non solere. Neq; tamen pro opinione Thrasybuli auctæ sunt opes, nam iam tum illis temporibus fortius boni pro libertate loquebantur, quàm pugnabant. Hinc in Piræeum transijt, Munychiamq; muniuit. Hanc bis tyranni oppugnare sunt adorti, ab eaq; turpiter repulsi protinus in urbem armis impedimentisq; amissis refugerunt. Vsus est Thrasybulus nō minus prudētia, quàm fortitudine. nam cedentes uiolari uetuit. ciues enim ciuibus parcere æquum censebat. neq; quisquam est uulneratus, nisi qui prior impugnare uoluit. neminem iacentem ueste spoliauit. nil attigit, nisi arma, quorum indigebat, & quæ ad uictum pertinebant. In secundo prælio cecidit Critias dux tyrannorum, cum quidem aduersus Thrasybulum fortissime pugnaret. Hoc deiecto Pausanias uenit atticis auxilio rex Lacedæmoniorum. Is inter Thrasybulum & eos, qui urbē tenebant, fecit pacem his conditionibus, ne qui, præter triginta tyrannos, & decem, qui postea prætores creati superioris more crudelitatis erant usi, afficerentur exilio. ne'ue bona publicarentur. reipublicæ procuratio populo redderetur. Præclarum hoc quoque Thrasybuli, quod reconciliata pace cum plurimum in ciuitate posset, legem

tulit, nequis anteactarũ rerum accusaretur, ne'ue mul taretur. eamq; illi legem obliuionis appellarunt. neque uero hanc tantum ferendam curauit, sed etiam, ut ua leret, effecit. nam cum quidam ex his, qui simul cum eo in exilio fuerant, cædem facere eorum uellent, cum quibus in gratiam reditum erat, publice prohibuit. & id, quod pollicitus erat, præstitit. Huic pro tantis meritis honoris corona à populo data est, facta duabus uirgulis oleaginis, quæ, quod amor ciuium, non uis, expresserat, nullam habuit inuidiam, magnaq; fuit gloria. Bene ergo Pittacus ille, qui septem sapientum numero est habitus, cum ei Mitylenæi multa milia iugerum agri muneri darent, nolite (rogo uos) inquit, mihi dare, quod multi inuideant, plures etiam concupiscant. quare ex istis nolo amplius quàm centum iugera, quæ & meam animi æquitatem, & uestram uoluntatem indicent. nam parua munera diutina, locupletia non propria esse consueuerunt. Illa igitur corona contentus Thrasybulus, neque amplius requisiuit, neq; quenquam honore se antecessisse existimauit. Hic sequenti tempore cum prætor classem ad Siciliã appulisset, neq; satis diligenter in castris eius agerentur uigiliæ, à barbaris ex oppido noctu eruptione facta in tabernaculo interfectus est.

CONONIS VITA.

Conon Atheniensis Peloponnesio bello accessit ad rempublicam, in eoq; eius operae magnus fuit usus. nam & praetor pedestribus exercitibus praefuit, & praefectus classis res magnas mari gessit. Quas ob causas praecipuus ei honos habitus est, nãq; omnibus unus insulis praefuit. in qua potestate Pheras cepit coloniam Lacedaemoniorum. Fuit etiam extremo Peloponnesio bello praetor, cum apud Aegos flumen copiae Atheniensium à Lysandro sunt deuictae. Sed tum abfuit, eoq; peius res administrata est. nam & prudẽs rei militaris, & diligens erat imperij. itaque neminĩ erat his temporibus dubium, si affuisset, illam Athenienses calamitatem accepturos non fuisse. Rebus autem afflictis cum patriam obsideri audisset, non quaesiuit, ubi ipse tutò uiueret, sed unde praesidio posset esse ciuibus suis. Itaque contulit se ad Pharnabazum satrapem Ioniae & Lydiae, eundemq; generum regis & propinquum, apud quem ut multum gratia ualeret, multo labore multisq; effecit periculis. Nam cum Lacedaemonij Atheniensibus deuictis in societate non manerent, quàm cum Artaxerxe fecerant, Agesilaumq; bellatum misissent in Asiam, maxime impulsi à Tissapherne, qui ex intimis regis ab amicitia eius defecerat, & cum Lacedaemonijs coierat societatem. Hunc aduersus Pharnabazus habitus est imperator, re quidem uera exercitui praefuit Conon, eiusq; omnia arbitrio gesta sunt. hic multum ducem summum Agesi-

laum impediuit, sæpéq; eius consilijs obstitit. neque uero non fuit apertum, si ille non fuisset, Agesilaum Asiam Tauro tenus regi fuisse erepturum. Qui postea quàm domum à suis ciuibus reuocatus est, quod Bœotij & Athenienses Lacedæmonijs bellum indixerant, Conon nihilo secius apud præfectos regis uersabatur. hisq; omnibus magno erat usui. Defecerat à rege Tissaphernes, neq; id tam Artaxerxi, quàm cæteris, erat apertum. multis enim magnisq; meritis apud regem, etiam cum in officio non maneret, ualebat. neq; admirandum si non facile ad credendum inducebatur, reminiscens eius se opera Cyrum fratrem superasse. Huius accusandi gratia Conó à Pharnabazo ad regem missus, postquam uenit primum ex more Persarum ad Chilarchum, qui secundum gradum imperij tenebat, Titraustem accessit, séq; ostendit cum rege colloqui uelle. nemo enim sine hoc admittitur. huic ille inquit, nulla mora est, sed tu delibera utrum colloqui malis, an per literas edere, quæ cogitas. necesse est enim, si in conspectum ueneris, uenerari te regem, quod προσκυνεῖν illi uocant, hoc si tibi graue est, per me nihilo secius editis mandatis conficies, quod studes. Tum Conon, mihi uero inquit non est graue quenuis honorem habere regi, sed uereor, ne ciuitati meæ sit opprobrio, si, cum ex ea ciuitate sim profectus, quæ cæteris gentibus imperare consueuerit, potius barbarorum, quàm illius, more fungar. Itaq;, quæ huic uolebat, scripta tradidit. Quibus cognitis rex tantum authoritate eius motus ē, ut Tissaphernem hostem iudicarit, & Lacedæmonios bello persequi iusserit, & ei permiserit, quem uellet

eligere ad dispensandam pecuniam. Id arbitrium Conō negauit sui esse consilij, sed ipsius, qui optime suos nosse deberet. sed suadere, Pharnabazo id negotij daret. Hic magnis muneribus donatus ad mare est missus, ut Cyprijs & Phoenicibus cæterisq; ciuitatibus maritimis naues longas imperaret, classemq;, qua proxima æstate mare tueri posset, dato adiutore Pharnabazo, sicut ipse uoluerat. Id ut Lacedæmonijs est nuntiatum, non sine cura rem administrarunt. ꝙ maius bellum imminere arbitrabantur, q̃ si cum barbaro solum contenderent. nam ducem fortem, prudentem, regis opibus præfuturum, ac secum dimicaturum uidebant. quem neq; consilio neq; copijs superare possent. Hac mente magnam contrahunt classem, proficiscuntur Lysandro duce. Hos Conon apud Gnidum adortus magno prælio fugat, multas naues capit, complures deprimit. Qua uictoria non solum Athenæ, sed etiam cuncta Græcia, quæ sub Lacedæmoniorum fuerat imperio, liberata est. Conon cum parte nauium in patriam uenit, muros dirutos à Lysandro utrosq; & Piræei & Athenarũ reficiẽdos curat. pecuniæq;. L. talenta, quæ à Pharnabazo acceperat, ciuibus suis donat. Accidit huic, quod cæteris mortalibus, ut inconsideratior i secunda, quàm in aduersa, esset fortuna. nam classe Peloponnesiorum deuicta, cum ulcisci se iniurias patriæ putaret, plura concupiuit, q̃ efficere potuit. neq; tamen ea non pia & probanda fuerunt. ꝙ potius patriæ opes augeri, quàm regis, maluit. nam cum magnam authoritatem sibi pugna illa nauali, quam apud Gnidum fecerant, constituisset non solum inter barbaros, sed etiam inter oẽs
Græciæ

Græciæ ciuitates, clam dare operam cœpit, ut Ioniam & Aeoliam restitueret Atheniensibus. Id cum minus diligenter esset cælatum, Teribazus, qui Sardibus præerat, Cononẽ euocauit, simulans ad regem eum se mittere uelle. Magna festinatione huius nuntio parens cũ uenisset, in uincula coniectus est. in quibus aliquandiu fuit. nonnulli eum ad regem abductum, ibiq; eũ perisse scriptum reliquerunt. Contra ea Dion historicus, cui nos plurimum de Persicis rebus credimus, effugisse scripsit. illud addubitat, utrum Teribazo sciente an imprudente sit factum.

DIONIS VITA.

Dion Hipparini filius, Syracusanus, nobili genere natus, utraq; implicatus tyrannide Dionysiorum, nanq; ille superior Aristomachẽ sororem Dionis habuit in matrimonio, ex qua duos filios Hipparinum & Nyseum procreauit, totidemq; filias Sophrosynem & Aretem. quarum priorem Dionysio filio eidem, cui regnum reliquit, nuptum dedit, alterã Dioni. Dion autem præter nobilem propinquitatem generosamq; maiorum famam, multa alia ab natura habuit bona, in his ingenium docile, come, aptum ad artes optimas, magnam corporis dignitatem, quæ non minimum commendatur. magnas præterea diuitias à patre relictas, quas ipse tyranni muneribus auxerat. Erat intimus Dionysio priori neq; minus propter mores, q̃ affinitatem. nanq; etsi Dionysij crudelitas ei displicebat,

tamen saluum esse propter necessitudinem, magis etiam suorum causa studebat. aderat in magnis rebus. eiusq; consilio multum mouebatur tyrannus, nisi qua in re maior ipsius cupiditas intercesserat. legationes uero omnes, quæ essent illustriores, per Dionem administrabantur. quas quidem ille diligenter obeundo, fideliter administrando, crudelissimum nomen tyranni sua humanitate tenebat. Hunc à Dionysio missum Carthaginenses susceperunt, ut neminem unq̃ græca lingua loquentem magis sint admirati. Neque uero hæc Dionysium fugiebant. nam quanto esset sibi ornamento sentiebat. quo fiebat, ut uni huic maxime indulgeret, neq; eum secus diligeret, ac filium. qui quidem cum Platonem Tarentum uenisse fama in Siciliam esset perlata, adolescenti negare non potuit, quin eum arcesseret. cum Dion eius audiendi cupiditate flagraret. dedit ergo huic ueniam, magnaq; eum ambitione Syracusas perduxit. quem Dion adeo admiratus est atque adamauit, ut se totum ei traderet. neque uero minus Plato delectatus est Dione. Itaque cum à Dionysio tyranno crudeliter uiolatus esset, quippe quem uænundari iussisset, tamen eodem rediit eiusdem Dionis precibus adductus. Interim in morbum incidit Dionysius, quo cum grauiter conflictaretur, quæsiuit à medicis Dion, quemadmodum se haberet, simulq; de his petiit, si forte maiori esset periculo, ut sibi faterentur. nam uelle se cum eo colloqui de partiendo regno, quot sororis suæ filios ex illo natos partem regni putabat debere habere. id medici non tacuerunt, & ad Dionysium filium sermonem retulerunt. quo ille commotus ne agē

di esset Dioni potestas, patri soporem medicos dare coëgit. hoc ergo sumpto somno sopitus, diem obijt supremum. Tale initium fuit Dionis & Dionysij simultatis, eaq; multis rebus aucta est, sed tamen primis temporibus aliquandiu simulata inter eos amicitia mãsit, cum Dion non desineret obsecrare Dionysium, ut Platonem Athenis arcesseret, & eius consilijs uteretur, ille, qui in aliqua re uellet patrem imitari, morem ei gessit. eodemq; tẽpore Philistum historicũ Syracusas reduxit, hominem inimicum non magis tyranno, q̃ tyrannidi. Sed de hoc in eo meo libro plura sunt exposita, qui de historicis conscriptus est. Plato autem tantum apud Dionysium authoritate potuit, ualuitq; eloquentia, ut persuaserit tyrannidis facere finem, libertatemq; reddere Syracusanis. à qua uoluntate Philisti consilio deterritus, aliquanto crudelior esse cœpit. Qui quidem cum à Dione se superari uideret ingenio, authoritate, amore populi, uerens, ne si eum secum haberet, aliquam occasionem sui daret opprimendi, nauem ei triremem dedit, qua Corinthum deueheretur, ostendens se id utriusq; facere causa, ne cum inter se timerent, alteruter alterum præoccuparet. Id cum factum multi indignarentur, magnæq; esset inuidiæ tyranno, Dionysius omnia, quæ moueri poterant, Dionis in naues imposuit, ad eumq; misit. sic enim existimari uolebat, id se non odio hominis, sed suæ salutis fecisse causa. Postea uero quàm audiuit eum in Peloponneso manum comparare, sibique bellum facere conari, Areten Dionis uxorem alij nuptum dedit. filiumq; eius sic educari iussit, ut indulgendo turpis-

ſimis imbueretur cupiditatibus. nam puero prius, quàm pubes eſſet, ſcorta adducebantur, uino epuliſq; obruebatur, neque ullum tempus ſobrio relinquebatur. is uſque eo uitæ ſtatum commutatum ferre non potuit, ut poſtquam in patriam rediJt pater (nanque appoſiti erant cuſtodes, qui eum à priſtino uictu deducerent) ſe ſuperiore parte ædium deiecerit, atque ita interierit. Sed illuc reuertor. Poſtquam Corinthum peruenit Dion, & eodem perfugit Heraclides ab eodem expulſus Dionyſio, qui præfectus fuerat equitum, omni ratione bellum comparare cœperunt. ſed non multum proficiebant, quot multorum annorum tyrannus magnarum opum putabatur. quam ob cauſam pauci ad ſocietatem periculi perducebantur. Sed Dion fretus non tam ſuis copijs, quàm odio tyranni, maximo animo duabus onerarijs nauibus, quinquaginta annorum imperium munitum quingentis longis nauibus, decem equitum, centum'q; peditum milibus, profectus oppugnatum, quod omnibus gentibus admirabile eſt uiſum, adeo facile pertulit, ut poſt diẽ tertium, quàm Siciliam attigerat, Syracuſas introierit. Ex quo intelligi poteſt nullum eſſe imperium tutum, niſi beneuolentia munitum. Eo tempore aberat Dionyſius, & in Italia claſſem opperiebatur, aduerſariorum ratus neminem ſine magnis copijs ad ſe uenturum. quæ res eum fefellit. nam Dion his ipſis, qui ſub aduerſarij fuerant poteſtate, regios ſpiritus repreſſit, totius'q; eius partis Siciliæ potitus eſt, quæ ſub Dionyſij poteſtate fuerat, parique modo urbis Syracuſarum, præter arcem & inſulam adiunctam oppido.

pido. eoque rem perduxit, ut talibus pactionibus pacem tyrannus facere uellet, Siciliam Dion optineret, Italiam Dionysius, Syracusas Apollocrates, cui maximam fidem uni habebat Dion. Has tam prosperas, tamq; inopinatas res consecuta est subita commutatio, quot fortuna sua mobilitate quem paulo ante extulerat, demergere est adorta. primum in filio, de quo commemoraui supra, suam uim exercuit. nam cum uxorem reduxisset, quae alij fuerat tradita, filiumq; uellet reuocare ad uirtutem à perdita luxuria, accepit grauissimum parens uulnus morte filij. deinde orta dissensione inter eum Heraclidem'que, qui quidem principatum non concedebat, factionem comparauit. neque is minus ualebat apud optimates, quorum consensu praeerat classi, cum Dion exercitum pedestrem teneret. non tulit animo aequo Dion, & uersum illum Homeri retulit ex secunda rhapsodia, in quo haec sententia est, non posse bene geri rempu. multorum imperijs. quod dictum magna inuidia consecuta est. nanq; aperuisse se omnia uidebatur in sua potestate esse uelle. hanc ille non lenire obsequio, sed acerbitate opprimere studuit, Heraclidem'que, cum Syracusas uenisset, interficiendum curauit. Quod factum omnibus maximum timorem iniecit. nemo enim illo interfecto se tutum putabat. ille autem aduersario remoto licentius eorum bona, quos sciebat aduersus se sensisse, militibus dispertiuit. quibus diuisis cum cotidiani maximi fierent sumptus, celeriter pecunia deesse coepit. neque quo manus porrigeret, suppetebat. nisi in amicorum possessiones. id eiusmodi erat, ut cum milites reconci-

liasset amitteret optimates. quarum rerum cura frangebatur, & insuetus male audiendi non æquo animo ferebat de se ab his male existimari, quorum paulo ante in cælum fuerat elatus laudibus. Vulgus autem offensa in eum militum uoluntate liberius loquebatur, & tyrannum non ferendum dictitabat. Hæc ille intuens, cum quemadmodum sedaret, nesciret, & quorsum euaderet, timeret. Callicrates quidam ciuis Atheniensis, qui simul cum eo ex Peloponneso in Siciliam uenerat, homo & callidus, & ad fraudem acutus sine ulla religione ac fide, adit ad Dionem, & ait, eum in magno periculo esse propter offensionem populi & odium militum, quod nullo modo euitare posset, nisi alicui suorum negotium daret. qui se simularet illi inimicum, quem inuenisset idoneum facile omnium amicos cogniturum, aduersariosq; sublaturum, quod inimici eius dissidentis suos sensus aperturi forent. Tali consilio probato excepit has partes ipse Callicrates, & se armat imprudentia Dionis, ad eum interficiendum socios conquirit, aduersarios eius conuenit, coniuratione confirmat. Res multis consciis, quæ gereretur elata refertur ad Aristomachen sororem Dionis, uxoremq; Areten. Illæ timore perterritæ conueniunt, cuius de periculo timebant. at ille negat à Callicrate fieri sibi insidias, sed illa, quæ agerentur, fieri præcepto suo. Mulieres nihilo secius Callicratem in ædem Proserpinæ deducunt, ac iurare cogunt nihil ab illo periculi fore Dioni. Ille hac religione non modo non deterritus, sed ad maturandum concitatus est, uerens ne prius consilium aperiretur suum, quàm conata fecisset.

cisset. hac mente proximo die festo, cum à conuentu se remotum Dion domi teneret, atque in conclaui edito recubuisset, consciis loca munitiora oppidi tradidit, domum custodibus sepsit, à foribus qui non discedebant, certos præfecit, nauem triremem armatis ornat, Philocratique fratri suo tradit, eamque in portu agitari iubet, ut si exercere remiges uellet. cogitans, si forte consilijs obstitisset fortuna, ut haberet, quo fugeret ad salutem. suorum autem numero Zacynthios adolescentes quosdam elegit cum audacissimos, tum uiribus maximis, hisq; dat negotium, ut ad Dionem eant inermes, sicut conueniendi eius gratia uiderentur uenire. hi propter notitiam sunt intromissi. at illi, ut limen eius intrarunt, foribus obseratis in lecto cubantem inuadunt. colligant, fit strepitus, adeo ut exaudiri posset foris. Hic sicut ante sæpe dictum est, quàm inuisa sit singularis potentia & miseranda uita, qui se metui quàm amari malunt, cuiuis facile intellectu fuit. nanque illi ipsi custodes si propiore fuissent uoluntate, foribus effractis seruare eum potuissent, quot illi inermes telum foris flagitantes uiuum tenebant. cui cum succurreret nemo, Lyco quidam Syracusanus per fenestras gladium dedit, quo Dion interfectus est. Confecta cæde eum multitudo uisendi gratia introijsset, non nulli ab insciis pronoxij conciduntur. nam celeri rumore delato Dioni uim allatam, multi concurrerant, quibus tale facinus displicebat. hi falsa suspitione ducti immerentes inermes, ut sceleratos occidunt. Huius de morte ut palàm factum est, mirabiliter uulgi mutata est uoluntas. nam qui uiuum eum

tyrannum uocitarant, eundem liberatorem patriæ, tyranniq; expulsorem prædicabant. Sic subito misericordia odio successerat, ut eum suo sanguine, si possent, ab Acheronte cuperent redimere. Itaque in urbe celeberrimo loco elatus, publicæ sepulcri monumento donatus est. diem obijt circiter annos quinquaginta quinque natus, quartum post annum quàm ex Peloponneso in Siciliam redierat.

IPHICRATIS VITA.

i Phicrates Atheniensis non tam magnitudine rerum gestarum, quàm disciplina militari nobilitatus est. fuit enim talis dux, ut nõ solum ætatis suæ cum primis compararetur, sed ne de maioribus natu quidem quisquam anteponeretur. multum uero in bello est uersatus, sæpe exercitibus præfuit, nusquam culpa male rem gessit, semper consilio uicit, tantumq; eo ualuit, ut multa in re militari partim noua attulerit, partim meliora fecerit. nãq; ille pedestria arma mutauit, cum ante illum imperatorem maximis clypeis breuibusq; hastis, minutis gladijs uterentur. Ille econtrario peltam pro parma fecit, à quo postea peltastæ pedites appellantur, ut ad motus concursusq; essent leuiores. hastæ modũ duplicauit. gladios longiores fecit. idẽ genus loricarũ mutauit, et pro ferreis atq; aeneis lineas dedit. quo facto expeditiores milites reddidit, nam pondere detracto, quodq; corpus tegeret, et leue esset, curauit. Bellum cum Thracibus gessit, Seutym

socium

socium Atheniensium in regnum restituit. apud Corin thum tanta seueritate exercitui præfuit, ut nullæ unquam in Græcia neque exercitatiores copiæ, neq; ma gis dicto audientes fuerint duci. in eamq; consuetudinem adduxit, ut cum prælij signum ab imperatore esset datum, sine ducis opera sic ordinatæ consisterent, ut singuli ab peritissimo imperatore dispositi uiderentur. Hoc exercitu moram Lacedæmoniorum intercepit, quod maxime tota celebratum est Græcia. Iterum eodem bello omnes copias eorum fugauit. quo facto magnam adeptus est gloriam. Cum Artaxerxes ægyptio regi bellum inferre uoluit, Iphicratem ab Atheniensibus petiuit ducem, quem præficeret exercitui conducto, cuius numerus duodecim milium fuit. quem quidem sic omni disciplina militari erudiuit, ut quemadmodum quondam Fabiani milites Romani appellati sunt, sic Iphicratenses apud Græcos in summa laude fuerint. Idem subsidio Lacedæmonijs profectus Epaminondæ retardauit impetus. nam nisi eius aduentus appropinquasset, non prius Thebani Sparta abscessissent, quàm captam incendio delessent. Fuit autem & animo magno, & corpore, imperatoriáq; forma, ut ipso aspectu cuiuis inijceret admirationem sui. sed in labore remissus nimis, parumq; patiens, ut Theopompus memoriæ prodidit. bonus uero ciuis, fideque magna. quod cum in alijs rebus declarauerit, tum maxime in Amyntæ Macedonis liberis tuendis. nanque Eurydice mater Perdiccæ & Philippi cum his duobus pueris, Amynta mortuo, ad Iphicratem confugit. eiusq; opibus defensa est. Vixit ad senectutem placatis in se

suorum ciuium animis. causam capitis semel dixit bello sociali simul cum Timotheo, eo'que iudicio est absolutus. Menesthea filium reliquit ex Tarsa natum Coti regis filia. Is cum interrogaretur utrum pluris patrem matrem'ue faceret, matrem inquit. id cum omnibus mirum uideretur, at ille merito inquit facio. nam pater, quantum in se fuit, Thracem me genuit. contra mater Atheniensem.

CHABRIAE VITA.

C Habrias Atheniensis. Hic quoque in summis habitus est ducibus, res'q; multas memoria dignas gessit. Sed ex his elucet maxime inuentum eius in praelio, quod apud Thebas fecit, cum Boeotijs subsidio uenisset. nãq; in ea uictoria fidentem summum ducem Agesilaum, fugatis iam ab eo conductitijs cateruis, reliquam phalangem loco uetuit cedere, obnixo'q; genu scuto proiecta'q; hasta impetum excipere hostium docuit. Id nouum Agesilaus intuens progredi non est ausus, suos'q; iam incurrentes tuba reuocauit. Hoc usque eò Graecia fama celebratum est, ut illo statu Chabrias sibi statuam fieri uoluerit. quae publice ei ab Atheniensibus in foro constituta est. Ex quo factum est, ut postea Athletae, caeteriq; artifices his statibus statuis ponendis uterentur, cum uictoriam essent adepti. Chabrias autem multa in Europa bella administrauit, cum dux Atheniensium esset. in Aegypto sua sponte gessit. nam Nectanebum adiutum profectus re

gnum ei constituit. Fecit idē Cypri, sed publice ab Atheniensibus Euagoræ adiutor datus. neque prius inde discessit, quàm totam insulam bello deuinceret. qua ex re Athenienses magnam gloriam sunt adepti. Interim bellum inter Aegyptios & Persas conflatum est, & Athenienses cum Artaxerxe societatem habebant, Lacedæmonij cum Aegyptijs. à quibus magnas prædas Agesilaus rex eorum faciebat. Id intuens Chabrias cum in re nulla Agesilao cederet, sua sponte eos adiutum profectus Aegyptiæ classi præfuit. pedestribus copijs Agesilaus. Tum præfecti regis Persiæ legatos miserūt Athenas questum, quod Chabrias aduersum regem bellum gereret cum ægyptijs. Athenienses diem certam Chabriæ præstiterunt, quam ante domum nisi redisset, capitis se illum damnatos denuntiarunt. Hoc ille nuntio Athenas redijt, neque ibi diutius est moratus quàm fuit necesse. Non enim libenter erat ante oculos ciuium suorum, quod & uiuebat laute, & indulgebat sibi liberalius quàm ut inuidiam uulgi posset effugere. Est enim hoc commune uitium in magnis liberisq; ciuitatibus, ut inuidia gloriæ comes sit. Et libenter de his detrahunt quos emergere uideant altius, neq; animo æquo pauperes alienam opulentum intuentur fortunam. Itaq; Chabrias quoad ei licebat, plurimum aberat. Neque uero solus ille aberat Athenis libenter, sed omnes fere principes fecerunt idem, quod tantum se ab inuidia putabant affuturos, quantum à conspectu suorum recessissent. Itaq; Conon plurimum Cypri uixit, Iphicrates in Thracia, Timotheus Lesbi, Chares in Sigæo. Dissimilis quidem Chares horum &

factis & moribus, sed tamen Athenis & honoratus, & potens. Chabrias autem perijt bello sociali tali modo. oppugnabant Athenienses Chium. erat in classe Chabrias priuatus, sed omnes, qui in magistratu erãt, authoritate anteibat, eumq; magis milites, quàm qui præerant, aspiciebant. quæ res ei maturauit mortem. nam dum primus studet portum intrare, gubernatorem iubet eò dirigere nauem, ipse sibi perniciei fuit. cum enim eò penetrasset, cæteræ non sunt secutæ. quo facto circunfusus hostium concursu, cum fortissime pugnaret, nauis rostro percussa, cœpit sidere. hinc cum refugere non posset, nisi se in mare deiecisset, quod suberat classis Atheniensium, quæ exciperet natantem, perire maluit, quàm armis abiectis nauem relinquere, in qua fuerat uectus. id cæteri facere noluerunt, qui nando in tutum peruenerunt. at ille præstare honestam mortem existimans turpi uitæ, comminus pugnans telis hostium interfectus est.

TIMOTHEI VITA.

Timotheus Cononis filius Atheniensis, hic à patre acceptam gloriam multis auxit uirtutibus. fuit enim disertus, impiger, laboriosus, rei militaris peritus, neque minus ciuitatis regendæ. multa huius sunt præclare facta, sed hæc maxime illustria. Olynthios & Byzantios bello subegit. Samum cepit. in qua oppugnanda superiori bello Athenienses mille & ducenta talenta consumpserant. id ille sine

ulla publica impensa populo restituit. Aduersum Cotym bella gessit, ab eo mille & ducenta talenta prædæ in publicum detulit. Cyzicum obsidione liberauit. Ariobarzani simul cum Agesilao auxilio profectus ē, à quo cum Laco pecuniam numeratam accepisset, ille ciues suos agro atque urbibus augeri maluit, quàm id sumere, cuius partem domum suam ferre posset. Itaque accepit Erichthonem & Sestæ. Idem classi præfectus circumuehens Peloponnesum Laconicam populatus classem eorum fugauit. Corcyram sub imperium Atheniensium redegit. Sociosq; idem adiunxit Epirotas, Atamanas, Chaonas, omnesq; eas gentes, quæ mare illud adiacent. quo facto Lacedæmonij de diutina contentione destiterunt, & sua sponte Atheniensibus imperij maritimi principatum concesserunt, pacemq; his legibus constituerunt, ut Athenienses mari duces essent. Quæ uictoria tantæ fuit Atticis lætitiæ, ut tum primum aræ paci publice sint factæ, eique deæ puluinar sit institutum. Cuius laudis ut memoria maneret, Timotheo publice statuam in foro posuerunt. qui honos huic uni ante tempus contigit, ut cum patri populus statuam posuisset, filio quoque daret. Sic iuxta posita recens filij ueterem patris renouauit memoria. Hic cum esset magno natu, & magistratus gerere desisset, bello Athenienses undique premi sunt cœpti. defecerat Samus, descierat Hellespontus, Philippus iam tunc ualens Macedo multa moliebatur, cui oppositus Chares cum esset, non satis in eo præsidij putabatur. Fit Menestheus prætor filius Iphicratis, gener Timothei, & ad bellum proficiscatur, decernitur. Huic in consilium

dantur duo usu & sapientia præstantes, quorum consilio uteretur pater & socer. quod in his tanta erat authoritas, ut magna spes esset per eos amissa posse recuperari. Hi cum Samum profecti essent, & eodem Chares aduentu cognito cum suis copijs proficisceretur, ne quid absente se gestum uideretur. accidit, cum ad insulam appropinquarent, ut magna tempestas oriretur, quam euitare duo ueteres imperatores utile arbitrati, suam classem suppresserunt. at ille temeraria usus ratione non cessit maiorum natu authoritati, ut in sua manu esset fortuna, quo contenderat, peruenit. eodēq; ut sequerentur, ad Timotheum & Iphicratem nuntium misit. hinc male re gesta, compluribus amissis nauibus, eodem, unde erat profectus, se recepit, literasq; Athenas publicæ misit, sibi procliue fuisse Samum capere, nisi à Timotheo & Iphicrate desertus esset. populus acer, suspicax, ob eamq; rem mobilis, aduersarius, inuidus etiam potentiæ in crimen uocabatur. domum reuocat, accusatur proditionis. Hoc iudicio damnatur Timotheus, Lisq; eius æstimatur centum talentis. Ille odio ingratæ ciuitatis coactus Chalcidem se contulit. Huius post mortem, cum populus iudicij sui pœniteret, mulctæ nouem partes detraxit, & decem talenta Cononem filium eius ad muri quandam partem reficiendam iussit dare. in quo fortunæ uarietas est animaduersa. nam quos auus Conon muros ex hostium præda patriæ restituerat, eosdem nepos cum summa ignominia familiæ ex sua re familiari reficere coactus est. Timothei autem moderatæ sapientis'que uitæ, cum pleraque possumus proferre testimonia, uno

erimus contenti, quod ex eo facile conijci poterit, quàm charus suis fuerit. Cum Athenis adolescentulus causam diceret, non solum amici priuatiq; hospites ad eum defendendum conuenerunt, sed etiam in eis Iason tyrannus, qui illo tempore fuit omnium potentissimus. Hic cum in patria sine satellitibus se tutum non arbitraretur, Athenas sine ullo præsidio uenit, tantiq; hospitem fecit, ut mallet se capitis piculum adire, quàm Timotheo de fama dimicanti deesse. Hunc aduersus tamen Timotheus postea populi iussu bellum gessit, patriæ sanctiora iura, quàm hospitij, esse duxit. Hæc extrema fuit ætas imperatorum Atheniensium Iphicratis, Chabriæ, Timothei. neque post illorum obitum quisquam dux in illa urbe fuit dignus memoria. Venio nunc ad fortissimum uirum maximiq; consilij omnium barbarorum, exceptis duobus Carthaginensibus Hamilcare, & Annibale. de quo hoc plura referemus, quod & obscuriora sunt eius gesta pleraque, & ea, quæ prospere ei cesserunt, non magnitudine copiarum, sed consilij, quo tamen omnes superabat, acciderunt. quorum nisi ratio explicata fuerit, res apparere non poterunt.

DATAMIS VITA.

d Atames patre Camissare natione Care, matre Scythissa, natus primum militum numero fuit apud Artaxerxem eorum, qui regiam tuebantur. pater eius Camissares, quot & manu fortis,

& bello strenuus, & regi multis locis fidelis erat re-
pertus. habuit prouinciam Ciliciæ iuxta Cappadociã,
quam incolunt Leucosyri. Datames militare munus
fungens primum qualis esset apparuit in bello, quod
rex aduersus Cadusios gessit. nanque hic multis mili-
bus regiorum interfectis magni fuit eius opera. quo
factum est, cum in eo bello cecidisset Camissares, pa-
terna ei traderetur prouincia. Pari se uirtute postea
præbuit, cum Autophradates iussu regis bello perse-
queretur eos, qui defecerant. nanque eius opera hostes,
cum castra iam intrassent, profligati sunt, exercitusq;
reliquus conseruatus est. qua ex re maioribus rebus
præesse cœpit. Erat eo tempore Thyus Dynastes Pa-
phlagoniæ antiquo genere natus à Pylæmene illo, quẽ
Homerus troico bello à Patroclo interfectum ait. Is re
gis dicto audiens non erat, quam ob causam bello eum
persequi constituit, eiq; rei præfecit Datamen propin-
quum Paphlagonis, nanque ex fratre & sorore erãt
nati. quam ob causam Datames primum experiri uo-
luit, ut sine armis propinquum ad officium reduceret.
Ad quem cum uenisset sine præsidio, quot ab amico
nullas uereretur insidias, penè interijt. nam Thyus eũ
clam interficere uoluit. Erat mater cum Datame ami-
ta Paphlagonis, ea, quid ageretur, resciit, filiumq; mo-
nuit. Ille fuga periculum euitauit, bellumq; indixit
Thyo. in quo cum ab Ariobarzane præfecto Lydiæ
& Ioniæ totiusq; Phrygiæ desertus esset, nihilo segnius
perseuerauit, uiuumq; Thyum cepit cum uxore & li
beris. cuius facti ne prius fama ad regem, quàm ipse,
perueniret, dedit operam. Itaque omnibus inscijs eò,

ubi erat rex, uenit, posteróque die Thyum hominem maximi corporis, terribilíq; facie, quod & niger, & capil lo longo, barbáq; erat prolixa, optima ueste contexit, quam Satrapæ regij gerere consueuerant. ornauit etiã torque, atque armillis aureis, cæteróq; regio cultu ipse agresti duplicí que amiculo circundatus, hirtáq; tunica, gerens in capite galeam uenatoriam, dextra manu cla uam, sinistra copulam, qua uictum ante se Thyum age bat, ut si feram bestiam captam duceret. Quem cum omnes prospicerent propter nouitatem ornatus, ignotamq; formam, ob eamq; rem magnus esset concursus, fuit nemo, qui agnosceret Thyum, qui non regi nunciaret. ac primo non credidit. itaque Pharnabazum misit exploratum. à quo ut rem gestam comperit, statim admitti iussit magnopere delectatus cum facto, tum ornatu, in primis, quod non uilis rex in potestatem inopinanti uenerat. Itaque magnifice Datamen donatum ad exercitum misit, qui tum contrahebatur duce Pharnabazo & Titrauste ad bellum ægyptium, pariq; eum, atque illos imperio esse iussit. Postea uero quàm Pharnabazum rex reuocauit, illi summa imperij tradita est. hic cum maximo studio compararet exercitũ, Aegyptumq; proficisci pararet, subito à rege literæ sunt ei missæ, ut Aspim aggrederetur, qui Cataoniam tenebat. quæ gens iacet supra Ciliciam confinis Cappadociæ. nanque Aspis saltuosam regionem castellisq; munitam incolens, non solum imperio regis non parebat, sed etiam finitimas regiones uexabat, & quæ regi portarentur, abripiebat. Datames & si longe aberat ab his regionibus, et à maiore re abstrahebatur,

tamen regis uoluntati morem gerendum putauit. Itaq; cum paucis sed uiris fortibus nauem conscendit, existimans id, quod accidit, facilius se imprudentem parua manu oppressurum, quàm paratum, quamuis magno exercitu. hac delatus in Ciliciam egressus inde dies noctesq; iter faciens, Taurum transijt, eoq;, quo studuerat, uenit. quærit quibus locis sit Aspis, cognoscit haud longe abesse, profectumq; eum uenatum, quem dum speculatur, aduentus eius causa cognoscitur. Pisidas cum ijs, quos secum habebat, ad resistendū Aspis comparat. Id Datames ubi audiuit, arma capit, suos sequi iubet, ipse equo concitato ad hostem uehitur, quem procul Aspis conspiciens ad se ferentem pertimescit, atque à conatu resistendi deterritus sese dedit. hunc Datames uinctum ad regem ducendum tradit Mithridati. Hæc dum geruntur, Artaxerxes reminiscens à quanto bello ad quamparuam rem principem ducum misisset, se ipse reprehendit, & nuntium ad exercitum acrem misit, quod nondum Datamen profectum putabat, qui diceret, ne ab exercitu discederet. hic priusquam perueniret, quo erat profectus, in itinere conuenit, qui Aspim ducebant. Qua celeritate cum magnam beneuolentiam regis Datames consecutus esset, non minorem inuidiam aulicorum excepit, quod illum unum pluris, quàm se omnes, fieri uidebant. quo facto cuncti ad eum opprimendum consenserunt. hæc Pandates gazæ custos regiæ, amicus Datami, perscripta ei mittit. in quibus docet eum magno fore periculo, si quid illo imperante in Aegypto aduersi accidisset. nanque eam esse consuetudinem regum, ut casus

aduersos hominibus tribuant, secundos fortunæ suæ. quo facile fieri, ut impellantur ad eorum perniciem, quorum ductu res male gestæ nuncientur. illum hoc maiore fore discrimine, ꝙ quibus rex maxime obediat, eos habeat inimicissimos. Talibus ille literis cognitis cum iam ad exercitum acrem uenisset, ꝙ non ignorabat ea uere scripta, desciscere à rege constituit. neque tamen quicquam fecit, quod fide sua esset indignum. nam Androdem Magnetem exercitui præfecit. ipse cum suis in Cappadociam discedit, coniunctamq; huic Paphlagoniã occupat, celans qua uoluntate esset in regem. clã cum Ariobarzane facit amicitiam, manum comparat, urbes munitas suis tuendas tradit. Sed hæc propter hyemale tempus minus prospere succedebant. Audit Pisidas quasdam copias aduersus se parare, filium eò Aridæum cum exercitu mittit. cadit in prælio adolescens, proficiscitur eò pater non ita cum magna manu, celans quantum uulnus accepisset, quod prius ad hostem peruenire cupiebat, quàm de male re gesta fama ad suos perueniret. ne cognita filij morte animi debilitarentur militum. Quo contenderat peruenit, hisq; locis castra ponit. ut neque circumiri multitudine aduersariorum posset, neque impediri, quo minus ipse ad dimicandum manum haberet expeditam. Erat cum eo Metrobarzanes socer eius, præfectus equitum. is desperatis generi rebus ad hostes transfugit. Id Datames ut audiuit, sensit si in turbam exisset, ab homine tam necessario se relictum, futurum ut cæteri consilium sequerentur, in uulgus edit, suo iussu Me-

trobarZanem profectum pro perfuga, quo facilius receptus interficeret hostes. quare relinqui eum non par esse, & omnes confestim sequi, quod si animo strenuo fecissent, futurum, ut aduersarij non possent resistere, cum & intra uallum, & foris cæderentur. Hac re probata exercitum eduxit, MetrobarZanem persequitur tantum, qui tum ad hostes peruenerat. Datames signa inferri iubet. Pisidæ noua re commoti, in opinionem adducuntur, perfugas mala fide compositóq; fecisse, ut recepti essent maiori calamitati. primum eos adoriuntur. illi, cum quid ageretur, aut quare fieret, ignorarent, coacti sunt cum eis pugnare, ad quos transierant, ab hisq; stare, quos reliquerant. quibus cum neutri parcerent, celeriter sunt concisi. Reliquos Pisidas resistentes Datames inuadit. primo impetu pellit, fugientes persequitur, multos interficit, castra hostium capit. Tali consilio uno tempore & proditores perculit, & hostes profligauit. & quod ad suam perniciem fuerat cogitatum, id ad salutem conuertit. quo neque acutius ullius imperatoris cogitatum, neque celerius factum usquam legimus. Ab hoc tamen uiro Scismas maximo natu filius desciit, & ad regem transiit, & de defectione patris detulit. quo nuntio Artaxerxes commotus, quod intelligebat sibi cum uiro forti ac strenuo negotium esse, qui, cum cogitasset, facere auderet, & prius cogitare, quàm conari consuesset, Autophradatem Cappadociã mittit. Hic ne intrare posset saltum, in quo Ciliciæ portæ sunt sitæ, Datames præoccupare studuit. sed tam subito copias contrahere non potuit. à qua re depulsus cum ea manu, quam contraxerat, locum delegit talẽ,

ut neq;

ut neque circumiretur ab hostibus, neque præteriret
aduersarius, quin ancipitibus locis premeretur. & si
dimicare eo uellet, non multum obesse multitudo ho-
stium suæ paucitati posset. Hæc etsi Autophradates ui=
debat, tamen statuit congredi, quàm cum tantis co-
pijs refugere, aut tam diu uno loco sedere. habebat
barbarorum equitum uiginti, peditum centum milia,
quos illi Gardates appellant. eiusdemq; generis III.
funditorum. præterea Cappadocum VIII. Armenio=
rum decem, Paphlagonum quinque, Phrygũm decem,
Lydorum quinque, Aspendiorum & Pisidarum cir=
citer tria, Cilicum duo, captianorum totidem, ex Græ
cia conductorum tria milia, leuis armaturæ maximũ
numerum. Has aduersus copias spes omnis consistebat
Datami in se, locíq; natura. nanque huius partem non
habebat uigesimam militum. Quibus fretus conflixit,
aduersariorumq; multa milia concidit, cum de ipsius
exercitu non amplius hominum mille cecidisset. quam
ob causam postero die trophæum posuit, quo loco pri-
die pugnatum. Hic cum castra mouisset inferior copijs,
ita superior omnibus prælijs discedebat, quot nun-
quam manum consereret, nisi aduersarios locorum
angustijs clausisset. quod perito regionum, callidéque
cogitanti sæpe accidebat. Autophradates cum bellum
duci maiore regis calamitate, quàm aduersariorum,
uideret, ad pacem atque amicitiam hortatus est, ut cũ
rege in gratiam rediret. quam ille & si non fidam
fore putabat, tamen conditionem accepit, séq; ad Ar=
taxerxem legatos missurum dixit. Sic bellum, quod
rex aduersus Datamẽ susceperat, sedatum Autophra=

dates in Phrygiam se recepit. At rex quod implaca-bile odium in Datamen susceperat, postquam bello eum opprimi non posse animaduertit, insidijs interficere studuit. quas ille plerasque uitauit. sicut cum nuntiatum esset, quosdam sibi insidiari, qui in amicorum erant numero. de quibus, quod inimici detulerant, neq; credēdum, neq; negligendum putauit, experiri uoluit uerum falsum ne sibi esset relatum. Itaq; eò profectus est, in quo itinere futuras insidias euenire dixerat. sed elegit corporis statura simillimum sui, eiq; uestitum suum dedit, atq; eo loco ire, quo ipse consueuerat, iussit. ipse autem ornatus uestitu militari inter corporis custodes iter facere cœpit. At insidiatores, postq̃ in eum locum agmen peruenit, decepti ordine atq; uestitu in eum faciunt impetum, qui suppositus erat. prædixerat autem Datames, cum quibus iter faciebat, ut parati essent facere, quod ipsum uidißent. Ipse, ut concurrentes insidiatores animaduertit, tela in eos coniecit. hoc idem cum uniuersi fecißent, priusquam peruenirent ad eum, quem aggredi uolebant, confixi ceciderunt. Hic tamen tam callidus uir extremo tempore captus est Mithridatis Ariobarzanis filij dolo. nanque is pollicitus est regi se eum interfecturum, si ei rex promitteret, ut quodcunque uellet, liceret impune facere. fidemque de ea re, more Persarum, dextra dedißet. hanc ut recepit à rege missam, copias parat, & absens amicitiam cum Datame fecit, regis prouinciam uexat, castella expugnat, magnas prædas capit, quarum partem suis dispertit, partem ad Datamen mittit. pari modo complura castella ei tradit. Hæc diu

faciendo persuasit homini, se infinitum aduersus re-
gem suscepisse bellũ, cum nihilo magis, ne quam suspi=
cionem illi præberet insidiarum, neq; colloquium eius
petiuit, neq; in conspectum uenire studuit. Sic absens
amicitiam gerebat, ut non beneficijs mutuis, sed odio
communi, quod erga regem susceperant, contineri uide-
rentur. Id cum satis se confirmasse arbitratus est,
certiorem facit Datamen tempus esse maiores exer-
citus parari, & bellum cum rege suscipi. de qua re,
si ei uideretur, quo uellet, in colloquium ueniret. Pro=
bata re colloquendi tempus sumitur, locusq;, quo con-
ueniretur. Huc Mithridates cum uno, cui maximam
habebat fidem, ante aliquot dies uenit, compluri-
busq; locis separatim gladios obruit, eaque loca di-
ligenter notat. ipso autem colloquendi die, utrique lo-
cum, qui explorarent, atque ipsos scrutarentur, mit-
tunt. Deinde ipsi sunt congressi. Hic cum aliquandiu in
colloquio fuissent & diuersi discessissent, iamq; procul
Datames abesset, Mithridates priusquam ad suos per-
ueniret, nequam suspicionem pareret, in eundem lo-
cum reuertitur, atque ibi ubi telum erat impositum, re
sedit. ut si lassitudine cuperet acquiescere, Datamenq;
reuocauit, simulans se quiddam in colloquio esse obli-
tum. interim telum, quod latebat, protulit. nudatumq;
uagina ueste texit, ac Datami uenienti ait digredien=
dum, se animaduertisse locum quendam, qui erat
in conspectu, ad castra ponenda esse idoneum. quem
cum digito monstraret, & ille conspiceret, auersum
ferro transfixit, priusq;, quàm quisquam posset succur
rere, interfecit. ita ille uir, qui multos consilio, nemi-

nem perfidia ceperat, simulata captus est amicitia.

EPAMINONDAE VITA.

e Paminondas Polymni filius thebanus. De hoc priusquam scribamus, hæc præcipienda uidentur lectoribus, ne alienos mores ad suos referant, neue ea, quæ ipsis leuiora sunt, pari modo apud cæteros fuisse arbitrentur. Scimus enim musicen nostris moribus abesse à principis persona. saltare etiam in uitijs poni. quæ omnia apud Græcos & grata & laude digna ducuntur. Cum autem exprimere imaginem consuetudinis, atque uitæ uelimus Epaminondæ, nihil uidemur debere prætermittere, quod pertineat ad eã declarãdam. Quare dicemus primum de genere eius, deinde quibus disciplinis, & à quibus sit eruditus, tum de moribus ingenijq; facultatibus, & si qua alia digna memoria erunt. postremo de rebus gestis, quæ plurimis omnium anteponuntur uirtutibus. Natus igitur patre, quo diximus honesto genere, pauper iam à maioribus relictus. Eruditus autem sic, ut nemo Thebanus magis. nam & citharizare & cantare ad cordarum sonum doctus est à Dionysio, qui non minore fuit in musicis gloria, quàm Damon aut Lampus, quorum peruulgata sunt nomina. carmina cantare tibijs ab Olympiodoro, saltare à Caliphrone. At philosophiæ præceptorem habuit Lysiam Tarentinum Pythagoreum, cui quidem sic fuit deditus, ut adolescens tristem et seuerum senem omnibus æqualibus suis familiari

miliaritate anteposuerit. neq; prius eum à se dimiserit, quàm doctrinis tanto antecessit condiscipulos, ut facile intelligi posset, pari modo superaturum omnes in cæteris artibus. Atque hæc ad nostram consuetudinẽ sunt leuia & potius contẽnenda, at in Græcia utique olim magnæ laudi erant. Postquam ephebus factus est, & palestræ dare operam cœpit, non tam magnitudini uirium seruiuit, quàm uelocitati. illam enim ad Athletarum usum, hanc ad belli existimabat utilitatem pertinere. Itaque exercebatur plurimum currendo & luctando ad eum finem, quoad stans complecti posset, atque contendere. In armis plurimum studij consumebat. Ad hanc corporis firmitatem plura etiam animi bona accesserant. erat enim modestus, prudens, grauis, temporibus sapienter utens, peritus belli, fortis manu, animo maximo. adeo ueritatis diligens, ut ne ioco quidem mentiretur. Idem continens, clemens, patiensq; admirandum in modum, non solum populi, sed etiam amicorum ferens iniurias, in primisq; commissa cælans. quod interdum non minus prodest, quàm diserte dicere. Studiosus audiendi. ex hoc enim facillime disci arbitrabatur. Itaque cum in circulum uenisset, in quo aut de republica disputaretur, aut de philosophia sermo haberetur, nunquam inde prius discessit, quàm ad finem sermo esset deductus. Paupertatem adeo facile perpessus est, ut de republica nihil præter gloriam ceperit. Amicorum in se tuendo caruit facultatibus, fide ad alios subleuandos sæpe sic usus est, ut possit iudicari omnia ei cum amicis fuisse cõmunia. nam cum aut ciuium suorum aliquis ab hostibus

fuisset captus, aut uirgo amici nubilis, quam propter paupertatem collocare non posset, amicorum concilium habebat, & quantum quisque daret, pro facultatibus imperabat, eamq; summam cum faceret, prius, quàm acciperet pecuniam, adducebat eum, qui quærebat, ad eos, qui conferebant. eiq; ut ipsi numerarēt, faciebat. ut ille, ad quem ea res perueniebat, sciret qbus, et quantū cuique deberet. Tentata autem eius est abstinentia à Diomedonte Cyziceno. nanque is rogatus Artaxerxis Epaminondam pecunia corrumpendum susceperat. hic magno cum pondere auri Thebas uenit, & Micythum adolescentulum quinque talentis ad suam perduxit uoluntatem, quem tum Epaminondas plurimum diligebat. Micythus Epaminondā conuenit, & causam aduentus Diomedontis ostendit. at ille Diomedonte coràm nihil inquit opus pecunia est. nam si ea rex uult, quæ Thebanis sint utilia, gratis facere sum paratus. sin autem contraria, non habet auri atque argenti satis. nanque orbis terrarum diuitias accipere nolo pro patriæ charitate. Tu qui me incognitum tentasti, tuiq; similem existimasti, non miror, tibi ignosco. sed egredere propere, ne alios corrumpas cum me non potueris. tu argentum huic redde, aut nisi id confestim facis, ego te tradam magistratui. Hunc Diomedon cum rogaret, ut tuto exire, suáque, quæ attulisset, liceret efferre, istud, inquit, faciam, neque tua causa, sed mea. ne si tibi sit pecunia adempta, aliquis dicat ad me ereptum peruenisse, quod delatum accipere noluissem. à quo cum quæsißet, quo se duci uellet, & ille Athenas dixißet, præsidium dedit, ut tuto

perueniret. neque uero id satis habuit, sed etiam ut inuiolatus in nauem ascenderet per Chabriam Atheniensem, de quo supra mentionem fecimus. abstinentiæ erit hoc satis testimonium. Plurima quidem proferre possemus, sed modus adhibendus est. quoniam uno hoc uolumine uitam excellentium uirorum complurium concludere, quorum separatim multis milibus uersuum complures scriptores ante nos explicarunt. Fuit & disertus, ut nemo Thebanus par esset eloquentia, neq; minus concinnus in breuitate respondendi, quàm in perpetua oratione ornatus. Habuit obtrectatorem Menedidem quendam indidem Thebis aduersarium in administranda republica, satis exercitatum in dicendo, ut Thebanum scilicet. nanque illi genti plus inest uirium, quàm ingenij. Is quod in re militari florere Epaminondam uidebat, hortari solebat Thebanos, ut pacem bello anteferrent, ne illius imperatoris opera desideraretur. huic ille fallis inquit, uerbo ciues tuos, ꝙ hos à bello euocas. otij enim nomine seruitutem concilias. nam paritur pax bello. itaque qui ea diutina uolunt frui, bello exercitati esse debent. quare si principes Græciæ esse uultis, castris est uobis utendum, non palæstra. Idem ille Menedides cum huic obijceret, quod liberos non haberet, neq; uxorem duxisset, maximeq; insolentia ꝙ sibi Agamēnonis bello gloriam uideretur consecutus. at ille desine inqt, Menedide de uxore mihi exprobrare. nā nullius in ista re minus, q̃ tuo uti cōsilio uolo. habebat enim Menedides suspicionem adulterij. ꝙ autem me Agamemnonem æmulari putas, falleris. nanq; ille cum uniuersa Græcia uix de-

cem annis unam cepit urbem, ego contra ex una urbe nostra, die'que uno totam Graeciam Lacedaemonijs fugatis liberaui. Idem cum in conuentum uenisset Arcadum, petens ut societatem cum Thebanis & Arguis facerent, contra Callistratus Atheniensium legatus, qui eloquentia omnes eo praestabat tempore, postularet, ut potius amicitias sequerentur Atticorum, & in oratione sua multa inuectus esset in Thebanos & Arguos, in eisque hoc posuisset animaduertere debere Arcadas, quales utraque ciuitas ciues procreasset, ex quibus de caeteris possent iudicare. Arguos enim fuisse Orestem & Alcmaeonem matricidas. Thebis Oedipum natum, qui cum patrem suum interfecisset, ex matre liberos procreasset. Hic in respōdendo Epaminondas cum de caeteris perorasset, postquam ad illa duo opprobria peruenit, admirari se dixit stultitiam rhetoris attici, qui non animaduerterit innocentes illos natos, domi scelere admisso cum patria essent pulsi, receptos esse ab Atheniensibus. Sed maxime eius eloquentia eluxit Spartae, quo cum omnium sociorum conuenissent legati, corām frequentissimo legationum conuentu, sic Lacedaemoniorum tyrannidem coarguit, ut non minus illa oratione opes eorum concusserit, quām Leuctrica pugna. Tum enim perfecit, quod post apparuit, ut auxilio sociorum Lacedaemonij priuarentur. Fuisse autem patientem, suorumq; iniurias ferentem ciuium, quod se patriae irasci nefas esse duceret, haec sunt testimonia. cum eum propter inuidiam ciues praeficere noluissent, duxq; esset delectus belli imperitus, cuius errore eo' esset deducta res illa militum, ut

omnes de salute pertimescerent, quod locorum angustiis clausi ab hostibus obsidebantur, desiderari cœpta est Epaminondæ diligentia. erat enim ibi priuatus numero militis. à quo cum peterent opem, nullam adhibuit memoriam contumeliæ, & exercitum obsidione liberatum, domũ reduxit incolumem. Neque uero hoc semel fecit, sed sæpius, maxime autem fuit illustre, cum in Peloponnesum exercitum duxisset aduersus Lacedæmonios, haberet'que collegas suos, quorum alter erat Pelopidas uir fortis ac strenuus. hic cum criminibus aduersariorum omnes in inuidiam uenissent, ob eamq; rem imperium his esset abrogatum, atque in eorum locum alij prætores successissent, Epaminondas plebiscito non paruit, idemq; ut facerent, persuasit collegis, & bellum, quod susceperat, gessit. nanque animaduertebat, ubi id fecisset, totum exercitum propter prætorum imprudentiam inscitiam'que belli periturum. Lex erat Thebis, quæ morte mulctabat, siquis imperium diutius retinuisset, quàm lege præfinitum foret. hanc Epaminondas cum reipubli. conseruandæ causa latam uideret, ad perniciem ciuitatis conferre noluit, & quatuor mensibus diutius, quàm populus iusserat, gessit imperium. Postquam domum reditum est, collegæ eius hoc crimine accusabantur. quibus ille permisit, ut omnem causam in se transferrent, suáque opera factum contenderent, ut legi nõ obedirent. qua defensione illis periculo liberatis, nemo Epaminondam responsurum putabat, quod, quid diceret, non haberet. at ille in iudicium uenit, nihil eorum negauit, quæ aduersarij crimini dabant, omniáq;, quæ collegæ

dixerant, confessus est, neque recusauit, quo minus legis pœnam subiret. sed unum ab his petiuit, ut in sepulchro suo inscriberent, Epaminondas à Thebanis morte mulctatus est, quot eos coëgit apud Leuctra superare Lacedæmonios, quos ante se imperatorem nemo Bœotiorum ausus fuit aspicere. in acie quoque uno prælio non solum Thebas ab interitu retraxit, sed etiam uniuersam Græciam in libertatem uindicauit, eo'que res utrorunque perduxit, ut Thebani Spartam oppugnarent, Lacedæmonij satis haberent, si salui esse possent. neque prius bellare destitit, quàm Messena constituta urbem eorum obsidione clausit. Hæc cum dixisset, risus omnium cum hilaritate coortus est, neque quisquam iudex ausus est ferre suffragium. Sic à iudicio capitis maxima discessit gloria. Hic extremo tempore imperator apud Mantineam, cum acie instructa audacius instaret hostibus, cognitus à Lacedæmonijs, quot in unius pernicie eius patriæ sitam putabant salutem, uniuersi in unum impetum fecerunt. neque prius abscesserunt, quàm magna cæde, multisq; occisis, ipsum Epaminondam pugnantem, sparo eminus percussum, concidere uiderunt. Huius causa aliquantum retardati sunt Bœotij, neque tamen prius pugna excesserunt, quàm repugnantes profligarunt. At Epaminondas, cum animaduerteret mortiferum se uulnus accepisse, simulq;, si ferrum, quod ex hastili in corpore remanserat, extraxisset, animam statim amissurum, usq; eo retinuit, quaod renuntiatum est uicisse Bœotios. Id postquam audiuit, satis inquit uixi, inuictus enim morior. Tum ferro extracto confestim

exanimatus est. Hic uxorem nunquam duxit. in quo cum reprehenderetur, q liberos non relinqueret, à Pelopida, qui filium habebat infamem, maleq; eum in eo patriæ consulere diceret. uide inquit, ne tu peius cõsulas, qui talem ex te natum relicturus sis. neq; uero stirps mihi potest deesse. nanq; ex me natam relinquo pugnam Leuctricam, quæ non modo mihi superstes, sed etiam immortalis sit necesse est. Quo tempore duce Pelopida exules Thebas occuparunt, et præsidiũ Lacedæmoniorum ex arce expulerunt, Epaminondas, q̃ diu facta est cædes ciuium, domi se retinuit q neq; malos defendere uolebat, neq; impugnare, ne manus suorum sanguine cruentaret. nanque omnem ciuilem uictoriam funestam putabat. Idemq;, postq̃ ad Cadmiam pugnari cum Lacedæmonijs cœpit, in primis stetit. Huius de uirtutibus uitaq; satis erit dictum, si hoc unum adiunxero, quod nemo eat infitias, Thebas & ante Epaminondam natum, & post eiusdem interitum, perpetuo alieno paruisse imperio, cum eo, quàm diu ille præfuerit reipub. caput fuisse totius Græciæ. ex quo intelligi potest unum hominem pluris, quàm ciuitatem, fuisse.

PELOPIDAE VITA.

P Elopidas Thebanus magis historijs, quàm uulgo, notus, cuius de uirtutibus dubito quemadmodum exponam. q uereor, si res explicare incipiã, nõ uitam eius enarrare, sed historiã ui-

uideat scribere. si tantummodo summas attigero, ne rudibus literarum græcarum minus lucide appareat, quantus fuerit ille uir. Itaque utrique rei occurram, quantum potero. & medebor cum satietati, tum ignorantiæ lectorum. Phœbidas Lacedæmonius, cum exercitum Olynthum duceret, iterq; per Thebas faceret, arcem oppidi, quæ Cadmea nominatur, occupauit, impulsu per paucorum Thebanorum, qui aduersariæ factioni quo facilius resisterēt, Laconū rebus studebāt. id'que suo priuato, non publico, fecit consilio. quo facto eum Lacedæmonij ab exercitu remouerunt, pecuniaque mulctarunt. neque eo magis arcem Thebanis reddiderunt, ꝙ susceptis inimicitijs satius ducebant eos obsideri, quàm liberari. nam post Peloponnesium bellum Athenasq; deuictas, cum Thebanis sibi rem esse existimabant. & eos esse solos, qui aduersus resistere auderent. Hac mente amicis suis summas potestates dederant, alterius factionis principes partim interfecerant. alios in exilium eiecerant. in quibus Pelopidas hic, de quo scribere exorsi sumus, pulsus patria carebat. Hi omnes ferè Athenas se contulerant, non ut sequerentur ocium, sed ut quenque ex proximo locum fors obtulisset, eo patriam recuperare niteretur. Itaque cum tempus est uisum rei gerendæ, communiter cum his, qui Thebis idem sentiebant, diem delegerunt ad inimicos opprimendos, ciuitatem'q; liberandam, cum quo maximi magistratus simul consueuerant epulari. Magnæ sæpe res non ita magnis copijs sunt gestæ. sed profecto nunquam ab tam tenui initio tantæ opes sunt profligatæ. nam duodecim adolescentuli coierunt ex his,

qui exilio erant mulctati. cum omnino non essent amplius centum, qui tanto se offerrent periculo. qua paucitate percussa est Lacedæmoniorum potentia. Hi enim non magis aduersariorum factioni, q̃ Spartanis eo tempore bellum intulerunt, qui principes erant totius Græciæ. quorum imperio maiestas neque ita multo post Leuctricam pugnam ab hoc initio perculsa cecidit. Illi igitur duodecim, quorum erat dux Pelopidas, cum Athenis interdiu exissent, ut uesperascente cœlo Thebas possent peruenire, cum canibus uenaticis exierunt, retia ferentes uestitu agresti, quo minore suspicione facerent iter. qui cum tempore ipso, quo studuerant, peruenissent, domum Charonis deuenerunt. à quo & tempus & dies erat datus. Hoc loco libet interponere, et si seiunctum à re posita est, nimia fiducia quãtæ calamitati soleat esse. nam magistratuum Thebanorum statim ad aures peruenit, exules in urbem deuenisse. id illi uino epulisq; dediti usq; eò despexerunt, ut ne quærere quidem de tanta re laborarint. accessit etiam, quod magis aperiret eorum dementiam. allata est enim epistola Athenis ab Archia Hierophante Archiæ, qui tum maximum magistratum Thebis obtinebat, in qua omnia de profectione exulum scripta erant. quæ cum iam accubanti in conuiuio esset data, sicut erat signata, in puluinum subijciens, in crastinum inquit, differo res seueras. At illi omnes, cum iam nox processisset, uinolenti ab exulibus duce Pelopida sunt interfecti. Quibus rebus confectis, uulgo ad arma libertatemq; uocato, non solum qui in urbe erant, sed etiam undique ex agris concurrunt, præsidium La-

cedæmoniorum ex arce pepulerunt, patriam obsidio- ne liberarunt. authores Cadmeæ occupandæ partim occiderunt, partim in exilium eiecerunt. Hoc tam tur bido tempore (sicut supra docuimus) Epaminondas, quoad cum ciuibus dimicatum est, domi quietus fuit. Itaque hæc liberandarum Thebarum propria laus est Pelopidæ, cæteræ fere omnes communes cum Epa- minonda. nanq; leuctrica pugna, imperatore Epami- nonda, hic fuit delectæ manus, quæ prima Phalãgem prostrauit Laconum. omnibus præterea periculis affu it. sicut Spartam cum oppugnauit, alterum tenuit cor nu. quoq; Messena celerius restitueretur, legatus in Per- sas est profectus. Denique hæc fuit altera persona The bis, sed tamen secunda ita, ut proxima esset Epami- nondæ. Conflictatus autem est cum aduersa fortuna. nam & initio (sicut ostendimus) exul patria caruit. et cum Thessaliam in potestatem Thebanorum cuperet redigere, legationisq; iure satis tectum se arbitraretur, quod apud omnes gentes sanctum esse consuesset, à Ty ranno Alexandro Pheræo simul cum Ismenia compre hensus in uincula coniectus est. Hunc Epaminondas recuperauit bello persequens Alexandrum. Post id fa ctum, nunquam is animo placari potuit in eum, à quo erat uiolatus. Itaque persuasit Thebanis, ut subsidio Thessaliæ proficiscerentur, tyrannos'que eius expelle- rent. Cuius belli cum ei summa esset data, eoq; cum exercitu profectus esset, non dubitauit simulac conspe xit hostem confligere. in quo prælio Alexandrum ut animaduertit, incensus ira, equum in eum concitauit, proculq; digressus à suis coniectu telorum confossus,

cecidit.

cecidit. Atque hoc secunda uictoria accidit, nam iam inclinatæ erant tyrannorum copiæ. Quo facto omnes Thessaliæ ciuitates interfectum Pelopidam coronis aureis, & statuis æneis, liberosque eius multo agro donarunt.

AGESILAI VITA.

a Gesilaus Lacedæmonius cum à cæteris scriptoribus, tum eximie à Xenophonte Socratico collaudatus est. eo enim usus est familiarissime. Hic primum de regno cum Leontychide fratris filio habuit contentionem. Mos est enim à maioribus Lacedæmonijs traditus, ut duos haberent semper reges nomine magis, quàm imperio, ex duabus familijs Procli & Eristhenis, qui principes ex progenie Herculis Spartæ reges fuerunt. horum ex altera in alterius familiæ locum fieri nõ licebat. itaq; uterq; suũ retinebat ordinem. primus in eo habebatur, qui maximus natu esset ex liberis eius, qui regnãs decessisset. sin is uirilem sexum non reliquisset, tum deligebatur, qui proximus esset propinquitate. Mortuus erat Agis rex frater Agesilai, filium reliquerat Leontychiden, quem ille uiuus non agnorat, eundem moriens suum esse dixerat. Is de honore regni cum Agesilao suo patruo contendit, neque id, quod petiuit, consecutus est: nam Lysandro suffragante, homine (ut ostendimus supra) factioso, & his temporibus potente, Agesilaus ante latus est. Hic simulac imperij potitus est, per-

suasit Lacedæmonijs, ut exercitum emitterent in Asiā, bellumq́; regi facerent, docens satius esse in Asia, quàm in Europa dimicare. nanque famam exire, Artaxerxē comparare classem, pedestresq́; exercitus, quos in Græciam mitteret. Data potestate, tanta celeritate usus est, ut prius in Asiam cum copijs peruenerit, quàm regij Satrapæ eum scirent profectum. Quo factum est, ut omnes imperatores imparatos imprudentesq́; offenderet. Id ut cognouit Tissaphernes, qui summum imperium tum inter præfectos habebat regios, inducias à Lacone petiuit, simulans se dare operam, ut Lacedæmonijs cum rege conueniret, re autem uera ad copias comparandas, easq́; impetrauit trimestres. Iurauit autem uterq; se sine dolo inducias conseruaturum, in qua pactione summa fide mansit Agesilaus, contra ea Tissaphernes nihil aliud, quàm bellum comparauit. Id etsi sentiebat Laco, tamen iusiurandum seruabat. multumq́; in eo consequi se dicebat, q Tissaphernes periurio suo & homines suis rebus abalienaret, & deos sibi iratos redderet. se autem seruata religione confirmare exercitum, cum animaduerteret deorum numen facere secum, hominesq; sibi conciliari amiciores, q his studere consuessent, quos conseruare fidem uiderent. Postquam induciarum præterijt dies, barbarus non dubitans, q ipsius erant plurima domicilia in Caria, & ea regio his temporibus multo putabatur locupletissima, eò potissimum hostes impetum facturos, omnes suas copias eò contraxerat. At Agesilaus in Phrygiam se conuertit, eamq; prius depopulatus est, q̄ Tissaphernes usquam se moueret. Magna præda

militibus

militibus locupletatis Ephesum hyematum exercitum reduxit, atque ibi officinis armorum institutis, magna industria bellum parauit. & quo studiosius armarentur, insigniusque ornarentur, præmia proposuit, quibus donarentur, quorum egregia in ea re fuisset industria. Fecit idem in exercitationum generibus, ut qui cæteris præstitissent, eos magnis afficeret muneribus. His igitur rebus effecit, ut ornatissimum & exercitatissimum haberet exercitum. Huic cum tempus esset ui sum copias extrahere ex hybernaculis, uidit, si quo esset iter facturus, palàm pronunciasset, hostes non credituros, aliasq; regiones occupaturos, nec dubitaturos aliud esse facturum, ac pronunciasset. Itaque cum ille Sardis se iturum dixisset, Tissaphernes eandem Cariam defendendam putauit. In quo cum eum opinio fefellisset, uictumq; se uidisset consilio, sero suis præsidio profectus est. nam cum illo uenisset, iam Agesilaus multis locis expugnatis magna erat præda potitus. Laco autem, cum uideret hostes equitatu superare, nunquam in campo sui fecit potestatem, & his locis manum conseruit, quibus plus pedestres copiæ ualerent. Pepulit ergo, quotiescunque congressus est, multo maiores aduersariorum copias. & sic in Asia uersatus est, ut omnium opinione uictor diceretur. Hic cum animo meditaretur proficisci in Persas, et ipsum regem adoriri, nuntius ei domo uenit Ephorum iussu, bellum Athenienses & Bœotios indixisse Lacedæmonijs. quare uenire non dubitaret. In hoc non minus eius pietas suspicienda est, quàm uirtus bellica, qui cum uictor præesset exercitui, maximamq; haberet fiduciam regni Per=

ſarum potiundi, tanta modeſtia dicto audiens fuit iuſſis abſentium magiſtratuum, ut ſi priuatus in comitio eſſet Spartæ. cuius exemplum utinam imperatores noſtri ſequi uoluiſſent. ſed illuc redeamus. Ageſilaus opulẽtiſſimo regno præpoſuit bonam exiſtimationem, multóq; glorioſius duxit, ſi inſtitutis patriæ paruiſſet, quàm ſi bello ſuperaſſet Aſiam. Hac igitur mente Helleſpontum copias traiecit, tantáque uſus eſt celeritate, ut quod iter Xerxes anno uertente confecerat, hic tranſierit triginta diebus. cum iam haud longe abeſſet à Peloponneſo, obſiſtere ei conati ſunt Athenienſes, & Bœotij, cæterique eorum ſocij, apud Coroneam, quos omnes graui prælio uicit. Huius uictoriæ uel maxima fuit laus, quod cum plerique ex fuga ſe in templum Mineruæ coniecißent, quæreretur que ab eo, quid his fieri uellet. etſi aliquot uulnera acceperat eo prælio, & iratus uidebatur omnibus, qui aduerſus arma tulerant, tamen ante tulit iræ religionem, & eos uetuit uiolari. Neque hoc ſolum in Græcia fecit, ut templa deorum ſancta haberet, ſed etiam apud Barbaros ſumma religione omnia ſimulachra aras'que conſeruauit. Itaque prædicabat mirari ſe non ſacrilegorum numero haberi, qui ſupplicibus eorum nocuiſſent. aut non grauioribus pœnis affici, qui religionem minuerent, quàm qui fana ſpoliarent. Poſt hoc prælium collatum eſt omne bellum circa Corinthum, ideóque Corinthium eſt appellatum. Hic cum una pugna decem milia hoſtium Ageſilao duce cecidiſſent, eóque facto opes aduerſariorum debilitatæ uiderentur, tantum abfuit ab inſolentia

ſolentia gloriæ, ut commiſeratus ſit fortunam Græciæ, quod tam multi a' ſe uicti uitio aduerſariorum concidiſſent. nanque illa multitudine, ſi ſana mens eſſet, Græciæ ſupplicium Perſas dare potuiſſe. Idem cum aduerſarios intra mœnia compuliſſet, & ut Corinthum oppugnaret multi hortarentur, negauit id ſuæ uirtuti conuenire. ſe enim eum eſſe dixit, qui ad officium peccantes redire cogeret, non qui urbes nobiliſſimas expugnaret Græciæ. nam ſi inquit, eos extinguere uoluerimus, qui nobiſcum aduerſus Barbaros ſteterunt, noſmetipſi nos expugnauerimus illis quieſcentibus. quo facto ſine negotio, cum uoluerint, nos oppriment. Interim accidit illa calamitas apud Leuctra Lacedæmonijs, quo ne proficiſceretur, cum a' pleriſque ad exeundum premeretur, ut ſi de exitu diuinaret, exire noluit. Idem cum Epaminondas Spartam oppugnaret, eſſet'que ſine muris oppidum, talem ſe imperatorem præbuit, ut eo tempore omnibus apparuerit, niſi ille fuiſſet, Spartam futuram non fuiſſe. In quo quidem diſcrimine celeritas eius conſilij saluti fuit uniuerſis. nam cum quidam adoleſcentuli hoſtium aduentu perterriti ad Thebanos transfugere uellent, & locum extra urbem editum cepiſſent, Ageſilaus, qui pernicioſiſſimum fore uideret, ſi animaduerſum eſſet quenquam ad hoſtes transfugere conari, cum ſuis conuenit, atque, ut ſi bono animo feciſſent, laudauit conſilium eorum, quod eum locum occupaſſent, & ſe, id quoque fieri debere, animaduertiſſe. Sic adoleſcentulos ſimulata laudatione recuperauit, & adiunctis de ſuis comi-

tibus locum tutum reliquit. nanque illi aucto numero eorum, qui expertes erant consilij, commouere se non sunt ausi, eoq; libentius, quod latere arbitrabantur, quæ cogitarant. Sine dubio post Leuctricam pugnam Lacedæmonij se nunquam refecerunt, neque pristinum imperium recuperarunt. cum interim Agesilaus non destitit quibuscunq; rebus posset patriam iuuare. nam cum præcipue Lacedæmonij indigerent pecunia, ille omnibus, qui à rege defecerant, præsidio fuit. à quibus magna donatus pecunia, patriam subleuauit. Atq; in hoc illud in primis fuit admirabile, cum maxima munera ei ab regibus, & Dynastis, ciuitatibus'q; conferrentur, nihil unquam in domum suam contulit, nihil de uictu, nihil de uestitu Laconum mutauit. Domo eadem fuit contentus, qua Eristhenes progenitor maiorum suorum fuerat usus. quam qui intrarat, nullum signum libidinis, nullum luxuriæ uidere poterat, contra plurima patientiæ, atq; abstinentiæ. Sic. enim instructa, ut nulla in re differret cuiusuis inopis atq; priuati. Atq; hic tantus uir ut naturam fautricem habuerat in tribuendis animi uirtutibus, sic maleficam nactus est in corpore, exiguus, & claudus altero pede. Quæ res etiam nonnullam afferebat deformitatem, atq; ignoti faciem eius cum intuerentur, contemnebant. qui autem uirtutem nouerant, nō poterant admirari satis. Quod ei usu uenit, cum annorum octoginta subsidio Thaco in Aegyptum iuisset, & in acta cum suis accubuisset, sine ullo tecto stratum'que haberet tale, ut terra tecta esset stramentis. neq; huc amplius, quàm pellis esset iniecta, eodem'q; comites omnes accubuissent uestitu humili atq;

obsoleto,

obsoleto, ut eorum ornatus non modo in his regem ne minem significaret, sed hominis non beatissimi suspicionem praeberet. Huius de aduentu fama cum ad regios esset perlata, celeriter munera eò cuiusque generis sunt allata. His quaerentibus Agesilaum uix fides facta est unum esse ex his, qui tum accubabant. Qui cum regis uerbis, quae attulerant, dedissent, ille praeter uitulina & huiusmodi genera opsonij, quae praesens tempus desiderabat, nihil accepit. unguenta, coronas, secundamq; mensam seruis dispertijt, caeteraq; referri iussit. Quo facto eum barbari magis etiam contempse runt, quod eum ignorantia bonarum rerum illa potissimum sumpsisse arbitrabantur. Hic cum ex Aegypto reuerteretur, donatus à rege Nathabide ducentis uiginti talentis, quae ille muneri populo suo daret, uenissetq; in portum, qui Menelai uocatur, iacens inter Cyrenas & Aegyptum, in morbum implicitus decessit. Ibi eum amici, quo Spartam facilius perferre possent, quod mel non habebant, caera circunfuderunt. atque ita domum retulerunt.

EVMENIS VITA.

e Vmenes Cardianus. Huius si uirtuti par data esset fortuna, non ille quidem maior, sed multo illustrior, atq; etiam honoratior, quod magnos homines uirtute metiuntur, non fortuna. Nam cum aetas eius incidisset in ea tempora, quibus Macedo nes florerent, multum ei detraxit uiuenti, quod alienae

erat ciuitatis. neque aliud huic defuit, quàm generosa stirps. & si ille domestico summo genere erat, tamen Macedones eum sibi aliquando anteponi indigne ferebant, neque tamen non patiebantur, uincebat enim omnes cura, uigilantia, patientia, calliditate, & celeritate ingenij. Hic peradolescentulus ad amicitiam accessit Philippi Amyntae filij, breuique tempore in intimam peruenit familiaritatem. Fulgebat enim iam in adolescentulo indoles uirtutis. Itaque eum habuit ad manum scribae loco, quod multo apud Graios honorificentius est, quàm apud Romanos. nam apud nos reuera, sicut sunt, mercennarij scribae existimantur. at apud illos contrario, nemo ad id officium admittitur, nisi honesto loco, & fide & industria cognita, quod necesse est omnium consiliorum eum esse participem. Hunc locum tenuit amicitiae apud Philippum annos septem. illo interfecto eodem gradu fuit apud Alexandrum annos tredecim. Nouissimo tempore praefuit etiam alteri equitum alae, quae etaerice appellabatur. Vtrique autem consilio semper affuit, & omnium rerum habitus est particeps. Alexandro Babylone mortuo cum regna singulis familiaribus dispartirentur, & summa rerum tradita esset tuenda eidem, cui Alexander moriens annulum suum dederat, Perdiccae, ex quo omnes coniecerant eum regnum ei commendasse, quoad liberi eius extra tutelam peruenissent. aberant enim Craterus, & Antipater, qui antecedere hunc uidebantur. mortuus erat Hephaestio, quem uiuum Alexander, quod facile intelligi posset, plurimi fe-

cerat. Hoc tempore data est Eumeni Cappadocia, siue potius dicta. nam tum in hostium erat potestate. Hunc sibi perdiccas adiunxerat magno studio, q in homine fidem & industriam magnam uidebat, non dubitans, si eum pellexisset, magno usui fore sibi in his rebus, quas apparabat. cogitabat enim, quod ferè omnes in magnis imperijs concupiscunt, omnium partes corripere atque complecti. Neque uero hoc solus fecit, sed cæteri quoque omnes, qui Alexandri fuerant amici. Primus Leonnatus Macedoniam præoccupare prædestinauerat. Is multis magnis pollicitationibus persuadere Eumeni studuit, ut Perdiccam desereret, ac secum faceret societatem. Cum perducere eum non posset, interficere conatus est, & fecisset, nisi ille clàm ex præsidijs eius effugisset. Interim conflata sunt illa bella, quæ ad internecionem post Alexandri mortem gesta sunt, omnes'que concurrunt ad Perdiccam opprimendum. quem & si infirmum uidebat, quod unus omnibus resistere cogebatur, tamen amicum non deseruit, neque salutis, quàm fidei, fuit cupidior. Præfecerat eum Perdiccas ei parti Asiæ, quæ inter Taurum montem iacet atq; Hellespontum, & illum unum opposuerat Europæis aduersarijs. Ipse ægyptum oppugnatum aduersus Ptolemæū erat profectus. Eumenes cum neq; magnas copias neq; firmas haberet, q inexercitatæ et nō multo ante erāt contractæ, aduentare autē dicerentur, Hellespontumq; transcurrisse Antipater & Craterus magno cum exercitu Macedonum, uiri claritate, tum usu belli præ-

stantes. Macedones uero milites ea tunc erant fama, qua nunc Romani feruntur. etenim semper habiti sunt fortissimi, qui summam imperij potirentur. Eumenes intelligebat si copiæ suæ cognoscerent, aduersus quos ducerentur, non modo non ituras, sed simul cum nuntio dilapsuras. Itaq; hoc eius fuit prudentissimum consilium, ut deuijs itineribus milites duceret, in quibus uera audire non possent. & his persuaderet, se contra quosdam barbaros proficisci. Itaque tenuit hoc propositum, & prius in aciem exercitum eduxit, præliumq; commisit, quàm milites sui scirent, cum quibus arma conferrent. Effecit etiam illud locorum præoccupatione, ut equitatu potius dimicaret, quo plus ualebat, quàm peditatu, quo erat deterior. Quorum acerrimo concursu cum magnam partem diei esset oppugnatum, cadit Craterus dux, & Neoptolemus, qui secundum locum imperij tenebat. cum hoc concurrit ipse Eumenes. qui cum inter se complexi in terram ex equis decidissent, ut facile intelligi posset inimica mente contendisse, animoq; magis etiam pugnasse, quàm corpore, non prius distracti sunt, quàm alterum anima reliquerit. Ab hoc aliquot plagis Eumenes uulneratur, neque eo magis ex prælio excessit, sed acrius hostibus institit. Hic equitibus profligatis, interfecto duce Cratero, multis præterea & maxime nobilibus captis, pedestres exercitus, qui in ea loca erat deductus, ut inuito Eumene elabi non posset, pacem ab eo petit. quam cum impetrasset, in fide non mansit, & se, simulac potuit, ad Antipatrum recepit. Eumenes Craterum ex acie semiuiuum elatum recreare studuit. cum id

non posset, pro hominis dignitate pro'q; pristina amicitia (nanq; illo usus erat Alexandro uiuo familiariter) amplo funere extulit, ossa'que in Macedoniam uxori eius, ac liberis remisit. Hæc dum apud Hellespontum geruntur, Perdiccas apud flumen Nilum interficitur à Seleuco & Antigono, rerum'q; summa ad Antipatrum defertur. hi, qui deseruerunt, exercitu suffragium ferente, capitis absentes damnantur. in his Eumenes. Hac ille perculsus plaga non succubuit, neque eo secius bellum administrauit. sed exiles res animi magnitudinem, & si non frangebant, tamen imminuebãt. Hunc persequens Antigonus, cum omni genere copiarum abundaret, sæpe in itineribus uexabatur. neq; unquam ad manum accedere licebat, nisi his locis, quibus multis possent pauci resistere. Sed extremo tempore cum consilio capi non posset, multitudine circumuentus est. hinc tamen multis suis amissis se expediuit, & in castellum Phrygiæ, quod Nora appellatur, confugit. In quo cum circunsederetur, & uereretur, ne uno loco manens equos militares perderet, quod spatium non esset agitandi, callidum fuit eius inuentum. quemadmodum stans iumentum calefieri exerceriq; posset. quo libẽtius & cibo uteretur, & à corporis motu non remoueretur. substringebat caput loro altius, quàm ut prioribus pedibus plane terrã posset attingere, deinde post uerberibus cogebat exultare, & calces remittere. qui motus non minus sudorem excutiebat, quàm si in spatio decurreret. Quo factum est, quod omnibus mirabile est uisum, ut æque iumenta nitida ex castello educeret, cum complures menses in obsidione fuisset. Quo-

tiescunque uoluit & apparatum & munitiones Antigoni alias incendit, alias disiecit. Tenuit autem se uno loco, quàm diu fuit hyems, quod castrum subsidia habere non poterat. uer appropinquabat, simulata deditione dum de conditionibus tractat, præfectis Antigoni imposuit, se'que ac suos omneis extraxit incolumes. Ad hunc Olympias, mater quæ fuerat Alexandri, cum literas & nuntios misisset in Asiam consultum, utrum repetitum in Macedoniam ueniret (nã tum in Epiro habitabat) & eas res occuparet. huic ille primum suasit, ne se moueret, & expectaret, quoad Alexandri filius regnum adipisceretur. sin aliqua cupiditate raperetur in Macedoniam, omnium iniuriarum obliuisceretur, & in neminem acerbiore uteretur imperio. Horum nihil ea fecit. nam & in Macedoniam profecta est, & ibi crudelissime se gessit. Petit autem ab Eumene absente, ne pateretur Philippi domus & familiæ inimicissimos interimere, ferret'que opem liberis Alexandri. quam ueniam si daret, quàm primum exercitus pararet, quos sibi subsidio adduceret. id quo facilius faceret, se omnibus præfectis, qui in officio manebant, misisse literas, ut ei parerent, eius'que consilijs uterentur. His uerbis Eumenes permotus satius duxit, si ita tulisset fortuna, perire benemeritis referentem gratiam, quàm ingratum uiuere. Itaque copias contraxit, bellum aduersus Antigonum comparauit. Quod unà erant Macedones complures nobiles, in his Peucestes, qui corporis custos fuerat Alexandri, tum autem obtinebat Persidem. & Theutamus, cuius sub imperio phalanx erat Ma-

cedonum, inuidiam uerens (quam tamen effugere non potuit) si potius ipse alienigena summi imperij poti-retur, quàm alij Macedonum, quorum ibi erat mul-titudo, in principijs nomine Alexandri statuit taber-naculum, in eoq; sellam æream cum sceptro & dia-demate iussit poni, atque omnes cotidie conuenire, ut ibi de summis rebus consilia caperentur. credens mi-nore se inuidia fore, si specie imperij nominis'que si-mulatione Alexandri bellum uideretur administra-re. quod & fecit. nam cum non ad Eumenis prin-cipia, sed ad regia conueniretur, atque ibi de rebus deliberaretur, quodammodo latebat, cum tamen per eum unum gererentur omnia. Hic impar ætatis cum Antigono conflixit non acie instructa, sed in itinere, eum'que male acceptum in Mediam hyematum coëgi redire. ipse in finitima regione Persidis hyematum copias diuisit, non ut uoluit, sed militum cogebat uo-luntas. nanque illa phalanx Alexandri magni, quæ Asiam peragrarat, deuicerat'que Persas, inuetera-ta cum gloria, tum etiam licentia, non parere se du-cibus, sed imperare postulabat. ut nunc ueterani fa-ciunt. itaq; periculum est, ne faciant, quod illi fecerunt, sua intemperantia nimiaque licentia, ut omnia per-dant, neq; minus eos, cum quibus steterint, q̃ aduersus quos fecerint. quod si quis illorum uetaranorum le-gat facta, paria horum cognoscat, neq; rem ullam, nisi tempus interesse iudicet. Sed ad illos reuertar. Hi-berna sumpserant non ad usum belli, sed ad ipso-rum luxuriam. longe'q; inter se dissenserant. Hoc An-tigonus cum comperisset, intelligeret'que se parem

non esse paratis aduersarijs, statut aliquid sibi consilij esse capiendum. Duae erant uiae, qua ex Medis, ubi ille hyemabat, ad aduersariorum hibernacula posset perueniri. quarum breuior per loca deserta, quae nemo incolebat propter aquae inopiam, caeterum dierum erat ferè decem. illa autem, qua omnes commeabant, altero tanto longiorem habebat anfractum, sed erat copiosa, omniumq; rerum abundans. hac si proficisceretur, intelligebat prius aduersarios rescituros de suo aduentu, quam ille tertiam partem confecisset itineris. sin per loca sola contenderet, sperabat se imprudentem hostem oppressurum. Ad hanc rem conficiendam imperauit quamplurimos utres atq; etiam culeos comparari. post haec pabulum, praeterea cibaria cocta decem dierum, utque quamminime fieret ignis in castris. iterque, quod habebat, omnes caelat. Sic paratus, qua constituerat, proficiscitur. Dimidium ferè spatium confecerat, cum ex fumo castrorum eius suspicio allata est ad Eumenem, hostem appropinquare. conueniunt duces, quaeritur quid opus sit facto. intelligebant omnes tam celeriter copias ipsorum contrahi non posse, quàm Antigonus affuturus uidebatur. Hic omnibus titubantibus, & de rebus summis desperantibus, Eumenes ait si celeritatem uelint adhibere, & imperata facere, quod ante non fecerint, se rem expediturum. nam quod diebus quinque hostis transisse posset, se effecturum, ut non minus totidem dierum spatio retardaretur. quare circumirent, suasq; quisque copias contraheret. Ad Antigoni autem refrenandum impetum tale capit consilium. Certos mittit

hominnes

homines ad infimos montes, qui obuij eant itineri aduersariorum, hisq; praecepit, ut prima nocte q̃ latissime possint ignes faciant q̃maximos, atq; hos secunda uigilia minuant, tertia perexiguos reddant, & assimulata castrorum consuetudine suspicionem iniciant hostibus his locis esse castra, ac de eorum aduentu esse praenuntiatum. idemq; postera nocte faciant. quibus imperatum, diligenter praeceptum curant. Antigonus tenebris obortis ignes conspicatur, credit de suo aduentu esse auditum, & aduersarios illuc suas contraxisse copias. mutat consilium, & quoniam imprudentes adoriri non posset, flectit iter suum, & illum anfractum longiorem copiosae uiae capit, ibiq; diem unum opperitur ad lassitudinem sedandam militum, ac reficienda iumenta, quo integriore exercitu decerneret. Hic Eumenes callidum imperatorẽ uicit consilio, celeritatemq; impediuit eius, neq; tamen multum profecit. nam inuidia ducum, cum quibus erat, perfidiaque militum Macedonum ueteranorum, cum superior praelio discessisset, Antigono est deditus. cum exercitus ei ter ante separatis temporibus iurasset, se eum defensurum, nec unquam deserturum. Sed tanta fuit nonnullorum uirtutis obtrectatio, ut fidem amittere mallent, quàm eum non prodere. Atque hunc Antigonus, cum ei fuisset infestissimus, conseruasset, si per suos esset licitum, q ab nullo se plus adiuuari posse intelligebat in his rebus, quas impendere iam apparebat omnibus. Imminebat enim Seleucus, Lysimachus, Ptolemaeus, opibus iam ualentes, cum quibus ei de summis rebus erat dimicandum. sed non passi

sunt hi, qui circa erant. quod uidebant Eumene recepto omnes præ illo parui futuros. ipse autem Antigonus adeo erat incensus, ut nisi magna spe maximarum rerum leniri non posset. Itaque cum eum in custodiam dedisset, & præfectus custodum quæsisset, quemadmodum seruari uellet, ut acerrimum inquit leonem, aut ferocissimum elephantum. nondum enim statuerat conseruare eum, nec ne. Veniebat autem ad Eumenem utrunque genus hominum, & qui propter odium fructum oculis ex eius casu capere uellent, & qui propter ueterem amicitiam colloqui consolarique cuperent. multi etiam, qui eius formam cognoscere studebant, qualis esset, quem tam diu tamque ualde timuissent, cuius in pernicie positam spem habuissent uictoriæ. At Eumenes, cum diutius in uinculis esset, ait Onomarcho, penes quem summa imperij erat custodiæ, se mirari, quare iam tertium diem sic teneretur. non enim hoc conuenire Antigoni prudentiæ, ut sic deuteretur uicto, quin aut interfici aut missum fieri iuberet. Hic cum ferocius Onomarcho loqui uideretur, quid tu inquit, animo si isto eras, cur non prælio cecidisti potius, quàm in potestatem inimici uenires? Huic Eumenes, utinam quidem istud euenisset, sed eo non accidit, quod nunquam cum fortiore sum congressus. non enim cum quoquam arma contuli, quin is mihi succubuerit. non enim uirtute hostium, sed amicorum perfidia, decidi. Neque id falsum. nam & dignitate fuit honesta, & uiribus ad laborem ferendum firmis. neque tam magno corpore, quàm figura uenusta. De hoc Antigonus cum

ſolus conſtituere non auderet, ad conſilium retulit. Hic cum omnes uel primo perturbati admirarentur, non iam de eo ſumptum eſſe ſupplicium, à quo tot annos adeo eſſent male habiti, ut ſæpe ad deſperationem fo-rent adducti. quiq; maximos duces interfeciſſet. deniq; in quo uno eſſet tantum, ut quoad ille uiueret, ipſi ſecu-ri eſſe non poſſent. interfecto nihil habituri negotij eſ-ſent. Poſtremo, ſi illi redderet ſalutem, quærebant, qui-bus amicis eſſet uſurus. ſeſe enim cum Eumene apud eum non futuros. Hic cognita conſilij uoluntate, tamen uſq; ad ſeptimum diem deliberandi ſibi ſpatium reliqt. tum autem cum uereretur, ne qua ſeditio exercitus ori-retur, uetuit ad eum quenquam admitti, et cotidianũ uictum amoueri iuſſit. nã negabat ſe ei uim allaturũ, qui aliquando fuiſſet amicus. Hic tamen non amplius, quàm triduum, fame fatigatus, cum caſtra mouerẽtur, in ſciente Antigono iugulatus eſt à cuſtodibus. Sic Eume-nes annorum quinq; & quadraginta, cum ab anno ui geſimo (ut ſupra) ſeptem annos Philippo apparuiſſet, & tredecim apud Alexandrum eundem locum obti-nuiſſet, in his uni equitum alæ præfuiſſet, poſt autem Alexandri magni mortem imperator exercitus duxiſ-ſet, ſummosq; duces partim repuliſſet, partim interfe-ciſſet, captus non Antigoni uirtute, ſed Macedonum per-iurio, talem habuit exitum uitæ. In quo quanta fuerit omnium opinio eorum, qui poſt Alexandrum ma-gnum reges ſunt appellati, ex hoc facillime poteſt iudicari. quod nemo Eumene uiuo rex appellatus eſt, ſed præfectus. idem poſt huius occaſum ſtatim re-gum ornatum nomenque ſumpſerunt, neq;, quod ini-

tio prædicarunt se Alexãdri liberis regnum seruare, præstare uoluerunt, & uno propugnatore sublato, quid sentirent, aperuerunt. Huius sceleris principes fuerunt Antigonus, Ptolemæus, Seleucus, Lysimachus, Cassander. Antigonus autem Eumenem mortuum propinquis eius sepeliendum tradidit, qui eum militari honestoq; funere, comitante toto exercitu humauerunt. ossáq; eius in Cappadociam ad matrem atque uxorem liberosque eius deportanda curarunt.

PHOCIONIS VITA.

P Hocion Atheniensis & si sæpe exercitibus præfuit, summosq; magistratus cepit, tamen multo eius notior integritas est uitæ, quàm rei militaris labor. Itaq; huius memoria ē nulla, illius aũt magna fama, ex quo cognomine bonus est appellatus. Fuit enim perpetuo pauper cum ditissimus esse posset propter frequentes delatos honores potestatesque summas, quæ ei à populo dabantur. Hic cum à rege Philippo munera magnæ pecuniæ repudiaret, legati que hortarentur accipere, simul admonerent, si ipse his facile careret, liberis tamen suis prospiceret, quibus difficile esset in summa paupertate tantam paternam tueri gloriam. hic ille, si mei similes erunt, idem hic inquit agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem perduxit. sin dissimiles sunt futuri, nolo meis impensis illorum ali augeriq; luxuriam. eidem cum prope ad annum octogesimum prospera peruenißet fortuna,

extremis temporibus magnum in odium peruenit suorum ciuium. Primo cum Demáde de urbe tradenda Antipatro consenserat. eius'que consilio Demosthenes cum cæteris, qui bene de republica mereri existimabantur, plebiscito in exilium erant expulsi. Neque in eo solum offenderat, q patriæ male consuluerat, sed etiam, q amicitiæ fidem non præstiterat. nanque auctus adiutusq; à Demosthene eum, quem tenebat, ascenderat gradum. cum aduersus Charetem eum subornaret, ab eodem in iudicijs, cum capitis causam diceret, defensus aliquoties, liberatus discesserat. hunc nō solum in periculis non defendit, sed etiam prodidit. Concidit autem maxime uno crimine. quia cum apud eum summum esset imperium populi, & Nicanorem Cassandri præfectum insidiari piræeo Atheniensium à Derallo moneretur. eidemq; postularet, ut prouideret, ne cōmeatibus ciuitas priuaretur. hinc audiente populo Phocion negauit esse periculum, se'que eius rei obsidem fore pollicitus est. neque ita multo post Nicanor piræeo est potitus. ad quem recuperandum cum populus armatus concurrisset, ille non modo neminem ad arma uocauit, sed ne armatis quidem præesse uoluit. sine quo Athenæ omnino esse non possunt. Erant eo tempore Athenis duæ factiones, quarum una populi causam agebat, altera optimatum. in hac erat Phocion, & Demetrius Phalereus. harum utraque Macedonum patrocinijs nitebatur. nam populares Polyperconti fauebant, optimates cum Cassandro sentiebant. Interim à Polyperconte Cassander Macedonia pulsus est, quo facto populus superior factus statim

duces aduersariæ factionis capitis damnatos patria pepulit, in his Phocionem et Demetrium Phalereum. deq; ea re legatos ad Polypercontem misit, qui ab eo peterent, ut sua decreta confirmaret. Hoc eodem profectus est & Phocion. quo ut uenit causam apud Philippum regem uerbo, re ipsa quidem apud Polypercontem, iussus est dicere. nanque is tum regis rebus præerat. Hic cum ab Agnonide accusatus esset, q piræeum Nicanori prodidisset. ex consimili sententia in custodiam coniectus, Athenas deductus est ut ibi de eo legibus fieret iudicium. Huc ubi peruentum est, cum propter ætatem pedibus iam non ualeret, uehiculoq; portaretur, magni concursus sunt facti. cum alij reminiscentes ueteris famæ ætatis misererentur, plurimi uero ira exacuerétur propter proditionis suspitionem Piræei. maximeq;, q aduersus populi commoda in senectute steterat. Qua de re ne perorandi quidem ei data est facultas, & dicendi causam. Inde iudicio legitimis qbusdam confectis dănatus traditus est undecim uiris, quibus ad supplicium more Atheniensium publice damnati tradi solent. Hic cum ad mortem duceretur, obuius ei fuit Emphiletus, quo familiariter fuerat usus. Is cum lachrymans dixisset, o quàm indigna perpeteris Phocion. huic ille, at non inopinata, inquit, hunc enim exitum plæriq; clari uiri habuerunt Athenienses. In hoc tantum fuit odium multitudinis, ut nemo ausus sit eum liber sepelire. Itaq; à seruis sepultus est.

Timoleonis

TIMOLEONIS VITA.

Timoleon Corinthius, sine dubio magnus omnium iudicio hic uir extitit. nanque huic uni contigit, quod nescio an ulli, ut patriam, in qua erat natus, oppressam à tyranno liberaret, et à Syracusis, quibus auxilio erat missus, inueteratam seruitutem depelleret. totamq; Siciliã multos annos bello uexatam, à barbarisq; oppressam suo aduẽtu in pristinum restituerit. Sed in his rebus non simplici fortuna conflictatus est. & id, quod difficilius putatur, multo sapientius tulit secundam, quàm aduersam, fortunam. Nam cum frater eius Timophanes dux à Corinthijs delectus tyrannidem per milites mercenarios occupasset, particepsq; regni posset esse, tantum abfuit à societate sceleris, ut ante tulerit suorum ciuium libertatem fratris saluti, & patriæ legibus obtemperare sanctius duxerit, quàm imperare patriæ. Hac mente per aruspicem, communemq; affinem, cui soror ex eisdem parentibus nata nupta erat, fratrem tyrannum interficiendum curauit. Ipse non modo manum non attulit, sed ne aspicere quidẽ fraternum sanguinem uoluit. nam, dum res conficeretur, procul in præsidio fuit, ne quis satelles posset succurrere. Hoc præclarissimum eius facinus non pari modo probatum est ab omnibus. nonnulli enim læsam ab eo pietatem putabant, & inuidia laudem uirtutis obterebant. mater uero post id factum neque domum ad se filium admisit, neque aspexit, quin eum fratricidam impiumq; detestans cõpellaret. Quibus uerbis adeo ille est commotus, ut non

nunquam uitæ finem facere uoluerit, atq; ex ingratorum hominum conspectu morte decedere. Interim Dione Syracusis interfecto, Dionysius rursus Syracusanorum potitus est, cuius aduersarij opem à Corinthijs petiuerunt. ducem'que, quo in bello uterentur, postularunt. Huc Timoleon missus incredibili felicitate Dionysium tota Sicilia depulit. cum interficere posset noluit, tutoq; ut Corinthum perueniret, effecit. quod utrorumq; Dionysiorũ opibus Corinthij sæpe adiuti fuerant, cuius benignitatis memoriã uolebat extare, eamq; præclaram uictoriam ducebat, ex qua plus esset clementiæ, quàm crudelitatis. Postremo ut nõ solum auribus acciperetur, sed etiã oculis cerneretur. quem & ex quanto regno ad quam fortunam detrusisset. Post Dionysij decessum cum Iceta bellauit, qui aduersatus fuerat Dionysio. quẽ non odio tyrannidis dissensisse, sed cupiditate indicio fuit, ꝙ ipse expulso Dionysio imperium dimittere noluit. Hoc superato Timoleon maximas copias Carthaginensium apud Crimnissum flumen fugauit, ac satis hinc coëgit, si liceret Africam obtinere, q̃ iam complures annos possessionem Siciliæ tenebant. Cepit etiam Mamercum italicum ducem hominem bellicosum et potentem, q tyrannos adiutum in Siciliam uenerat. Quibus rebus confectis cum propter diuturnitatem belli nõ solum regiones, sed etiam urbes desertas uideret, conquisiuit, quos potuit, primum Siculos, deinde Corintho accersiuit colonos. ꝙ ab his initio Syracusæ erant conditæ. Ciuibus ueteribus sua restituit, nouis bello uacuefactas possessiones diuisit, urbiũ mœnia disiecta, fana'q; deserta refecit. ciuitatibus leges libertatem'q; reddidit. et maximo

ximo bello tm̃ otium toti insulæ conciliauit, ut hic conditor urbium earum, non illi, qui initio deduxerant, uideretur. Arcẽ Syracusis, quã munierat Dionysius ad urbem obsidendã, à fundamentis disiecit, cætera tyrannidis propugnacula demolitus est. deditq; operam, ut q̃minime multa uestigia seruitutis manerent. Cum tantis esset opibus, ut etiam inuitis imperare posset, tm̃ autem haberet amorem omnium Siculorũ, ut nullo recusante regnum obtineret, maluit se diligi, q̃ metui. Itaq;, cum primum potuit, imperiũ deposuit, & priuatus Syracusis, qđ reliquum uitæ fuit, uixit. neq; uero id imperite fecit. nã quod cæteri reges imperio potuerũt, hic beneuolentia tenuit. nullus honos huic defuit. neq; postea Syracusis res ulla gesta est publice, de qua prius sit decretũ, q̃ Timoleontis sententia cognita. nullius unquam consilium non modo antelatum, sed ne comparatum qdem est. neq; id magis beneuolentia factum est, q̃ prudentia. Hic cum ætate iam prouectus esset, sine ullo morbo lumina oculorũ amisit. quã calamitatem ita moderate tulit, ut neq; eum querentem quisq̃ audierit, neq; eo minus priuatis publicisq; rebus interfuerit. ueniebat autem in theatrum, cum ibi concilium populi haberetur, propter ualetudinem uectus iumentis iunctis, atq; ita de uehiculo, quæ uidebantur dicebat, neq; hoc illi quisquam tribuebat superbiæ. nihil enim unq̃ neq; insolens neq; gloriosum ex ore eius exijt. q qdem cum suas laudes audiret prædicari, nunq̃ aliud dixit, q̃ se in ea re maximas dijs gratias agere atq; habere, ꝙ cum Siciliam recreare constituisset, tum se potissimũ ducem esse uoluissent. nihil enim rerum humanarũ sine

deorum numine agi putabat. Itaq; suae domi sacellum Αὐτοματίας constituerat, idq; sanctissime colebat. Ad hanc hominis excellentem bonitatem mirabiles accesse runt casus. Nam praelia maxima natali die suo fecit omnia, quo factum est, ut eiusdem natalem festum habe ret uniuersa Sicilia. Huic quidam Lamestius homo petulans & ingratus uadimonium cum uellet imponere, quod cum illo se lege agere diceret, & cum plures con curriss ent, qui procacitatem hominis manibus coërcere conarentur, Timoleon orauit omnes, ne id facerent. nãq; id ut Lamestio, caeterisq; liceret, se maximos labores summaq; adijsse pericula. hanc enim speciem libertatis esse, si omnibus, quod quisque uellet, legibus experiri liceret. Idem, cum quidam Lamestij similis nomine Demenetus in cõcione populi rebus gestis eius detrahere coepisset, ac nonnulla inueheretur in Timoleõ ta, dixit nunc demum se uoti esse compotem. nanq; haec à dijs immortalibus semper precatum, ut talem liber tatem restitueret Syracusanis, in qua cuiuis liceret, de quo uellet, impune dicere. Hic cum diem supremum obijsset, publice à Syracusanis in gymnasio, quod Timo leontiũ appellatur, tota celebrante Sicilia, sepultus est. Hi fere fuerunt Graeciae gentis duces, qui memoria di gni uideantur, praeter reges. nanq; eos attingere noluimus, quod omnium res gestae separatim sunt relatae. neque tamen hi admodum sunt multi. Lacedaemonius autem Agesilaus nomine non potestate fuit rex, sicut caeteri Spartani. Ex his uero, q orbem domitum impe rio tenuerunt, excellẽtissimi fuerunt (ut nos iudicamus) Persarũ Cyrus et Darius Histaspis filius, quorũ uterq;

priuatus uirtute regnum est adeptus. Prior horũ apud Massagetas in prælio cecidit. Darius senectute diem obijt supremum. Tres sunt præterea eiusdem generis, Xerxes, & duo Artaxerxes, Macrochir quoq;, & Memnon. Xerxi maxime est illustre, q maximus post hominum memoriã exercitibus, terra mariq;, bellũ intulit Græciæ. at Macrochir præcipuam habet laudẽ amplissimæ pulcherrimæq; corporis formæ. quam incredibili ornauit uirtute belli. nãq; illo Persarum nemo fuit manu fortior. Memnon autem iustitiæ fama floruit. nam cum matris suæ scelere amisisset uxorem, tantum indulsit dolori, ut eum pietas uinceret. Ex his duo eodem noie morbo naturæ debitum reddiderunt, tertius ab Artabano præfecto ferro interfectus est. Ex Macedonum autem gñe duo multo cæteros antecesserũt rerũ gestarũ gloria, Philippus Amyntæ filius & Alexander Magnus. horũ alter Babylone morbo cõsumptus ẽ. Philippus Aegis à Pausania, cũ spectatum ludos iret, iuxta theatrũ occisus est. Vnus Epirotes Pyrrhus, q cũ P. R. bellauit. is cũ Argos oppidũ oppugnaret in Peloponneso, lapide ictus interijt. Vnus Siculus Dionysius prior. nã & manu fortis & belli ꝑitus fuit, & id, qđ in tyranno non facile reperitur, minime libidinosus, non luxuriosus, nõ auarus, nullius rei deniq; cupidus, nisi singularis perpetuiq; imperij, ob eamq; rẽ crudelis. nam dum id studuit munire, nullius pepercit uitæ, quem eius insidiatorem putaret. Hic cũ uirtute tyrãnidem sibi peperisset, magna retinuit felicitate, maiorq; annos sexaginta natus decessit florente regno. neq; in tam multis annis cuiusquam ex sua stirpe funus uidit,

cum ex tribus uxoribus liberos procreasset, multiq; ei nati eẽnt nepotes. Fuerunt præterea multi reges ex amicis Alexandri Magni, q post obitum eius imperia cœperunt. In his Antigonus, & huius filius Demetrius, Lysimachus, Seleucus, Ptolemæus. Ex his Antigonus, cũ aduersus Seleucum Lysimachumq; dimicaret, in prælio occisus est. Pari leto affectus est Lysimachus à Seleuco, nam societate dissoluta bellũ inter se gesserũt. At Demetrius cum filiam suam Seleuco in matrimoniũ dedisset, neq; eo magis fida inter eos amicitia manere potuisset, captus bello in custodia socer generi perijt morbo. neq; ita multo post Seleucus à Ptolemæo Cerauno dolo interfectus est, quẽ ille à patre expulsum Alexãdria, alienarum opum indigentem, receperat. Ipse autem Ptolemæus, cum uiuus filio regnum tradidisset, ab illo eodẽ uita priuatus dicitur. De quibus quoniam satis dictum putamus, nõ incommodum uidetur non præterire Hamilcarem & Annibalẽ, quos & animi magnitudine, & calliditate omnes in Africa natos præstitisse constat.

HAMILCARIS VITA.

h Amilcar Annibalis filius cognomine Barchas Carthaginensis primo punico bello, sed temporibus extremis admodum adolescentulus in Sicilia præesse cœpit exercitui. Cum ante eius aduentum & mari & terra male res gererentur Carthaginensiũ, ipse, ubi affuit, nunq̃ hosti cessit, neq; locum nocendi dedit. sæpéq; econtrario occasione data lacessiuit,

ſemperq́; ſuperior diſceſſit. quo facto cum pene omnia
in Sicilia Pœni amiſiſſent, ille Erycē ſic defendit, ut bel
lum eo loco geſtum nō uideretur. Interim Carthaginē
ſes claſſe apud inſulas Aegates à C. Lutatio conſule
Romanorū ſuperati, ſtatuerunt belli finē facere, eáq;
rem arbitrio pmiſerunt Hamilcaris. Ille etſi flagrabat
bellandi cupiditate, tn̄ paci ſeruiēdum putauit, ꝙ pa-
triam exhauſtam ſumptibus diutius calamitatem belli
ferre nō poſſe intelligebat. ſed ita, ut ſtatim mente agi-
taret, ſi paulum modo res eſſent refectæ, bellum reno
uare, Romanosq́; armis pſeq, donec aut certe uiciſſent,
aut uicti manum dediſſent. Hoc conſilio pacem concilia
uit, in qua tanta fuit ferocia, ut cum Catulus negaret
bellum compoſiturum, niſi ille cum ſuis, q Erycē tenue-
runt, armis relictis Sicilia decederent, ſuccumbēte pa-
tria ipſe periturum ſe potius dixerit, q̄ cum tanto flagi-
tio domum rediret. nō. n. ſuæ eſſet uirtutis arma à pa
tria accepta aduerſus hoſtes aduerſarijs tradere. Hu=
ius ptinaciæ ceſſit Catulus. At ille, ut Carthaginē uenit,
multo aliter rēp. ſe habētem cognouit. nāq; diuturnita
te extremi mali tm̄ exarſit inteſtinum bellū, ut nunq̄
pari piculo fuerit Carthago, niſi cum deleta eſt. Pri=
mo mercenarij milites, q aduerſus Ro. fuerant, deſciue
runt. quorū numerus erat uiginti milium. hi totam ab
alienarunt Africam, ipſam Carthaginem oppugnarūt.
Quibus malis adeo ſunt Pœni pterriti, ut auxilia etiā
à Ro. petiuerint, eaq; impetrarint. Sed extremo, cum
prope iam ad deſperationē perueniſſent, Hamilcarē im
peratorem fecerunt. Is non ſolū hoſtes à muris Cartha
ginis remouit, cum amplius centū milia facta eēnt ar=

matorum, ſed etiam eos compulit, ut locorum anguſtijs
clauſi plures fame, q̃ ferro, interirent. omnia oppida
alienata in his Vticã atq; Hipponem ualentiſſima toti
us Africæ, reſtituit patriæ. neq; eo fuit contentus, ſed ẽt
fines imperij prorogauit. tota Africa tm̃ otium reddi-
dit, ut nullũ in ea bellum uideretur multis annis fuiſſe.
Rebus his ex ſententia pactis fidẽti animo atq; infeſto
Romanus quo facilius cauſam bellandi reperiret, effe=
cit, ut imperator cum exercitu in Hiſpaniã mitteretur,
eóq; ſecum duxit filiũ Annibalẽ annorũ nouem. Erat
præterea cũ eo adoleſcens illuſtris et formoſus Haſdru
bal, quẽ nõnulli diligi turpius, q̃ par erat, ab Hamil-
care loquebantur. nõ. n. maledici tanto uiro deeſſe pote
rant, quo factum eſt, ut à præfecto morum Haſdrubal
cum eo uetaretur eſſe. huic ille filiam ſuã in matrimo=
niũ dedit, ꝙ moribus eorũ nõ poterat interdici ſocero
gener. De hoc ideo mentionẽ fecimus, ꝙ Hamilcare occi
ſo ille exercitui præfuit, reſq; magnas geſſit, et prĩceps
largitione uetuſtos peruertit mores Carthaginenſium.
eiuſdẽq; poſt mortem Annibal ab exercitu accepit im
periũ. At Hamilcar poſteaq̃ mare tranſijt, in Hiſpani
amq; uenit, magnas res ſecunda geſſit fortuna. maxi-
mas bellicoſiſſimasq; gentes ſubegit. eqs, armis, uiris, pe
cunia totam locupletauit Africã. Hic cum in Italiã bel
lum inferre meditaretur, nono anno poſt, q̃ in Hiſpa=
niã uenerat, in prælio pugnans aduerſus Vectones occi
ſus eſt. Huius ꝑpetuũ odiũ erga Romanos maxime con-
citaſſe uidetur ſecundũ bellum punicum. nãq; Annibal
filius eius aſſiduis patris obteſtationibus eo eſt perdu-
ctus, ut interire, q̃ non Romanos experiri, mallet.

ANNIBALIS VITA.

A Nnibal Hamilcaris filius Carthaginensis. Si uerũ est, qđ nemo dubitat, ut populus Ro. oẽs gentes uirtute superarit, nõ est inficiandũ Annibalẽ præstitisse cæteros imperatores prudẽtia, q̃to populus Ro. antecedat fortitudine cunctas nationes. nã quotiescũq; cũ eo congressus est in Italia, semp̃ discessit sup̃ior. quod nisi domi ciuiũ suorũ inuidia debilitatus esset, Romanos uidetur sup̃are potuisse. sed multorũ obtrectatio deuicit unius uirtutem. Hic aũt uelut hæreditate relictũ odiũ paternũ erga Romanos sic cõfirmauit, ut prius aĩam, q̃ id, deposuerit. Qui qdẽ cũ patria pulsus esset, et alienarũ opum indigeret, nunq̃ destiterit aĩo bellare cum Romanis. nã ut omittã Philippũ, quẽ absens hostem reddidit Romanis, oĩum his tp̃ibus potentissimus rex Antiochus fuit, hũc tanta cupiditate incendit bellãdi, ut usq; à rubro mari arma conatus sit inferre Italiæ. ad quẽ cum legati uenissent Romani, q de eius uolũtate explorarẽt, darentq; operam consilijs clãdestinis, ut Annibalẽ in suspiciõnẽ regi adducerent, tanq̃ ab ipsis corruptũ alia, atq; antea, sentire, neq; id frustra fecissent, idq; Annibal cõperisset, seq; ab interioribus cõsilijs segregari uidisset, tp̃e dato adijt regem, eiq; cũ multa de fide sua et odio in Romanos cõmemorasset, hoc adiũxit. pater inqt meus Hamilcar puerulo, ut pote nõ amplius nouẽ annos nato, in Hispaniam imperator proficiscens Carthagine, Ioui optimo maximo hostias immolauit, quæ diuina res dum conficiebatur, quæsiuit à me, uellẽ ne secum in castra proficisci. id cum libenter accepissem, atque ab eo pe-

tere cœpissem, ne dubitaret ducere, tum ille faciam in-
quit, si fidem mihi quam postulo dederis, simulq; ad
aram adduxit, apud quam sacrificare instituerat.
eamq; cæteris remotis tenentem iurare iussit, nunq̃ me
in amicitia cum Romanis fore. Id ego iusiurandum
patri datum usque ad hanc diem ita conseruaui, ut
nemini dubium esse debeat, quin reliquo tempore ea-
dem mente sim futurus. quare si quid amice de Ro-
manis cogitabis, non imprudenter feceris, si me cela-
ris. cum quidem bellum parabis teipsum frustrabe-
ris, si non me in eo principem posueris. Hac igitur
ætate cum patre in Hispaniam profectus est, cuius post
obitum Hasdrubale imperatore suffecto, eqtatui omni
præfuit. hoc quoq; interfecto exercitus summam im-
perij ad eum detulit. id Carthaginẽ delatum publice
comprobatum est. Sic Annibal minor quinq; & uigin
ti annis natus, imperator factus proximo triennio oẽs
gentes Hispaniæ bello subegit. Saguntum fœderatam ci
uitatem ui expugnauit. tres exercitus maximos compa-
rauit. Ex his unum in Africam misit, alterum cum
Hasdrubale fratre in Hispania reliquit, tertiũ in Ita-
liam secum duxit. saltum Pyrenæum transiit. quacunq;
iter fecit, cum omnibus incolis conflixit. neminem, nisi
uictum, dimisit. Ad alpes posteaq̃ uenit, quæ Italiam
ab Gallia seiungunt, quas nemo unq̃ cum exercitu an
te eum præter Herculem Graium transierat, quo fa-
cto is hodie saltus Graius appellatur, alpicos conan-
tes prohibere transitum concidit, loca patefecit, itinera
munijt, effecitq;, ut ea elephantus oneratus ire posset,
qua antea unus homo inermis uix poterat repere. hac

copias

copias traduxit, in Italiam'que peruenit. conflixerat apud Rhodanum cũ. P. Cornelio Scipione consule, eũq; pepulerat. cum hoc eodem clastidio apud Padum decernit, sauciũ inde ac fugatum dimittit. tertio idem Scipio cum collega. Tito longo apud Trebiam aduersus eũ uenit, cum his manum conseruit, utrosq; profligauit. Inde Ligures, Apenninum transit petens Etruriã, hoc itinere adeo graui morbo afficitur oculorũ, ut postea nũq̃ dextro æque bene usus sit. qua ualitudine cum etiam premeretur, lecticaq́; ferretur, C. Flamminium consulem apud Thrasimenum cum exercitu insidijs circumuẽtum occidit. neq; multo post. C. Cẽtenium prætorem cum delecta manu saltus occupantem. Hinc in Apuliam ꝑuenit, ibi obuiam ei uenerunt duo consules. C. Terẽtius et L. Aemylius, utriusq; exercitus uno prælio fugauit. Paulum cõsulem occidit, et aliquot præterea consulares. In his P. Seruiliũ Geminium, q̃ anno superiore fuerat cõsul. Hac pugna pugnata Romã profectus est nullo resistente. in propinqs urbis montibus moratus est. cum aliquot ibi dies castra habuisset, & reuerteretur Capuã, Quintus Fabius maximus dictator Ro. in agro Falerno ei se obiecit. Hic clausis locorũ angustijs noctu sine ullo detrimento exercitus se expediuit. Fabio callidissimo imperatori uerba dedit. nanq; adducta nocte sarmenta in cornibus iumentorum deligata incendit, eiusq́; generis multitudinem magnã dispalatam immisit. quo repentino obiectu uiso tantum terrorẽ iniecit exercitui Romanorũ, ut egredi extra uallũ nemo sit ausus. Hãc post rẽ gestam nõ ita multis diebus. M. Minutiũ Rufum magistrũ equum, pari ac dictatorem imperio, dolo ꝑdu

ctum in prælium fugauit. T. Semproniū Gracchum iterū consulem in Lucanis absens in insidias inductum sustulit. M. Claudium Marcellū quinquies consulē apud Venusiā pari modo interfecit. Lōgum est enumerare prælia, quare hoc unū satis erit dictum, ex quo intelligi posset quātus ille fuerit. q̄ diu in Italia fuit, nemo ei in acie restitit, nemo aduersus eum post Cannensem pugnā in campo castra posuit. Hic inuictus patriā defensum reuocatus bellum gessit aduersus P. Scipionis filiū, quem ipse primum apud Rhodanū, iterū apud Padum, tertio apud Trebiam fugauerat. Cū hoc exhaustis iam patriæ facultatibus cupiuit impræsentiarū bellum cōponere, quo ualentior postea congrederetur. In colloquium conuenit, conditiones nō conuenerunt. post id factum paucis diebus apud Zamā cum eodem conflixit. pulsus (incredibile dictu) biduo & duabus noctibus Adrumentum peruenit. qd̄ abest à Zama circiter milia passuū trecenta. In hac fuga Numidæ, q simul cum eo ex acie excesserant, insidiati sunt ei. quos nō solum effugit, sed etiam ipsos oppressit. Adrumenti reliquos ex fuga collegit. nouis delectibus paucis diebus multos contraxit. Cum in apparādo acerrime esset occupatus, Carthaginenses bellum cum Romanis cōposuerunt. Ille nihilo secius exercitui postea præfuit, res'que in Africa gessit. itemq; Mago frater eius, usq; ad P. Sulpitiū, C. Aureliū consules. His. n. magistratibus legati Carthaginēses Romā uenerunt, q senatui populoq; Ro. gratias agerent, q cū his pacem fecissent, ob eāq; rem corona aurea eos donarēt, simulq; peterēt ut obsides eorū Fregellis eēnt, captiuiq; redderētur. His ex senatuscōsulto rn̄sum ē, mu

nus eorum

nus eorũ gratum acceptumq; esse, obsides quo loco rogarent futuros, captiuos nõ remissuros, q Annibalẽ, cuius opa susceptum bellũ foret, inimicissimũ noi Romano, et nunc cũ imperio, apud exercitum haberent, itemq; fratrem eius Magonem. Hoc responso Carthaginenses cognito, Annibalẽ domum Magonemq; reuocarunt. Hic, ut rediit, prætor factus est, postq̃ rex fuerat anno secundo & uigesimo. ut enim Romæ consules, sic Carthagine quotannis annui bini reges creabantur. In eo magistratu pari diligentia se Annibal præbuit ac fuerat in bello. nanq; effecit ex nouis uectigalibus, non solum ut esset pecunia, quæ Romanis ex fœdere pẽderetur, sed etiam superesset, quæ in ærario poneretur. Deinde anno post præturã M. Claudio, L. Furio Coss. Romani legati Carthaginem uenerunt. Hos Annibal sui exposcendi gratia missos ratus, priusq̃ his senatus daretur, nauem cõscendit clàm, atq; in Syriam ad Antiochum profugit. Hac re palàm facta Pœni naues duas, quæ eum cõprehenderent, si possent cõseq, miserunt. bona eius publicarunt, domum à fundatis disiecerunt, ipsum exulẽ iudicarunt. At Annibal anno tertio, postq̃ domo profugerat L. Cornelio, Q. Minutio Coss. cum qnq; nauibus Africam accessit in finibus Cyrenæorũ, si forte Carthaginenses ad bellũ Antiochi spe fiduciaq; inducere posset, cui iam psuaserat, ut cũ exercitibus in Italiam proficisceretur. huc Magonem fratrem exciuit. Id ubi Pœni resciuerũt, Magonem eadem, qua fratrem pœna, affecerunt. Illi desperatis rebus cũ soluissent naues, ac uela uentis dedissent, Annibal ad Antiochum peruenit. de Magonis interitu duplex memoria prodita est.

nãq; alij naufragio, alij à seruis ipsius interfectum eũ scriptum reliquerunt. Antiochus autem si tam in agendo bello parere uoluisset cõsilijs eius, quàm in suscipiendo instituerat, propius Tyberi, quàm Thermopylis, de summa imperij dimicasset. quẽ etsi multa stulte conari uidebat, tñ nulla deseruit in re. Praefuit paucis nauibus, quas ex Syria iussus erat in Asiã ducere, hisq; aduersus Rhodiorũ classem in Pãphylio mari conflixit. quo cũ multitudine aduersariorũ sui superarentur, ipse quo rem gessit, fuit superior. Antiocho fugato, uerens ne dederetur, qđ sine dubio accidisset, si sui fecisset potestatem, Cretam ad Gortynios uenit. ut ibi, quo se cõferret, consideraret. Vidit aũt uir omniũ clarissimus magno se fore pіculo, nisi qd praeuidisset, propter auaritiã Cretensium. magnã. n. secum pecuniã portabat, de qua sciebat exisse famã. Itaq; capit tale consiliũ, amphoras cõplures complet plũbo, summas operit auro et argento. has Gortynijs pñtibus deponit in templo Dianae, simulans se suas fortunas illorũ fidei credere. His in errorem ductis statuas aeneas, quas secum portabat, oẽs sua pecunia complet, easq; in propatulo domi abijcit. Gortynij templum magna cura custodiunt, non tam à caeteris, q̃ ab Annibale. ne qd ille insciẽtibus illis tolleret, secumq; portaret. Sic cõseruatis suis rebus, Poenus, illusis Cretensibus omnibus, ad Prusiã in Pontum pуenit. apud quẽ eodem animo fuit erga Italiam, neq; aliud quicq̃ egit, q̃ regẽ armarit et excitarit aduersus Romanos. Quem cũ uideret domesticis rebus minus esse robustũ, conciliabat caeteros reges, adiungebatq; bellicosas nationes. Dissidebat ab eo Pergamenus rex Eume-

nes Romanis amicissimus, bellũq; inter eos gerebatur et mari & terra, quo magis cupiebat eũ Annibal opprimi. sed utrobiq; Eumenes plus ualebat p̄p Romanorũ societatem. quem si remouisset, faciliora sibi cætera fore arbitrabatur. ad hunc interficiendum talem inijt rationem. Classe paucis diebus erant decertaturi, superabatur nauium multitudine, dolo erat pugnandum, cũ par non esset armis. imperauit q̃plurimas uenenatas serpentes uiuas colligi, easq; in uasa fictilia conijci. Harũ cũ confecisset magnã multitudinem die ipso, quo facturus erat nauale prœliũ, classiarios cõuocat, hisq́ue præcepit, oẽs ut in unã Eumenis regis concurrant nauẽ, à cæteris tm̃ satis habeant se defendere. id facile illos serpentiũ multitudine consecuturos. Rex autẽ qua naue ueheretur, ut scirent se facturũ, quẽ si aut cepissent, aut interfecissent, magno his pollicetur præmio fore. Tali cohortatiõe militũ facta, classis ab utrisq; in prœliũ deducitur. quarũ acie constituta, priusq̃ signum pugnæ daretur, Annibal, ut palàm faceret suis, quo loco Eumenes esset tabellariũ in scapha cũ caduceo mittit, q ubi ad naues aduersariorũ ꝑuenit, epistolam ostendens se regem professus est quærere. statim ad Eumenẽ deductus est, ꝙ nemo dubitabat aliqd de pace esse scriꝑtum. Tabellarius ducis naue declarata suis, eodem, unde ierat, se recepit. At Eumenes soluta epistola nihil in ea reperit, nisi qđ ad irridendũ eum ꝑtineret. cuius & si cãm mirabatur, neq; reperiebatur, tamen prœliũ statim committere non dubitauit. Horũ in concursu Bithynij Annibalis præcepto uniuersi nauem Eumenis adoriuntur. quorũ uim cũ rex sustinere non posset,


fuga salutem petijt, quam cõsecutus non esset, nisi intra
sua præsidia se recepisset, quæ in proximo litore erãt
collocata. Reliquæ Pergamenæ naues cum aduersarios
premerent acrius, repente in eas uasa fictilia, de qbus
supra mentionẽ fecimus, conijci cœpta sunt. quæ iacta
initio risum pugnantibus excitarunt, neq; quare id fie
ret, poterat intelligi. postq̃ autem naues cõpletas conspe
xerunt serpẽtibus, noua re pterriti, cum qd potissimũ
uitarent, nõ uiderent, puppes auerterũt, seq; ad sua ca
stra nautica retulerunt. Sic Annibal consilio arma Per
gamenorum superauit, neq; tum solum, sed sæpe alias
pedestribus copijs pari prudentia pepulit aduersarios.
Quæ dum in Asia geruntur, accidit casu, ut legati Pru
siæ Romæ apud L. Quintiũ Flaminiũ consulem cœ-
narent, atq; ibi de Annibale mẽtione facta, ex his unus
diceret, eum in Prusiæ regno esse. Id postero die Flami
nius senatui detulit. Patres conscripti, q Annibale uiuo
nunq̃ se sine insidijs futuros existimabant, legatos in Bi
thyniã miserunt, in his Flaminiũ, q à rege peterent, ne
inimicissimũ suũ secũ haberet, sibiq; dederet. His Pru
sia negare ausus non est, illud recusauit, ne id à se fieri
postularent, qđ aduersus ius hospitij eẽt. ipsi, si possent,
cõprehenderent. locum, ubi esset, facile inuẽturos. Anni
bal. n. uno loco se tenebat in castello, qđ ab rege datum
erat muneri. idq; sic ædificarat, ut in oĩbus partibus
ædificij exitus haberet, semp uerẽs, ne usu eueniret, qđ
accidit. Huc cum legati Romanorũ uenissent, ac multi-
tudine domũ eius circundedissent, puer ab ianua pro=
spiciens Annibali dixit, plures præter consuetudinẽ ar
matos apparere. q imperauit ei, ut oẽs fores ædificij

circumiret, ac propere sibi renuntiaret, num eodē modo undiq; obsideretur. puer cū celeriter, qd eēt, renunciasset, omnesq; exitus occupatos ostendisset, sensit id nō fortuito factū, sed se peti, neq; sibi diutius uitā esse retinendā quā ne alieno arbitrio dimitteret, memor pristinarum uirtutū, uenenum, qd semper secum habere consueuerat, sumpsit. Sic uir fortissimus multis uariisq; pfunctus laboribus, anno acqeuit septuagesimo. Quibus cōsulibus interierit, nō cōuenit. nanq; Atticus M. Claudio Marcello, et Q. Fabio Labeōe Coss. mortuū in annali suo scriptum reliqt. at Polybius Aemylio Paulo & C. Bebio Pamphilo. Sulpitius aūt P. Cornelio Cethego et Bebilo Pamphio. Atq; tantus uir tantisq; bellis districtus, nō nihil tēporis tribuit literis. nāq; aliquot eius libri sunt Græco sermone cōfecti. in his ad Rhodios de C. Manlii Valonis in Asia rebus gestis. Huius bella gesta multi memoriæ prodiderunt. sed ex his duo, qui cū eo in castris fuerunt, simulq; uixerunt, q̄ diu fortuna passa ē, Philenius et Sosilus Lacedæmonius, atq; hoc Sosilo Annibal literarum græcarum usus est doctore. Sed nos tempus est huius libri facere finem, & Romanorū explicare imperatores, quo facilius collatis utrorumq; factis, q uiri præferendi sint, possit iudicari. Finis.

a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y z A B C. Oēs quaterniones præter C ternionē.

VENETIIS IN AEDIBVS ALDI ET
ANDREAE ASVLANI SOCERI,
MENSE IAN. M. D. XXII.

AL DVS



275



